
9
1-g
20
10
7 D
32

Storia della Chiesa

TRIAS EVANGELICA,

SIVE,

QVÆSTIO TRIPLEX
DE ANNO, MENSE, ET DIE
CHRISTI
NATI, BAPTIZATI, ET MORTUI,

QUA

NATALIS ANNO XLI IULIANO, QUINTO ANTE ÆRAM VULGAREM DESINENTI,

BAPTISMUS ANNO ÆRÆ VULGARIS XXVII EXEUNTI, AUT XXVIII INEUNTI,

MORS MARTIO ANNI VULGARIS XXXI VENDICATUR.

Authore R. P. MICHAELE SENESCHALLO, Bappalmensi, è SOCIETATE JESU, Olim Sacræ Theologiæ Professore in Universitate Duacensi.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JOAN. MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris. M. DC. LXIX.
SUPERIORUM PERMISSU.

PER-ILLUSTRI ET ADMODUM
REVERENDO DOMINO,

D. FRANCISCO DE CALONNE,

CELEBERRIMI ET ANTIQUISSIMI COENOBII AQUICINCTINI

SANCTI SALVATORIS
ABBATI MERITISSIMO,

EPISCOPALI IURISDICTIONE PRÆDITO
EAMQUE EXERCENTI PISCICURTI, VEDRETI,
SAN-GEORGII, AYMERII, ALNETI,

COLLEGII DUACENSIS SOCIETATIS JESU
FUNDATORI MUNIFICENTISSIMO.

I*NTEGRI jam Sæculi ſpatia decurſa ſunt*, PER-ILLVSTRIS & ADM. R. DOMINE, *ex quo æternùm nobis colendus* Adm. R. D. IOANNES LENTAILLEURIUS, *Deceſſor Tuus, propenſiſsimâ Religioſiſsimi ſui Cœtûs voluntate, Societatem noſtram, lare & cenſu donatam, in recèns erectam hanc Academiam Duacenſem cœpit inducere, ſuique nobiliſsimi Gymnaſii Aquicinctini exedris præficere. Immortalis hujus beneficii, aliorumq; per temporum inter-*

valla adjectorum memoriam etsi, quo par est, grato animo palàm quotannis testemur solemni Cerei oblatione ad diem XII Calendas Novembres; postulare nihilominus, aut etiam flagitare videtur officii nostri ratio, ut his secundi Saculi felicibus auspiciis velut per anacephalaosin collectas illas animi nostri testificationes repetamus magis publicâ hac, & longiùs sese porrecturâ significatione; paremq. futuros in annos observantiam sanctè voveamus.

Hanc mihi pra reliquis obtingere provinciam, quemadmodum est cur mihi plurimùm gratùler; ita nescio quo modo exigere visa est res ipsa: cùm unus ex omnibus, omnes, quas Societas nostra profitetur, disciplinas docendo in Tuo Collegio Aquicinctino, quartam primi saculi partem expleverim. Accedit insuper, ipsum hujus Operis argumentum de basibus totius Chronologia SALVATORIS, *oportuniùs dicandum nemini, quàm* PRÆSULI MONASTERII SANCTI SALVATORIS.

Quàm non ex vano adeo augustam à SALVATORE *appellationem sibi delegerint Majores Tui, sed & ipsimet, quà licet,* SALVATORES *esse contenderint; vel inde, ut alia omittam, intelligi potest; quòd in ipso Fundationis Collegii Instrumento disertè profiteantur, se* jam pridem, non absque animi sui dolore, considerantes tot animas, pro quibus Christus Dominus & Deus

Deus noster mortuus est, perire, tot periclitari; ad majorem Dei gloriam; multarumque animarum Salutem, *Societati IESV (seu,* SALVATORIS) *Dotem & Domum assignasse in Vniversitate Duacensi. Vt nimirum quod ipsi per se minùs poterant, id per illos exequerentur, quos omnium hominum* Saluti *impensè procurandæ ex Instituti sui Legibus noverant authoratos; possentq; universi, salutares Pietatis & Doctrinæ* haurire aquas in gaudio de Fontibus Salvatoris, *Aquicincto Duacum derivatis.*

Tantum boni publici studium, ipsis statim novi Collegii primordiis, eam tulit à Pio V *Summo Pontifice approbationem & commendationem, quæ potest esse maxima; edito Diplomate quo, inter alia, testatur se*, cùm Collegium nostræ Societatis, sumptibus Monasterii Aquicinctensis, ejusque Abbatis, nuper constitutum esse cognovisset; & magnâ ex eâ re lætitiâ affectum esse, & Monachorum eorum, qui in opere tam egregio perficiendo de Religione quàm optimè meruerunt, pietatem, charitatem, devotionemque vehementer in Domino commendasse. Ejus enim operâ non solùm eadem animæ lucra, Domino adjuvante, proventura sperare se,

valla adjectorum memoriam etsi, quo par est, grato animo palàm quotannis testemur solemni Cerei oblatione ad diem XII Calendas Novembres; postulare nihilominus, aut etiam flagitare videtur officii nostri ratio, ut his secundi Sæculi felicibus auspiciis velut per anacephalæosin collectas illas animi nostri testificationes repetamus magis publicâ hac, & longiùs sese porrecturâ significatione; paremq; futuros in annos observantiam sanctè voveamus.

Hanc mihi præ reliquis obtingere provinciam, quemadmodum est cur mihi plurimùm gratuler; ita nescio quo modo exigere visa est res ipsa: cùm unus ex omnibus, omnes, quas Societas nostra profitetur, disciplinas docendo in Tuo Collegio Aquicinctino, quartam primi sæculi partem expleverim. Accedit insuper, ipsum hujus Operis argumentum de basibus totius Chronologiæ SALVATORIS, *oportuniùs dicandum nemini, quàm* PRÆSULI MONASTERII SANCTI SALVATORIS.

Quàm non ex vano adeo augustam à SALVATORE *appellationem sibi delegerint Majores Tui, sed & ipsimet, quà licet,* SALVATORES *esse contenderint; vel inde, ut alia omittam, intelligi potest; quòd in ipso Fundationis Collegii Instrumento disertè profiteantur, se* jam pridem, non absque animi sui dolore, considerantes tot animas, pro quibus Christus Dominus & Deus

Deus noster mortuus est, perire, tot periclitari; ad majorem Dei gloriam, multarumque animarum Salutem, *Societati IESV (seu,* SALVATORIS) *Dotem & Domum aßignasse in Vniversitate Duacensi. Vt nimirum quod ipsi per se minùs poterant, id per illos exequerentur, quos omnium hominum* Saluti *impensè procurandæ ex Instituti sui Legibus noverant authoratos; possentq; universi, salutares Pietatis & Doctrinæ* haurire aquas in gaudio de Fontibus Salvatoris, *Aquicincto Duacum derivatis.*

Tantum boni publici studium, ipsis statim novi Collegii primordiis, eam tulit à Pio V *Summo Pontifice approbationem & commendationem, quæ potest esse maxima; edito Diplomate quo, inter alia, testatur se,* cùm Collegium nostræ Societatis, sumptibus Monasterii Aquicinctensis, ejusque Abbatis, nuper constitutum esse cognovisset; & magnâ ex eâ re lætitiâ affectum esse, & Monachorum eorum, qui in opere tam egregio perficiendo de Religione quàm optimè meruerunt, pietatem, charitatem, devotionemque vehementer in Domino commendasse. Ejus enim operâ non solùm eadem animæ lucra, Domino adjuvante, proventura sperare se,

quæ ex reliquis ejusdem Societatis Collegiis & antea provenisse, & nunc quàm maxima provenire compertum habebat; sed etiam Vniversitati ipsi in istâ Civitate (*Duacensi*) nuper institutæ magnum ornamentum utilitatemque allaturum esse, judicasse. *Quæ Decessorum Tuorum præconia* à Pio V *profecta non obscurè confirmant præclarum titulum NOBILIS ECCLESIÆ, præclaro in Diplomate, jam ab annis quadringentis & quinquaginta, AQVICINCTENSI tributum ab* Honorio III.

Ingentes Pii *Pontificis Fundatorumq; spes (quæ Dei est gratia) quàm non fefellerit eventus toto superiore Sæculo, decentiùs loquentur alii: nihil me tamen in Modestiæ leges peccaturum arbitrabor, si dixero, pauca esse Societatis Collegia, quæ hoc Duacense seu obitorum munerum multitudine, seu omnis generis fructuum ubertate exæquarint. Hinc siquidem tam Civilis, quàm Ecclesiastica Respublica, tot támque præstantes Viros eduxit ad omnimoda sua munia; ut si eos recensere voluero, nullus futurus sit finis. Neque intra Europam, quà latissimè patet, steterunt hi fructus; sed (ut de adjacentibus Insulis hæresi infectis, plurimorum Confessorum sudore irrigatis, carcere & exilio nobilitatis, Martyrumq; sanguine purpuratis sileam in præsens) ad*

extre-

extremam usque Asiam & Americam protulerunt sese; eò ex Tuo Collegio submissis sine intermissione Viris Apostolicis, qui Evangelii lumen jacenti in tenebris Gentilitati per mille discrimina, labore indefesso, importarent, hodieq; important. Hæc quisquis æquâ lance expenderit, non ægrè fatebitur, celebrem illum Equum Troianum, tot Heroibus gravidum, in comparationem venire non posse cum generosissimo, præter aliorum indolem, CERVO AQUICINCTINO*, nunquam effœto, sed semper ipsis suis partibus fœcundiore in novam Heroum sobolem.*

Quæ ex his in commune bonum extiterunt utilitates, sicut in ingentem Dei gloriam, innumerorumq; hominum salutem cesserunt: ita & Cœnobium Collegiumq; Aquicinctinum maximo splendore collustrarunt; cui ex Te, PER-ILL. & ADM. R. DOMINE*, non modicum accedit auctarium: ut censeri possis, nominatim delectus, qui & primo Duacenæ Societatis Sæculo coronidem feliciter imponeres, & secundum fausto magnæ spei omine initiares.*

Exaggeratis laudibus Modestiam Tuam irritare mihi non est animus. Novi siquidem à magnis mentibus; etsi quæ gerunt omnia, plena sint præconiis, Virtutis dispendium credi, effusiùs laudari. *Illud tamen dissimulare non possum, quod in omnium oculos incurrit, ita Te gentilitii Tui* LEONIS

fortitu-

fortitudinem innatâ moderatione temperasse; ut examussim Lemmatis Tui, FORTITER ET SVAVITER, promissa expleris; habeantq; Subditi in TE & benignum Patrem, & Moderatorem strenuum, & accuratum Religiosæ disciplinæ Metatorem. Quod nec calamitosorum temporum nubila Prudentiam Tuam infuscarint, nec adversa Constantiam fregerint, nec prospera Generositatem immodicè extulerint; laus propriè est Tua. Parem videlicet utrique fortunæ nactus es animum, sese in vultu ipso prodentem, totiusq; excelsi corporis majestate ac specie Pedo dignâ & Infulis, quas intuentibus præsagiebat, antequam obtigissent.

Nova non sunt hæc, aliaq; decora in Calonneâ familiâ, quæ, felix prole Virûm, *jam à sex, & ampliùs, sæculis, suis se tum Virtutibus præclarisq; factis; tum affinitatibus cum Illustrissimis Familiis, quas fusè Cameracensis Historicus recenset; tum in complures Ecclesias liberalitate, admodum conspicuam præstitit.*

Ex eâ Petrus Calonnæ Toparcha, Anno 1099; *Roberto Flandriæ Comiti junctus, Hierosolymorum expugnationi egregiam operam commodavit; indéque reversus, ab eodem, anno insequente, jussus est Gertrudem Sororem ad Alcasiæ Ducem, cui desponsata erat, perducere. Anno* 1121 *Eustachius à Comite Carolo Dano Legatus ad*

Calix-

Calixtum II *Pontificem profectus est negotiorum causâ, qua & ex voto confecit. Anno* 1122 *Petrus Robertus, Vir armis strenuus, in prælio ad Ardeam contra Anglos, fortiter occubuit. Rogerius Robertum Flandriæ Comitem tum in obsidione Cameracensi, tum in pace Moguntinâ cum Imperatore Henrico V. firmandâ, adjuvit. Ludovicus Rupelmondæ Gubernator, ad Pontem Bouvinienfem acriter decertans, Anno* 1214 *captus est cum Comite Ferdinando Lusitano. Anno* 1369, *ob rem præclarè contra Rebelles gestam, Gualterus à Roberto Comite, inspectante toto Exercitu, Eques creatus est; uti & postea Bernardus, ob propugnatam Aldenardam. Hos secuti Sigerius, à fortitudine militari celebratus sub Comite Ludovico Cressiaco; Riflarius, ejúsque liberi meritis non impares; Rolandus & Guilielmus in pugna ad Vltrajectum, Florentius in bello Hungarico, extincti. Nicolaus Avus Tuus, Montifauxii Toparcha, ob singularem in Regem suum fidem, à Rebellibus exilio bonisq; mulctatus. Iacobus, Parens Tuus, Regi à Consiliis bellicis, Rentiaci Gubernator, cui ad cumulum felicitatis datum est, quod paucis concessum, ut binos è Filiis Abbates vivens spectaret Pietatis suæ legitimos hæredes; Te Aquicinctensem, Iosephum Blangiacensem: ambos tantis constantes insignibus, ut vobis parum esse videatur, Majorum titulis niti, nisi propriis adjuvemini. Spectavit*

vit & binos alios Dei obsequiis intra Religiosa castra mancipatos; ex quibus Maximinus superstes Aquicinctinos Tyrones ad omnem morum honestatem probitatemq; indefessè informat. Spectavit & tergeminos Martio vigore illustres; Georgium Bogardi Toparcham, & Legioni Præfectum, cui ex vulnere ab hostili manu inflicto rescissum brachium, perpetuum est magnanimitatis monumentum. Albertum Tribunum, ingentis spei Iuvenem, præclarâ morte in obsidione Barcinonensi perfunctum, in quo videre licuit, curſum ætatis expectandum non eſſe in feſtinatione Virtutis. *Carolum Antonium avi nostri Heroibus accensendum; & ob quàmplurima edita clarissima facinora, singulariaq; prorsus merita, tum in Belgio, tum in Hispania, tum in Galliâ comparata, Baronis titulo, & Equestri S. Iacobi dignitate ornatum, supremi Consilii militaris Consiliarium, rei Tormentariæ Præfectum Generalem, Militiæ in Civitate Carthaginensi novâ Gubernatorem.*

Quid memorem ut hic, jam inde à puero, Regis Catholici copiis adscriptus, annos sex & quadraginta, quibus ei militavit, palmarum suarum numero superarit, suóque firmarit exemplo, quod ait ille: Rapitur ad ſimilitudinem ſuorum excellens quæque natura: nec ſenſim ac lentè indicium promit boni; ſed involucra

volucra infantiæ vividum rumpit ingenium? *Quem Tyronem acceperat Bredana obsidio, subitò in Ducem adolescere conspexit; futurorum velut præsagitione: Hinc primus illi ad honoris culmen gradus, ad quod magnis postea passibus ascendit; nullâ iis temporibus memorabili expeditione in Belgio susceptâ, in quâ egregium animi robur prudentiamq; militarem non probarit.*

Testis Brugensis Civitas, cui à Batavis cincta militem eo successu induxit, ut hostis illico convasarit. Testis Trajectum ad Mosam, cujus obsessi vallum, gemino vulnere decorus, cum Pappenhemio transcendit. Testis prælium Duce Principe Thomâ commissum, in quo inter pugnandum à Gallis captus, mox persoluto lytro, ne Patriæ tunc maximè laboranti deesset, alacer denuò in arenam descendit, genuinus Philopatris. Testis Lovanium gemino vallatum exercitu, ubi, eâ in statione, quâ maximè impetebatur, non tantùm hostilem impetum viriliter repressit; sed etiam, animosè factâ eruptione, complures cecidit. Testis Audomaropolis, cui, maximis copiis impugnata, suis quà factis, quà apud Gubernatorem consiliis, præsidio fuit. Testes Cappella, Castelletum, Corbeia, Venlona, Ruræmonda, quibus expugnandis & vires contulit & industriam. Testis Gueldria, cui periclitanti iteratò succurrit. Testes Buccinium & Avesna, quas Vrbes Progubernator cum laude administravit.

Datis hisce de se speciminibus, quasi angustum ingentibus ejus animis theatrum foret Belgium, in Hispaniam profectus, novum nactus iis explicandis campum in Cataluniâ vicinisq́ Regionibus, ita fortis, peritíque Ducis partes explevit omnes, nulla ut in eo desiderari posset. Quid referam suppetias Perpiniano & Badaioco allatas, Tarraconi itemtò, sed maximè Leridæ; cui quod miles immissus fuerit, fugatusq́ hostis, Carolo Antonio potissimùm deberi, ipsi supremi Duces honorificentissimis ad Regem litteris testati sunt? Quid dicam de præclarâ operâ ab eo navatâ in expugnandis Monçonio, Leridâ, Balaguierâ, Barcinone, aliisq́ locis? Quid de munere Gubernatoris Fragæ, Pro-Gubernatoris Olivencæ, Tmygueræ, Cæsaraugustæ, cum hoc elogio Regio; quòd loca hæc virum exigerent gnavum, & rei militaris in primis callentem? Quid quod eo etiam nomine Comiti Oropezæ datus sit in rebus bellicis Regni Valentiæ Adjutor, designatusq́ ut id etiam muneris apud Marchionem Leganezium obiret? Quid ut, in Belgium redux, expeditioni Archiducis Leopoldi in interiorem Galliam, ac deinde Musonii & Cappellæ expugnationi, inter commendatissimos interfuerit? Quid quod repetitâ Hispaniâ jam consummati Ducis famâ celebris, Carthaginis novæ copiis militaribus praeesse jussus sit, & ducendis turmis, quæ per Murciæ Regnum sparsæ ad Meridam erant conventuræ?

Magnum

Magnum in se gloriæ pondus continet vel hoc unum, quod postquam Orano, munitißimo littoris Africani propugnaculo, cui imminebant Mauri, de omnibus ad tolerandam obsidionem necessariis summâ accuratione prospexit, illuc mandato Regio transfretare debuerit; tum solitâ magnanimitate suâ, tum prudentiâ tot retrò annis comprobatâ, Gubernatori Marchioni S. Romani adfuturus; eique, si quid humanitus contingeret, summâ cum potestate successurus: quod quàm excelsæ de militaribus ejus dotibus existimationis indicium sit, res ipsa per se loquitur, me etiam tacente.

Ex hoc quamvis angusto & reciso insignium per multas ætates gestorum compendio, satis, opinor, superque elucet, quàm nihil unquam abjectum & humile spectarit CALONNEA *gens; sed ad magna semper & ardua intenderit animum; velut sibi perpetuò propositâ hac ad nomen suum allusione:* ΤΟ ΧΑΛΕΠΟΝ, ΤΟ ΚΑΛΟΝ. *In ejus nimirum fœcundos surculos quadrat illud Vatis Mantuani:*

— primo avulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Ab hoc diverticulo, ad quod me rapuit tam annosa excellensq; Majorum Tuorum Claritas, ad Te, PER-ILLVSTRIS & ADM. R. D. *revertor, qui Tuorum gloriam, toti familiæ ad incitamentum expositam, tanto fœ-*

nore cumulare contendis; ut & ipse olim Nepotibus exemplum sis futurus. Præsentia decora novis ut in dies incrementis augeat Deus; multosq; annos donis cælestibus affluentes Tibi, ad commune bonum, toti Religiosissimo Tuo Cœtui, ad omnimodam felicitatem largiatur, nobis semper ex debito incumbet precari. Interim rogo ut hoc munusculum, suo saltem argumento nobile, & obstrictissimæ Societatis nostræ Duacenæ erga Munificentiam Aquicinctinam monumentum, & meæ privatim in Te summæ observantiæ pignus, benigno, quo soles, vultu, excipere ne graveris. Duaci. IV Cal. Sextiles Anni M. DC. LXIX.

PER-ILLUSTRI ET ADM. REVERENDÆ D. T.

Devotissimus & obsequentissimus in Christo servus

MICHAEL SENESCHALLUS.

APPROBATIO ORDINARII.

TRIAS EVANGELICA *R. P. Michaëlis Seneschalli è Societate IESV Sacræ Theologiæ Professoris*, quâ stabiliuntur bases totius Chronologiæ Christi, ita multiplicem Authoris sui eruditionem prodit, ut ad illustrandam Historiam Ecclesiasticam non parùm conferre possit; cumque nihil bonis moribus sanæque doctrinæ contrarium contineat, permittimus perlubenter, maximè in gratiam eruditorum virorum, ut typis mandetur. Datum hâc 9 Octobris 1669.

IOAN. ERNEST. BARO DE SVRLET.
Vicarius Generalis Leodiensis.

FACULTAS

***

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS GALLO-BELGICÆ.

EGo infra-scriptus Societatis IESU in Gallo-Belgicâ Provincialis, potestate mihi ad hoc factâ à Reverendo Adm. P. N. Generali, facultatem concedo, ut Liber cui titulus est, *Trias Evangelica, seu, Quæstio triplex de Anno, Mense, Die, Christi Nati, Baptizati, & Mortui*, à P. MICHAELE SENESCHAL conscriptus, ejusdemque Societatis Patrum judicio approbatus, typis mandetur. Datum Duaci, 13 Octobris, 1667.

LAURENTIUS LUDOVICI.

SYLLA-

SYLLABUS
PROLEGOMENORUM, QUÆSTIONUM, ET CAPITUM.

LEMMATA PRODROMA
MAGNAM LUCEM TRIBUS SEQUENTIBUS QUÆSTIONIBUS ALLATURA.

QUÆSTIO PRIMA.

De Anno, Mense, Die, Natalis CHRISTI.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De Anno, Mense, Die, quo CHRISTUS Baptismum suscepit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Anno, Mense, Die, Mortis CHRISTI.

CAPUT



PRÆFA-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



UOD quæſtiones tot tantorúmque Virorum calamis ventilatas, rurſus hoc in Opere agitandas duxerim, Lector Benevole, non una me ratio impulit; quam tibi paucis hîc à me explicari, meâ non parum intereſt, ac fortaſſe nonnihil tuâ. Molior, ſi Superi cœptis aſpirent, Hiſtoriæ Evangelicæ explanationem, quam dum moliri incipio, hoc mihi negotî credidi primùm dari, ut præcipua Chronologiæ ad eam ſpectantis fundamenta jacerem quàm poſſem firmiſſima; quibus innitens tota Commentarii moles ſolidiùs conſiſteret: neque ut id aſſequerer, ulli prorſus labori parcendum cenſui. *Authoris ſcopus.*

Porrò ſeorſim, & extra ipſum Commentarii contextum, implexas haſce difficultates evolvendas exiſtimavi; ne alioqui ejus curſus importunè ſæpiùs foret interrumpendus; & ut, dum res ferret, ſatis eſſet verbulo te admoneri quibus ex locis peti poſſent aſſertionis noſtræ firmamenta. *Cur hæ Quæſtiones ſeorſim agitentur.*

Accedebat & illud operæ ſeu pretium, ſeu compendium, quod ea ſit humani captûs indoles; ut, neſcio quâ ratione, imaginatio memoriaque noſtra longè faciliùs altiúsque in ſe admittat, quæ ſunt ejuſdem velut generis, ſi uno filo pertexantur; quàm ſi ſparſim, animo jam ad alia planè diſparata diſtracto, proponantur.

Quod plurimi jam olim in hoc pulvere deſudarint; imò quòd nonnulli hodie ſe rem hanc Demonſtrationibus ſeu Chronologicis, ſeu etiam Mathematicis confeciſſe jactent; non me deterruit ab incepto. *Multi eas parùm feliciter tractârunt.*

cepto. Vidi ſiquidem à nullis magis jactari ſimilia, quàm ab iis, qui (meo quidem judicio) longiſſimè aberrant à vero. Eorum autem multitudo, qui de hoc argumento ſuas lucubrationes ediderunt, eſt ni fallor, ejuſmodi, ut ſi quis in illam paulo accuratiùs inquirat, illico cum Pythiâ dicturus ſit:

Multos thriobolos, paucos eſt cernere vates.

Horum nõnullis facultas defuit.

Et verò nonnullis ad id, quod agebant, facultatem defuiſſe, res ipſa clamat: cùm anguſtiſſimam, ſi annos numeres, Chriſti Chronologiam tot tamquè patentibus antilogiis involvant; ut ſit prorſus incredibile. Arripiunt nimirum jam unum quidpiam ex Euſebio, jam aliud ex Auguſtino, deinde aliud ex Toſtato, alióve ſeu recentiore antiquioréve Scriptore: quæ ſi in unum corpus aptare tentes; exiſtet quoddam Chronologiæ monſtrum, quale ſi jungat

Humano capiti cervicem Pictor equinam.

Quidam Æras confundunt.

Sunt etiam non pauci, neque ex proletariis, qui, poſtquam magno molimine Natalem v. g. Chriſti alligarunt Anno Iuliano 43 aut 44; mox, ſuarum hypoteſeon obliti, privatam illam ſuam Æram cum Vulgari confundant: ex quo fit, ut, pugnantibus inter ſe temporum characteribus omnia miſcendo, merum chaos inducant.

Quibuſdã defuit felicitas, aut diligentia, aut judicii æquitas.

Quibuſdam non tam facultas ad hanc Spartam egregiè ornandam defuit; quàm aut felicitas, quæ nonnullos, quidquid demum aggrediantur, deſerit; aut in indagandâ veritate ſufficiens diligentia; aut in vitandis errorum ſcopulis circumſpectio. Aliis vehemente robſtitere quædam præjudicia nullo ſatis ſolido fundamento nixa, ab ipſis & nimis facilè ſuſcepta, & nimis firmiter retenta. Aliis nihil æquè nocuit quàm præpoſtera quædam alienatio à Nobiliſſimo Scriptore Flavio Ioſepho; cujus dictis dum nihil deferendum putant, peſſimè toti ſuæ Chronologiæ conſulunt. Neque ab his longè abeunt quidam priſcorum morum homines, quibus ita ſola placent antiqua, quantumvis jam dudum antiquata; ut vel injecta novæ cujuſpiam

opinionis

nionis mentio bilem moveat, & nauſeam creet:

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt,
Vel quia turpe putant parêre minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Hos ſi potentiùs urgeas ex Ioſepho, & Dione, ac ſimilibus; mera convitia reponunt. Si adigas ut unum quiddam tandem ſuggerant, in quod Antiqui convenerint: aut piſcium inſtar obmuteſcere coguntur; aut obtorto collo jam hunc, jam illum in ſuas partes trahere, à quibus abſunt quàm longiſſimè.

Omitto opinionum portenta à Computiſtis, ſeu Latinis, ſeu Græcis invecta, dum ſuos Cyclos, velut è cælo lapſos, & æternâ Lege conſtantes plus æquo venerantur, incertiſſimiſque hypotheſibus adjunctos incautè duces ſequuntur. Taceo paradoxa Foroſempronienſis, viri ſanè magni, cujus improbo labori ſucceſſus non tantùm non reſpondit; ſed nimia credulitas plurimùm obfuit. Superſedeo hîc vaniſſimis quorundam commentis, de quibus poſtea: hoc unum dico, me in omnibus ſuprà allegatis nihil, quod calamum meum inhibere poſſet, reperiſſe: quin potiùs plurima quæ provocarent. *Quibuſdam nocuerunt præpoſtera præjudicia.*

Supererant è Recentioribus nonnulli, in quorum variâ eruditione ac criſeos maturitate maximè acquieſcebam. Inter hos eminent Deckerius, Kepplerus, ac Petavius, qui adeò ſtrenuè feliciterque in his Quæſtionibus explicandis verſati ſunt; ut primâ fronte videri poſſint quicquam poſt illos addendi deſperationem injeciſſe. Verùm poſtquàm & horum lucubrationes, & aliorum additamenta excuſſi diligentiùs; viſi ſunt non omninò nihil nobis ad ſpicilegium reliquiſſe; ſed ſupereſſe etiamnum nonnulla, quæ majore luce indigeant; alia quæ magis ſtabilienda ſint; nonnulla etiam quæ refelli debeant; quædam denique recèns à nonnullis objecta, quæ ſolu- *Accuratiores Recentiores locũ ſpicilegio reliquerũt.*

tione opus habeant, ne veritati magis magisque in dies se exerenti officiant.

Stimulus à multitudine & confidentiâ eorum, qui à vero lôgiùs videntur aberrâsse.

Neque diffitebor inde quoque stimulum aliquem accessisse, quòd animadverterem eos, quos à scopo plurimùm abesse arbitror, nullum pro suâ causâ scribendi finem facere, aut modum tenêre; eorum autem nonnullos eâ passim confidentiâ uti, tum in suis adstruendis, tum in alienis acerbè rejiciendis, ut bonæ causæ, apud imperitos laboranti, subsidio aliquo censuerim opus esse.

Alius stimulus à Scriptoribus malè allegatis.

Movit me & illud non parùm, quòd cùm in Antiquorum Patrum, aliorumque cujusvis ætatis Scriptorum sensa non oscitanter inquisissem, manifestè deprehenderim summos etiam viros non semel hac in parte valdè hallucinatos fuisse. Unde facilè mihi persuasi non omninò nullum fore operæ meæ pretium; si eorum mentem, secluso penitùs partium studio, ex vero explicarem. Hoc autem, sinceritate quâ potui maximâ, perficere conatus sum. Quod si subinde, ut perplexissimum est hoc negotium, minùs rectè conjecerim; parata mihi, opinor, erit excusatio in imbecillitatis humanæ confessione: quo tamen tectorio credo sat rarò opus fore.

Modus scribendi ab Authore servatus.

Modum has Quæstiones tractandi pænè scholasticum secutus sum; uti & ferè stylum; quò claritati, quoad ejus fieri posset, consulerem in argumento non parùm obscuro. In confutandis aliorum sententiis non eâ usus sum vehementiâ, quam sibi permissam ipsi censuerunt: curavi tamen ne inerti languore torperet disputatio, dum res tulit; aut dignus vindice nodus exigere visus est plusculum alacritatis.

Quid ad has controversias contulerit Au-

Quid ad hasce Quæstiones illustrandas contulerim; malo id tuo, Benevole Lector, arbitrio permittere, quàm ipsemet expromere. Memor siquidem sum moniti S. Ambrosii, *Lib. 6, Epist.* 40: *Unum-*

Vnumquemque fallunt sua scripta, & authorem prætereunt: atque ut filii, etiam deformes, delectant; sic etiam Scriptorem indecores sermones sui palpant. Credo nihilominus, nisi mea nimiùm amo sine rivali, reperturum te hîc nonnulla & clariùs quàm hactenus explicata, & accuratiùs enucleata, & solidiùs stabilita; Adversariorum autem tela alicubi nervosiùs depulsa confractaque, ac variorum errorum fontes retectos & obturatos; ne cuiquam posthac nocere possint. thor, Lectoris judicio relinquitur,

Ad extremum, unum est quod te impensè rogatum velim; ne scilicet præjudicatam apud te sententiam adferas ad hujus Operis lectionem; sed tantisper, dum perlegeris, & omnia utrimque suis momentis libraveris, judicium habeas in suspenso. Cùm enim præjudicia animum Lectoris semel occupavêre, quantælibet Scriptoris rationes ambiunt, & frustra sunt. Hâc maximè cautione opus est in argumentis ei similibus, quod hîc pertractandum suscepi; novitatis videlicet nomine non paucis, quamvis immeritò, invisum. Quod si (ut præclarè Plinius *Præfat. Histor. Natur.*) *Res ardua* semper fuit, *vetustis novitatem dare, novis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem*: quanto magis opinionibus ante litis contestationem rejectis adstruere veritatem? Magnam nempè esse oportet probationum vim, quæ inter obstantia erumpant, & pænè ab invitis exprimant confessionem. Hoc cùm de meis ratiociniis non ausim fidentiùs polliceri; tuam ideò, Erudite Lector, æquitatem imploro, & benevolentiam in subsidium advoco. ejusque æquitas imploratur.

Optabant, suadebantque nonnulli ex amicis ut *Quæstioni tertiæ, de Anno, Mense, Die Christi mortui,* per modum Appendicis subjicerem *Quæstionem Theologicam* hoc tempore celeberrimam & agitatissimam, *de Christo pro omnibus omninò, & singulis hominibus mortuo*, iteratò à me in Scholis Theologicis dictatam; nunc verò

recognitam, & variis adjectis auctam: jamque spem feceram me eorum desiderio consilioque acquieturum. Sed ob certas, quæ postea supervenerunt, causas, & quas à me hîc proferri necesse non est; judicavi satiùs fore, si ejus editionem tantisper in tempus opportunius differrem. Dabit fortassis hæc ipsa dilatio occasionem novi auctarii, tibi non omninò ingrati.



LEMMATA

LEMMATA PRODROMA, MAGNAM LUCEM TRIBUS SEQUENTIBUS QUÆSTIONIBUS ALLATURA.

LEMMA PRIMUM.

Receptiores apud Græcos Mundi Conditi Periodos, earumq; originem, methodum, & discrimina explicare.

T apud Latinos, ita & apud Græcos Scriptores Christianos, diversissimas esse Æras, seu Periodos *Annorum à Mundo Condito*, seu *ab Adamo*, nemo non novit. At quæ sit harum origo, quæ methodus, quod artificium, quæ discrimina, ignorant permulti.

Qui ante Concilium Nicænum, aut exiguo post illud tempore scripserunt, eam annorum seriem ac summam, arbitratu suo singuli, confecere, quam ex Sacris Codicibus, seu Hebraicis, seu Græcis, Ecclesiasticâque ac prophanâ Historiâ elici existimarunt; nullâ, aut exiguâ Cyclorum Solis, Lunæ, ac Indictionum habitâ ratione. Cumque inter ipsa Sacrorum Librorum exemplaria, præsertim Græca, non conveniret de Annis Patriarcharum, aliisque similibus; hinc factum est ut non levis, quoad eorum summam, diversitas intercederet. Eusebio siquidem ejusque sequacibus, Anni ab Adamo ad Christum numerantur 5199; Epiphanio 5479; Africano 5500; aliis aliquanto plures. *Quæ ratio Annorum Mũdi apud Græcos usque ad Concilium Nicænum, ac paulò post illud.*

At qui paulò remotiùs à Concilio Nicæno scripsere, dum toti sunt in versandis Cyclis, concinnandisque Laterculis Paschalibus; animum applicarunt ad quasdam Annorum summas ita temperandas; ut ex iis (factâ divisione arithmeticâ per 28, 19, & 15) elici possent Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis, cuilibet Anno congruentes: ad eum ferè modum, quo nos ex Annis Periodi Julianæ; quamvis non sine diversitate numerorum ex tam diversarum Periodorum partitione emergentium. *Quæ aliquãto pòst.*

Post varia tentata, duæ præsertim apud Græcos hujusmodi Periodi invaluerunt. Earum altera sic aptata est; ut, labente Anno primo Æræ nostræ Vulgaris, exoriatur Annus ejus 5493: altera ita digesta; ut, eodem anno Vulgari fluente, fluere incipiat Annus ejus 5510. Harum singulis varia à variis imposita sunt nomina: ego, in re merè arbitrariâ, *priorem* malui vocare *Alexandrinam*; eo quòd Cyclos Lunæ Alexandrinos nobis exhibeat: *posteriorem* ideo *Constantinopolitanam* nomino; quod Ecclesia Constantinopolitana, aliæque ei subjectæ, ex eâ suos Mundi Annos supputent. *Duæ præcipuæ apud Græcos Periodi.*

Porrò

Discrimen inter has Periodos.

Porro ex jam dictis fit manifestum, inter annos harum duarum Periodorum eidem anno seu Dionysiano ac Vulgari nostro, seu Periodi Julianæ, respondentes, perpetuum esse discrimen septemdecim annorum, si merè ad eorum numeros attendamus; quamvis reipsâ in eumdem annum conspirent: quæ omnia clariora fient ex dicendis.

Discrimen inter Cyclos ex iis emergêtes;

Quàm diversi autem sint Cyclorum numeri ex jam dictâ partitione emergentes, si tum inter se, tum cum Cyclis Periodi Julianæ vulgò apud nos receptis conferantur, unico exemplo planum facio. Sumo Annum primum Æræ nostræ Vulgaris, seu Dionysianæ, qui est Periodi Julianæ 4714. Institutâ hujus numeri divisione per 28, 19, & 15; prodibit Cyclus Solis, 10; Lunæ, 2; Indictionis, 4. At si eâdem ratione partiar illi respondentem Annum Periodi Alexandrinæ 5493; existet Cyclus Solis, 5; Lunæ, 2; Indictionis, 3. Si denique similiter secetur correspondens Annus Periodi Constantinopolitanæ 5510; exsurget Cyclus Solis, 22; Lunæ, 19; Indictionis, 5. Obiter hîc observo Cyclum Lunæ Alexandrinum, divisione factâ ut suprà, semper eumdem esse cum vulgari nostro ac Dionysiano, qui ex illo derivatus est, & quem subinde Nicænum voco; tum quia ad Concilii Nicæni Canones ita conformatus est, ut ad ejus tempora relatus Novilunia proximè indicet; tum quia Cyclus 3, congruens anno Dionysiano 325, quo Concilium illud celebratum est, adscriptus est ipsis Calendis Januariis, quibus reipsâ eo anno fuit Novilunium: adeo ut singularem illius anni rationem habuisse videri possit Dionysius. De aliquo levi discrimine in Cyclis illis Calendario adscribendis, vide Petavium, *lib. 6 de Doctr. Temp.* Fient ea, quæ hactenus diximus, clariora ex Tabulâ primâ generali paulò pòst subjiciendâ.

quod in rê ipsam non redundat.

Cæterùm dicta Cyclorum ejusdem rationis (v. g. Solis) inter se diversitas in rem ipsam non redundat. Nam tam Alexandrinæ, quàm Constantinopolitanæ Periodi sectatores, eas Cyclis suis Solaribus aptant Litteras Dominicales in suis Calendariis, quæ cum nostris paria omninò faciant, easdemque Ferias ad eumdem diem Mensis, intra eumdem annum repræsentent. Eademque, cum proportione, est ratio de Cyclis Lunæ; nisi quod, quoad quosdam Constantinopolitanos, subinde intercedere videatur unius diei discrimen à nobis & ab Alexandrinis in indicando Novilunio Civili. Paulo longiùs abit Cyclus Indictionis emergens ex divisione annorum Periodi Alexandrinæ. Hic siquidem toto binario minor est quàm Julianus, & verus, in Januario cæterisque Mensibus consequentibus usque ad novi anni Alexandrini caput fixum in die 29 Augusti: postea solâ unitate discrepat à nostrâ supputatione Indictionum. Aliquam hujus rei rationem reddere quidem conatur S. Maximus, *Parte 1 Computi, cap.* 33: sed non videtur hujus diversitatis radicem pervidisse, quæ ex ipsius Periodi Alexandrinæ minùs rectè, quoad hoc, institutæ naturâ fuerat eruenda. Ideò etiam qui hujus Periodi Cyclos sectantur, neglecto suo Indictionum Cyclo in eamdem cum Constantinopolitanis Indictionem conveniunt. Quòd verò Indictio exsurgens ex partitione Periodi Constantinopolitanæ, nostram Indictionem superet unitate; inde oritur, quòd Constantinopolitani novam cum novo Anno Civili inchoent Indictionem in Septembri, quam nos seriùs, cum Curiâ Romanâ,

Excipienda Indictio consurgens ex Periodo Alexandrinâ.

à Christi

à Christi Natali inchoamus; à quo tempore ad insequentem usque Septembrem illi nobiscum conveniunt.

An autem Græcus aliquis Scriptor, qui aliquanto post Nicænam Synodum intervallo vixerit, Constantinopolitanæ, an Alexandrinæ Periodo insistat; nullo certiore indicio dignosces, quàm si advertas cui Mundi Anno Natalem Christi affigat, ejusque Passionem. Si enim Natum, aut Conceptum dicat Anno Mundi 5500, vel 5501; Passum Anno 5533, vel 5534 (duos enim annos contiguos, alterum exeuntem, alterum ineuntem sæpè confundunt Græci, ob diversitatem capitum Anni Ecclesiastici ac Civilis) indicium est, quod vix fallit, eum insistere Periodo Alexandrinæ. Si autem Christum apparuisse, Conceptum aut Natum esse statuat Anno 5505, vel 5506; vel, quoad Græcos Recentiores, 5509; Mortuum autem Anno 5539, vel 5540; vel, quoad Græcos Recentiores, 5542: colliges ab eo adhiberi Periodum Constantinopolitanam. Sunt tamen nonnulli qui hanc Periodum cum illâ imperitè misceant. *Quo indicio deprehendatur, quam quis Periodum sequatur.*

Illud verò notandum, tam Alexandrinam, quàm Constantinopolitanam Periodum, nihil aliud omninò esse, quàm aggregatum ex sæpiùs repetitâ Periodo annorum 532, exsurgente ex Cyclo Solis 28 ducto in Cyclum Lunæ 19: sicut ex iisdem Cyclis ac insuper Cyclo Indictionis 15, in se ductis, oritur Periodus Juliana constans Annis 7980, seu, quindecim Periodis Annorum 532, quæ apud nos Victorianæ appellantur. Illam hujus Periodi replicationem indicant varii è Græcis, dum scribunt Verbum Divinum Incarnatum post evolutos denos Circulos annorum 532, à Mundi Creatione; & undecimo circulo jam per tot vel tot Annos emenso. *Periodus utraque est Periodus Annorum 532 aliquoties replicata.*

LEMMA SECUNDUM.

A quo Mense Romano initium ducant Græcarum Periodorum Anni, definire.

QUemadmodum duplex apud Græcos est Annus; alter Ecclesiasticus, alter Civilis: ita duplex est Anni caput. Ver iniens caput est Anni Ecclesiastici; Autumnus iniens, Anni Civilis. De die præciso non satis inter eorum Scriptores convenit: & verò res illa, magnâ ex parte, ab uniuscujusque seu arbitrio, seu Hypothesibus dependet. *Duplex Anni caput apud Græcos.*

Author Chronici Siculi, aliàs Alexandrini (quod congruentiùs, Constantinopolitanum diceretur) Annum Ecclesiasticum orditur a 21 Martii: Georgius Syncellus, à 25 ejusdem Mensis: S. Maximus, à die 1 Aprilis. Civilem ordiuntur communissimè à die primo Septembris: Ægyptii tamen Periodi Alexandrinæ sectatores, ut paulò antè dicebamus, anni cardinem figunt in die 29 Augusti, à quo initium ducit primus eorum Mensis Thoth. Denique Isaac Monachus, *in suo Computo*, licèt Periodum Constantinopolitanam usurpet; mavult principium Anni Civilis sumi ab Octobri: & hic Mensis etiam Antiochenis Annum aperit. *A quo die Annum inchoent nonnulli.*

Unde incipiant Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis.

Quamvis autem anni jam dicti ex illis capitibus religentur; non eadem tamen est ratio initii Cyclorum, de quibus suprà. Cycli enim Solis ac Lunæ, quorumdam Græcorum usu, non ineunte Anno Civili; sed Ecclesiastico, adhiberi incipiunt. E contrario Indictio, ut antè monebamus, non mutatur ineunte Anno Ecclesiastico; sed Civili, die scilicet primo Septembris proximè sequentis; seu quinque circiter Mensibus post initium Anni Ecclesiastici, qui fit ejusdem numeri cum Civili. Nonnulli tamen Cyclum Solarem novum usurpare incipiunt ineunte Januario; quamvis Lunarem, ratione Paschatis, in Martio adhibere incipiant; alii aliter: quæ res, uti & diversitas initiorum Anni, miram paris confusionem in animis tum Lectorum, tum etiam ipsorummet Scriptorum.

LEMMA TERTIUM.

Annos Periodi Constantinopolitanæ comparare cum Annis Æræ Vulgaris.

Hypothesis.

IAm *Lemmate* 1, diximus, labente Anno 1 Æræ Vulgaris inchoari Annum Constantinopolitanum 5510. Ex hoc fonte Canones sequentes derivantur.

CANON PRIMUS: *Si detur Annus Periodi Constantinopolitanæ major quàm 5509; ex eo hic ipse numerus subducatur: supererit Annus Vulgaris Æræ Christianæ, quo labente nascitur annus datus, tam Ecclesiasticus, quàm Civilis.* v. g. Chronicon Alexandrinum Mortem Christi tribuit Anno Ecclesiastico Constantinopolitano ineunti 5540. Subtrahe 5509; supererit annus 31 Vulgaris.

Cautio adhibenda.

Quo Anno Constantinopolis verè sit à Turcis expugnata.

Quod si agatur de re, quæ ante initium novi Anni Græci contigerit; subtrahendi tantum erunt 5508. v. g. Scribit Georgius Phranzes, *lib.* 3, *cap.* 13, Constantinopolim fuisse à Turcis expugnatam Anno Mundi 6961, die 29 Maii, Feriâ 3. Hoc tempus, licet posterius initio Anni Ecclesiastici, quia priùs est initio Anni Civilis Græci eodem Anno Romano emergentis ineunte Septembri, & qui à Phranze attenditur; ideo subtrahendi tantum sunt Anni 5508: supereritque Annus Æræ Vulgaris 1453, ibidem ab illo Scriptore, teste oculato, signatus, quo certissimè clades illa contigit (quidquid Scaliger, & plures alii anno præcedente contigisse contendant) ut aliàs fusiùs probavi, *in Epistolâ quæ præfixa est Calendario & Astronomiæ Aquicinctinæ D. Joannis D'Espieres.* Egregiè confirmantur hæc ex *ejusdem libri Phranzæ, cap.* 20, ubi refert Author se die 1 Mensis Septembris proximè sequentis venditum fuisse à Turcis. Nam quia eo die iniit novus Annus Græcorum Constantinopolitanorum Civilis; ideò scribit id contigisse Anno 6962: aliunde verò quia idem erat Annus à Christi Natali supputatus; ideò eumdem, quem priùs, servat Annum Christi 1453; Vulgarem scilicet, & Dionysianum, cui Æræ recentiores Græci, ob commercium cum Latinis, se postremis hisce sæculis accommodârunt.

CANON

CANON SECUNDUS: *Si datus Annus Constantinopolitanus minor fuerit, quàm 5510, & ille ex hoc subtrahatur; supererit Annus ante Æram Vulgarem, quo fluente exoritur Annus datus.* V. G. Varii, de quibus infrà, Natalem Christi affigunt Decembri Anni Constantinopolitani 5506. Hunc subtrahe ex 5510: residuus est Annus 4 ante Æram Vulgarem, quo exoritur Annus ille 5506, initio seu Veris, seu Autumni, ad sensum antea explicatum.

CANON TERTIUS: *Dato Anno Æra Vulgaris adde 5509; conflabitur Annus Constantinopolitanus Anno dato emergens.* V. G. Baptismus Christi à pluribus conjicitur in Annum Dionysianum 28: scire cupis quotus sit Annus Constantinopolitanus. Adde 28 ad 5509; fiet Annus 5537 iniens Anno illo Vulgari 28. Sed quia die 6 Januarii, quo dicunt Baptismum à Christo esse susceptum, necdum inchoatus erat Annus 5537, seu Vernum, seu Autumnale ejus initium attendatur: ideò, si præcisè loqui velimus, sumendus erit Annus præcedens 5536, adhuc fluens in Januario, quo Anno reipsâ scribunt quidam Græci Baptismum Christi contigisse. Hæc cautio universim adhibenda est, quoties agitur de re peractâ ante initium anni alicujus Græci seu à Vere, seu ab Autumno inchoandi. Cautio adhibenda. Cautio adhibenda.

CANON QUARTUS: *Si datum Annum ante Æram Vulgarem subtraxeris ex 5510; supererit annus Constantinopolitanus iniens Anno dato.* V. G. Herodes Ascalonita Romæ declaratus est Judæorum Rex, Octobri Anni 40 ante Æram Vulgarem, ut postea declarabitur. Subductis 40 ex 5510, residuus est Annus 5470, iniens anno dato.

LEMMA QUARTUM.

Annos Periodi Alexandrinæ conferre cum Annis Æræ Vulgaris.

CUM, ex suprà explicatis, Annus 5493 Periodi Alexandrinæ ineat labente Anno primo Vulgari; hi Canones ex illâ hypothesi consequuntur. Hypothesis.

CANON PRIMUS: *Dato Anno Alexandrino majori quàm sit 5492, hunc ipsum subtrahe; prodibit Annus Vulgaris, quo labente nascitur Annus datus.* V. G. Georgius Syncellus statuit Christum natum Decembri Anni 5501: hinc subductis 5492, superest Annus Vulgaris 9, de quo infrà, *Quæst.* 1, *cap.* 9.

CANON SECUNDUS: *Datum Annum Alexandrinum, minorem quàm 5493, si ex hoc subduxeris; exsurget Annus ante Æram Vulgarem, quo labente datus Annus inchoatur.* V. G. Idem Georgius, *pag.* 19, statuit initium Olympiadum in Anno Mundi (inchoato à Vere) 4726. Hunc si tollas ex 5493; residuus erit Annus 767 ante Æram Vulgarem. Atqui jam apud omnes eruditos constat Olympiadum initium statuendum esse in æstate Anni 776 ante Æram Vulgarem. Solido igitur novennio hîc à vero aberrat Georgius; uti & alibi sæpius. Vide dicenda infrà, Quæst. 1, cap. 2, parag. *Caterùm.* Error Georgii Syncelli, quoad initium Olympiadum.

CANON TERTIUS: *Dato Anno Vulgari adde 5492; exsurget Annus Alexandrinus dato Anno iniens.* V. G. Expugnata est Hierosolyma à Tito Anno 70 Dionysiano: huic adde 5492; resultat 5562 Alexandrinus, eo anno Dionysiano iniens.

CANON QUARTUS: *Si datum Annum ante Æram Vulgarem subtraxeris ex 5493; supererit Annus Alexandrinus dato Anno iniens.* V. G. Antigonus, expugnatâ ab Herode & Sosio Hierosolymâ, Regno detrusus est Anno ante Æram Vulgarem 37. Factâ jam dictâ subtractione, reliquus erit Annus 5456 Alexandrinus, à Vere inchoatus.

Ex dictis facilè colliges quâ ratione inter se comparandi sint Anni Alexandrini & Constantinopolitani; & utrique cum Annis Periodi Julianæ.

LEMMA QUINTUM.

Rationem Annorum, quibus in suo Chronico utitur Eusebius Cæsariensis, exponere.

Cur Eusebii ratio specialis hic habeatur. VNUM hunc Chronologum præ reliquis mihi delegi, cujus methodum accuratiùs explanandam susciperem; tum quia per aliquot sæcula fuit apud plerosque Chronicon ejus velut temporum norma; tum quia id maximo nobis ad sequentes Quæstiones futurum est usui; tum quia video plurimos, in re satis apertâ, hærere; easque huic Scriptori affingere opiniones, quæ sint ab ejus mente alienissimæ.

Duo Annorum genera universaliora in Eusebio. Duo sunt universaliora Annorum genera, quibus Eusebius alias Epochas minùs latè patentes innectit: alterum *Annorum Mundi*; alterum *à Nativitate Abrahæ*; sed posteriore frequentiùs utitur: imò hi Anni per totum ejus Chronicon in peculiari columellâ sunt adscripti.

Unde initium ducât. A quo Anni Romani Mense utrique initium ducant, non omninò quidem constat: probabilissimum tamen videtur (quod etiam Petavio, *lib. 9 de Doctrinâ Temporum, cap. 1*, placuisse video) eorum caput esse Autumnum ineuntem, seu à die Æquinoctii; seu, quod ferè eôdem recidit, ab Octobri; quem Anni caput fuisse apud Syros, confinesque populos, significat Hieronymus, *Commentario in cap. 1 Ezechielis.*

Corollarium. Hoc posito, perspicuum fit, primum trimestre cujuslibet Anni Eusebiani occupare postremum trimestre Anni Romani, cujus Autumnô ineunte exoritur; postremum autem nonimestre Eusebianum esse primum nonimestre Anni Romani insequentis: adeóque quemlibet Annum Eusebianum duobus Annis Romanis contiguis, secundùm diversas & inæquales sui partes, respondere. Cautio adhibenda. Quia tamen observo Eusebii Annos, ratione majoris illius partis, passim componi cum eo Anno Romano, cujus Autumno ineunte desinunt: ideo & nos hanc sequemur acceptionem, dum Anni Eusebiani cum Romanis erunt conferendi; nisi peculiarem distinctionem unius partis Anni ab alterâ exigat peculiaris eventus, qui labente Autumno acciderit.

LEMMA

LEMMA SEXTUM.

Annos Mundi Eusebianos comparare cum Annis Periodi Julianæ & Æra Vulgaris.

SUmo hîc, quod ex Eusebiani Chronici texturâ satis colligitur, eum esse in illo situm Annorum Mundi, ut Annus 5201 jam à trimestri inchoatus labatur Januario Anni primi Æræ Vulgaris, & 4714 Periodi Julianæ, cujus Autumno incipiente expiret. Hoc dato, fit Hypothesis.

CANON PRIMUS. *Dato Anno Mundi Eusebiano auferas* 487; *supererit annus Periodi Julianæ, cujus Januario labitur Annus datus.* v. g. Ex Eusebii calculis Nativitas Abrahæ contigit Anno Mundi 3185: subductis 487, superest Annus Per. Jul. 2698. Quia autem Periodus Eusebiana Annorum Mundi major est quàm Juliana; ideoque primis Mundi sæculis Eusebianis locus illi subtractioni esse non potest, aliâ pro illis methodo opus foret. Sed cùm Quæstiones quas explicandas suscepimus, eam non exigant, abstinebo in præsens ab operosiore hujus rei explicatione.

CANON SECUNDUS. *Dato vicissim Anno Periodi Julianæ adde* 487, *prodibit Annus Mundi Eusebianus.* Patet ex Canone primo.

CANON TERTIUS. *Datum Annum Mundi minorem quàm* 5201, *si ex hoc subtrahas; supererit Annus ante Æram Vulgarem.* v. g. Subtrahe 3185 ex 5201, supererit Annus 2016 ante Æram Vulg. quo natus est Abraham ex opinione Eusebii.

CANON QUARTUS. *Datum Annum ante Æram Vulg. subtrahe ex* 5201; *residuus est Annus Mundi Eusebianus labens, qui dato respondet.* Patet ex Canone 3.

CANON QUINTUS. *Dato Anno Mundi majori quàm* 5200, *hunc ipsum detrahe; residuus erit Annus Æræ Vulgaris, qui dato post Calendas Januarias labenti congruit.* v. g. Eusebius Baptismum Christi tribuit Anno Mundi 5228 detrahe 5200; superest annus 28 Vulgaris.

CANON SEXTUS. *Datum Annum Vulgaris Æræ adde ad* 5200; *prodibit Annus Mundi Eusebianus correspondens.* Patet ex Canone 5.

LEMMA SEPTIMUM.

Annos Abrahæ Eusebianos conferre cum Annis Periodi Julianæ, & Æra Vulgaris.

EX Eusebii Chronico perspicuè patet Annum Abrahæ 2017 labentem concurrere cum Anno primo Æræ Vulgaris, & 4714 Per. Jul. Ex quo eliciuntur hi Canones. Hypothesis.

CANON PRIMUS. *Anno dato Abrahæ adde semper 2697, exsurget Annus Per. Jul. congruens dato.* v. g. Mors Julii Cæsaris tribuitur ab Eusebio Anno Abrahæ 1973: additis 2697, fit Annus Per. Jul. 4670, quo & reipsâ occisus est.

CANON SECUNDUS. *Detractis 2697 ex dato Anno Per. Jul. fit Annus Abrahæ labens.* Patet ex Can. 1.

CANON TERTIUS. *Datum Annum ante Æram Vulgarem detrahe ex 2017, reliquus erit Annus Abrahæ labens.* v. g. Julius Cæsar cæsus est Idibus Martiis Anni 44 ante Æram Vulgarem. Hunc detrahe ex 2017, residuus erit 1973, ut antea.

CANON QUARTUS. *Datum Annum Abrahæ minorem quàm 2017, ex hoc ipso subtrahe: prodibit Annus ante Æram Vulgarem conveniens dato.* Patet ex Can. 3.

CANON QUINTUS. *Dato Anno Abrahæ majore quàm 2016, hunc detrahe; supererit annus Æræ Vulgaris.* v. g. Initium prædicationis Christi, ejusque Baptismum statuit Eusebius Anno Abrahæ 2044. Ex hoc si demas 2016; superest 28 annus Æræ Vulgaris. Eâdem ratione colliges Christum, ex Eusebii sententiâ, mortuum fuisse Anno Vulgari 31, cùm ejus Passionem affigat Anno Abrahæ 2047. Sed de his plura infrà, *Quæst.* 2 & 3.

CANON SEXTUS. *Datum Annum Æræ Vulgaris adde ad 2016; emerget Annus Abrahæ Eusebianus labens, & respondens dato.* v. g. Hierosolyma à Tito expugnata est Anno Æræ Vulgaris 70: hunc adde ad 2016; summa erit 2086 Annus Abrahæ, cui etiam excidium illud tribuit Eusebius.

LEMMA OCTAVUM.

Quâ ratione Eusebius Annos Olympiadum cum Annis Abrahæ componat, exponere.

Utilitas hujus Lemmatis.

VTilissimum est hoc Lemma ad revincendos complures, qui, dum horum Annorum comparationem, qualis ab Eusebio instituitur, non satis assequuntur, eum antilogiæ reum faciunt; cùm ipsimet potiùs suam inscitiam prodant.

Methodus Eusebiana quoad Olympiadas.

Methodus, quam hac in parte servat Eusebius, est, ut hic aut ille annus cujuslibet Olympiadis tribuatur ei anno Abrahæ, cujus æstate inchoatur. v. g. Annus primus Olympiadis 65 sæpiùs & disertè ab hoc Scriptore tribuitur anno Abrahæ 1497. Cùm maximâ hujus anni parte (juxta prius dicta) concurrit annus Periodi Julianæ 4194, & ante Æram Vul. 520; cujus æstate peractum est ludicrum Olympicum 65, secundum jam annum regnante Dario Hystaspis, ut idem sæpiùs inculcat. Hinc sequitur annos cujuscumque Olympiadis tribui ab Eusebio ei anno Abrahæ, qui expiraturus est post trimestre à vero initio annorum Olympiacorum circa Solstitium æstiuum. Unde statim conficitur annos Olympiacos ita per prolepsin novem circiter mensium revocari ab Eusebio ad caput

ad caput anni Abrahæ, intra quem oriuntur; ut censeantur cum hoc inchoari præcedente Autumno: quod diligentissimè observandum est, ad complanandas multas difficultates. v. g. Julius Cæsar, juxta Eusebium, occisus est anno primo Olympiadis 184; qui tamen nonnisi post trimestre & amplius fuit reipsâ inchoatus.

LEMMA NONUM.

Ostendere quâ methodo utatur Eusebius in consignandis Annis Imperatorum, Regum, &c.

HIc etiam plurimum differt Eusebius à morosiore Recentiorum Chronologiâ, quâ Anni à momento ad momentum supputantur, minimè neglectis mensibus ac diebus, qui supra annos integros excurrunt; adeoque uno anno Civili inter plures Imperatores ac Reges partito, dum res exigit. Licet enim in suis epilogismis has minutias non penitùs omittat; exactam tamen earum rationem non habet, dum annos Principatuum in Tabulas digerit; sed ita perpetuò per annos integros procedit, ut jam unius Principatum per metalepsin extendat ad finem anni, cujus ne dimidium quidem occupavit; jam alterius Imperium per prolepsin revocet ad caput anni Civilis, quo labente, ac subinde pæne exeunte, dominari cœpit; jam denique annum inchoatum, imò ferè completum aliquibus adimat: quæ incommoda non possunt ita facilè vitari in eâ methodo solos annos integros Principibus imputante. *Eusebius per annos integros procedit.*

Fient hæc, quæ diximus, clariora, si à Julio Cæsare ad Titum signemus annos quibus Eusebius aut finem, aut initium tribuit Imperii singulorum. Obiit Julius Cæsar anno Abrahæ Eusebiano 1973, jam per sex ferè menses lapso, Idibus nimirum Martiis anni ante Æram Vulgarem 44. Ei tamen totus ille Abrahæ annus tribuitur, extenso per metalepsin ejus Imperio ad insequentem Autumnum, seu ad sex menses & amplius. Postremus Augusti annus est Eusebio Abrahæ 2029, desinens initio Autumni anni Æræ Vulg. 13; primus autem Tiberii est Abrahæ 2030, desinens ineunte Autumno Anni 14 Vulgaris; hoc est, sesquimense post mortem Augusti. Hujus ergo Imperio detrahuntur menses plusquam decem, qui per prolepsin Tiberio accedunt, ejus principatu revocato ad caput anni Syriaci, quo utitur Eusebius. Tiberii annus ultimus est 2052 Abrahæ, desinens Autumno Anni Dionysiani 36; cùm tamen desierit vivere die 17 Martii anni insequentis 37; atque ita sex ferè mensibus minuitur ejus Imperium, quod antea plusquam decem mensibus fuerat anticipatum: quam velut compensationem sæpiùs in Eusebio est observare. Caligulæ annus primus jungitur cum Anno Abrahæ 2053, ineunte Autumno anni Vulgaris 36; manifestâ utique totius ferè semestris prolepsi; cùm nonnisi 17 die Martii insequentis imperare cœperit. Postremus ejusdem annus est Abrahæ 2056 desinens expirante æstate anni Dionysiani 40; cùm tamen tantùm obierit primo die Februarii Anni 41; atque ita toto quadrimestri decurtatur ejus Principatus (antea, ut diximus, *Id exemplis declaratur.*

diximus, semestri auctus, spectato initio) quod accrescit Claudio successori. Neronis annus primus, sicut reipsâ init à die 13 Octobris Anni Dionysiani 54, ita vix pauculis diebus differt ab Anno Abrahæ 2071 ineunte eodem mense, cum quo componitur: sed postremus ejus annus, qui exæquatur anno Abrahæ 2084 desinenti cum æstate anni Vulgaris 68, per metalepsin extenditur, à die 10 Junii ejusdem anni ad initium Autumni insequentis. Annos Galbæ, Othonis & Vitellii in suis Tabulis non supputat Eusebius; quia nemo eorum uno solido anno regnaverat: sed Neroni proximè substituit Vespasianum, initium Imperii hujus ducendo ab illius morte: quamvis anno demum insequente, Mense Julio fuerit in Judæâ declaratus Imperator. Atque hic iterum se prodit notatu digna prolepsis novem mensium; qui tamen in antecessum Vespasiano attributi, compensantur postea subtractione totidem mensium. Nam ejus obitus conjicitur in annum Abrahæ 2094, qui anno Vulgari 78, ineunte Autumno expirat; cùm reipsâ mortuus sit anno dumtaxat insequente, die 24 Junii.

Claves Chronici Eusebiani.

Hæ sunt claves Chronici Eusebiani; quibus quicumque destitutus fuerit, nunquam in ejus adyta penetrabit. Hoc est velut filum Ariadnæum; quo dum carent varii è Recentioribus Chronologis, & se, & alios in amfractus inexplicabiles induunt, nunquam ex illo labyrintho, nisi hujus fili subsidio, evasuri.

Quæ Editio Eusebii præstantior.

Scaligeriana improbata ab ipso Scaligero, item à Goaro.

Ad extremum, rudiorem Lectorem monitum velim, emendatissimam inter omnes esse illam Chronici Eusebiani editionem, quam doctissimus Pontacus procuravit; quamvis hæc quoque suos habeat nævos, nec leves. At Græca Scaligeriana ita est à suo concinnatore interpolata variis additis & mutatis; ut sæpius ab Eusebii mente planè discrepet. Et verò vix in publicum prodire cœperat, cùm observatis ejus defectibus, Peiresco declaravit Scaliger Anno 1606, se aliam ejus editionem meditari velle, ut testatur Gassendus, *in Vitâ Peiresci*, *l.* 2, *pag.* 124; ubi addit, Scaligero non planè arrisisse illam, quæ jam tum primum absolvebatur. Videsis Goari Præfationem in Chronographiam Georgii Syncelli; item varia quæ præmittit suis in eumdem Scriptorem Annotationibus, *à pag.* 516 *ad* 528, ubi Scaligerum sæpiùs suggillat; ac nominatim *in Præfatione* Lectorem monet, ut quæ venditat Scaliger Excerpta Eusebii, *nil minùs quàm Eusebii Excerpta sibi persuadeat, ceu quæ plurima veterum Authorum dicta apud Georgium non extantia, & an scripserit Eusebius ignorata, nullâ conscientiâ, in Eusebium suum Scaligerum intrusisse noverit.* & paulò pòst subdit: *Vno verbo, quibusvis sibi placitis Eusebio adscriptis, non adeo restaurasse, quàm Eusebium penè composuisse arguitur.* Ita ille.

TABULA

TABULA PRIMA GENERALIS,

In quâ inter se comparantur Anni Periodi Iulianæ, Iuliani, & Æræ Vulgaris, cum Annis Periodi Alexandrinæ & Constantinopolitanæ, ac Cyclis Solis, Lunæ, & Indictionis, unicuique Periodo congruentibus:

ita tamen,

ut Cycli Periodi Iulianæ ineunte Ianuario fluant; reliqui labente anno Romano oriantur, sicut & Anni ipsi Periodi Alexandrinæ & Constantinopolitanæ hîc notati.

Initium ducit hæc Tabula ab Anno 40 Iuliano, quo, juxta nostram Chronologiam, conceptus est Ioannes Baptista; & desinit in Anno Iuliano 87, Vulgari 42, in quo Christi mortem statuunt Periodi Alexandrinæ Sectatores, quos hîc compendii causâ voco simpliciter Alexandrinos: sicut & Constantinopolitanos, Antiquiores Sectatores Periodi Constantinopolitanæ, quoad Chronologiam Christi.

Anni Periodi Julianæ	Anni Juliani correſpŏdentes.	Anni Æræ Vulgar. ante & poſt Chriſtū.		Tres Cycli Vulgares reſpondentes Annis Julianis hic ad lævam notatis.			Anni Periodi Alexādrinæ, ineuntes labentibus An. Julian. hic notatis	Tres Cycli reſpondentes Annis Periodi Alexandrinæ.			Anni Periodi Conſtantinop. ineuntes labētibus An Julian. hic notatis	Tres Cycli reſpondentes Annis Periodi Conſtantinopolitanæ			
				☼	☽	Ind.		☼	☽	Ind.		☼	☽	Ind.	
4708	40	6	Anni ante Æram Vulgarem.	4	15	13	5487	27	15	12	5504	16	13	14	Cŏceptio S. Joannis ex meâ ſententiâ.
4709	41	5		5	16	14	5488	28	16	13	5505	17	14	15	Incarnatio & Natalis Chriſti ex meâ ſent.
4710	42	4		6	17	15	5489	1	17	14	5506	18	15	1	Incarnatio & Natalis juxta Conſtantinop.
4711	43	3		7	18	1	5490	2	18	15	5507	19	16	2	
4712	44	2		8	19	2	5491	3	19	1	5508	20	17	3	
4713	45	1		9	1	3	5492	4	1	2	5509	21	18	4	Incarnatio & Natalis ex Vulgari opinione.
4714	46	1	Hinc incipiunt Anni Æræ Vulgaris, ſeu Dionyſianæ.	10	2	4	5493	5	2	3	5510	22	19	5	
4715	47	2		11	3	5	5494	6	3	4	5511	23	1	6	
4716	48	3		12	4	6	5495	7	4	5	5512	24	2	7	
4717	49	4		13	5	7	5496	8	5	6	5513	25	3	8	
4718	50	5		14	6	8	5497	9	6	7	5514	26	4	9	
4719	51	6		15	7	9	5498	10	7	8	5515	27	5	10	
4720	52	7		16	8	10	5499	11	8	9	5516	28	6	11	
4721	53	8		17	9	11	5500	12	9	10	5517	1	7	12	
4722	54	9		18	10	12	5501	13	10	11	5518	2	8	13	Incarnatio & Natalis juxta Alexandrinos.
4723	55	10		19	11	13	5502	14	11	12	5519	3	9	14	
4724	56	11		20	12	14	5503	15	12	13	5520	4	10	15	
4725	57	12		21	13	15	5504	16	13	14	5521	5	11	1	
4726	58	13		22	14	1	5505	17	14	15	5522	6	12	2	
4727	59	14		23	15	2	5506	18	15	1	5523	7	13	3	
4728	60	15		24	16	3	5507	19	16	2	5524	8	14	4	
4729	61	16		25	17	4	5508	20	17	3	5525	9	15	5	
4730	62	17		26	18	5	5509	21	18	4	5526	10	16	6	
4731	63	18		27	19	6	5510	22	19	5	5527	11	17	7	

Anni Periodi Julianæ.	Anni Juliani correſpõdentes.	An. Æræ Vulg.	Tres Cycli Vulgares reſpondentes annis Julianis hic ad lævam notatis. ✱	☽	Ind.	An Period Alexãdrinæ ineuntes labẽtibus annis Julianis hic notatis	Tres Cycli reſpondentes Annis Periodi Alexandrinæ. ✱	☽	Ind.	An. Periodi Conſtantinopolitanæ ineuntes labentibus An. Julian. hic notatis	Tres Cycli reſpondentes Annis Periodi Conſtantinopolitanæ. ✱	☽	Ind.	
4732	64	19	28	1	7	5511	23	1	6	5528	12	18	8	
4733	65	20	1	2	8	5512	24	2	7	5529	13	19	9	
4734	66	21	2	3	9	5513	25	3	8	5530	14	1	10	
4735	67	22	3	4	9	5514	26	4	9	5531	15	2	11	
4736	68	23	4	5	11	5515	27	5	10	5532	16	3	12	
4737	69	24	5	6	12	5516	28	6	11	5533	17	4	13	
4738	70	25	6	7	13	5517	1	7	12	5534	18	5	14	
4739	71	26	7	8	14	5518	2	8	13	5535	19	6	15	
4740	72	27	8	9	15	5519	3	9	14	5536	20	7	1	Baptiſmus Novẽbri ex probabili ſentẽtia
4741	73	28	9	10	1	5520	4	10	15	5537	21	8	2	Baptiſmus Chriſti Cõſtantinopolitanis
4742	74	29	10	11	2	5521	5	11	1	5538	22	9	3	
4743	75	30	11	12	3	5522	6	12	2	5539	23	10	4	
4744	76	31	12	13	4	5523	7	13	3	5540	24	11	5	Mors Chriſti Cõſtantinopolitan. & mihi.
4745	77	32	13	14	5	5524	8	14	4	5541	25	12	6	
4746	78	33	14	15	6	5525	9	15	5	5542	26	13	7	
4747	79	34	15	16	7	5526	10	16	6	5543	27	14	8	
4748	80	35	16	17	8	5527	11	17	7	5544	28	15	9	
4749	81	36	17	18	9	5528	12	18	8	5545	1	16	10	
4750	82	37	18	19	10	5529	13	19	9	5546	2	17	11	
4751	83	38	19	1	11	5530	14	1	10	5547	3	18	12	
4752	84	39	20	2	12	5531	15	2	11	5548	4	19	13	Baptiſmus Chriſti Alexandrinis.
4753	85	40	21	3	13	5532	16	3	12	5549	5	1	14	
4754	86	41	22	4	14	5533	16	4	13	5550	6	2	15	
4755	87	42	23	5	15	5534	18	5	14	5551	7	3	1	Mors Chriſti Alexandrinis.

TABULA SECUNDA GENERALIS

In quâ Anni Periodi Iulianæ, Iuliani, Æræ Vulgaris, Imperatorum, Herodis, filiorum ejus, Urbis Conditæ Varroniani, Christi, secundùm nostram sententiam, & Olympiadum, cùm Litteris Dominicalibus, tum verè Iulianis, tum erroneis, & Cyclo Lunæ Vulgari, & Indictionis, variisque eventibus, nostras Quæstiones illustrantibus.

Initium ducit hæc Tabula ab Anno primo Iuliano, seu, 45 ante Æram Vulgarem; & desinit in Anno nonagesimo Iuliano, seu, 45 Æræ Vulgaris.

Litteras Dominicales erroneas hîc voco illas, quæ ex vitiosâ intercalatione sub Augusto consequuntur, & Calendario, ut tunc in usu populari erat, congruunt.



Periodus Juliana.	Anni Juliani.	Litteræ Domin. Julianæ.	Litt. Erroneæ.	CONSULES.	Anni ante Æram Vulg.	Cyclus Lunæ.	Indictio.
4669	1	CB		C. Jul. Cæſar IV, ſine Collega.	45	14	4
4670	2	A		C. Jul. Cæſar V. M. Antonius.	44	15	5
4671	3	G		C. Vibius Panſa. A. Hirtius.	43	16	6
4672	4	F	F E	M. Æmilius Lepidus II. L. Munatius Plancus.	42	17	7
4673	5	ED	D	P. Servilius Iſauricus. II. L. Antonius.	41	18	8
4674	6	C	C	Cn. Domit. Calvinus II. C. Aſinius Pollio.	40	19	9
4675	7	B	B A	L. Martius Cenſorinus. C. Calviſius Sabinus.	39	1	10
4676	8	A	G	Ap. Claudius Pulcher. C. Norbanus Flaccus.	38	2	11
4677	9	G F	F	M. Vipſanius Agrippa. L. Caninius Gallus.	37	3	12
4678	10	E	E D	L. Gellius Poplicola. M. Cocceius Nerva.	36	4	13
4679	11	D	C	Sex. Pompeius. L. Cornificius.	35	5	14
4680	12	C	B	M. Antonius II. L. Scribonius Libo.	34	6	15
4681	13	B A	A G	C. Cæſar Octavianus. II. L. Volcatius Tullus.	33	7	1
4682	14	G	F	Cn. Domit. Ahenobarbus C. Soſius.	32	8	2
4683	15	F	E	C. Cæſar III. M. Meſſala Corvinus.	31	9	3
4684	16	E	D C	C. Cæſar IV. M. Licinius Craſſus.	30	10	4
4685	17	D C	B	C. Cæſar V. Sex. Apuleius.	29	11	5
4686	18	B	A	C. Cæſar VI. M. Agrippa II.	28	12	6

Periodus Juliana.	Anni Augusti à mor. Jul.	Anni Regni Herodis. Epocha Romana.	Epocha Hierosolymitana.	Eventus Varii.	Anni Urbis Cond.	Anni Olympiadum.	
4669					708 709	183	3 4
4670	1			Occiditur Julius Cæsar Idibus Martii.	709 710	184	4 1
4671	1 2			Augustus Consulatum invadit Septembri; postea Triumviratum Novemb.	710 711		1 2
4672	2 3				711 712		2 3
4673	3 4				712 713		3 4
4674	4 5	 1.		Herodes Romæ declaratur Rex mense Octobri.	713 714	185	4 1
4675	5 6	1. 2.			714 715		1 2
4676	6 7	2. 3.		Annus 1 Æræ Hispanicæ.	715 716		2 3
4677	7 8	3. 4.	 1.	Antigonus Regno detruditur ab Herode.	716 717		3 4
4678	8 9	4. 5.	1. 2.		717 718	186	4 1
4679	9 10	5. 6.	2. 3.		718 719		1 2
4680	10 11	6. 7.	3. 4.		719 720		2 3
4681	11 12	7. 8.	4. 5.		720 721		3 4
4682	12 13	8. 9.	5. 6.		721 722	187	4 1
4683	13 14	9. 10.	6. 7.	Pugna Actiaca die 2 Septemb.	722 723		1 2
4684	14 15	10. 11.	7. 8.	Mors Antonii & Cleopatræ. Herodes ad Cæsarem victorem venit.	723 724		2 3
4685	15 16	11. 12.	8. 9.		724 725		3 4
4686	16 17	12. 13.	9. 10.	Primus generalis Census Augusti.	725 726	188	4 1

Periodus Juliana.	Anni Juliani.	Litteræ Domin. Julianæ.	Litt. Erroneæ.	CONSULES.	Anni ante Æram Vulg.	Cyclus Lunæ.	Indictio.
4687	19	A	G F	C. Cæsar VII. M. Agrippa III.	27	13	7
4688	20	G	E	C. Cæsar VIII. T. Statil. Taurus II	26	14	8
4689	21	F E	D	C. Cæsar IX. M. Junius Silanus.	25	15	9
4690	22	D	C B	C. Cæsar X. C. Norbanus Flaccus.	24	16	10
4691	23	C	A	C. Cæsar Augustus XI. Cn. Calpurnius Piso.	23	17	11
4692	24	B	G	M. Claudius Marcellus. L. Arruntius Nepos.	22	18	12
4693	25	A G	F E	M. Lollius. Q. Æmilius Lepidus.	21	19	13
4694	26	F	D	M. Apuleius Nepos, P. Silius Nerva.	20	1	14
4695	27	E	C	Q. Sentius Saturninus. Q. Lucretius Vespillo.	19	2	15
4696	28	D	B A	P. Cornelius Lentulus. Cn. Cornelius Lentulus.	18	3	1
4697	29	C B	G	C. Furnius. C. Julius Silanus.	17	4	2
4698	30	A	F	L. Domitius Ahenobarbus. P. Cornelius Scipio.	16	5	3
4699	31	G	E D	M. Livius Drusus. L. Calpurnius Piso.	15	6	4
4700	32	F	C	Cn. Corn. Lentulus. M. Licinius Crassus.	14	7	5
4701	33	E D	B	Ti. Claudius Nero. P. Quintilius Varus.	13	8	6
4702	34	C	A G	M. Valerius Messala. P. Sulpitius Quirinus.	12	9	7
4703	35	B	F	Paulus Fabius Maximus. Q. Ælius Tubero.	11	10	8
4704	36	A	E	Julus Antonius. Q. Fabius Maximus.	10	11	9

Periodus Juliana.	Anni Augusti à mor. Jul.	Anni Regni Herodis.		EVENTUS VARII.			Anni U.C.	Anni Olymp.
4687	17 18	13. 10 14. 11.		Cæsar titulo Augusti honoratur.			726 727	188 1 2
4688	18 19	14. 11. 15. 12.					727 728	2 3
4689	19 20	15. 12. 16. 13.					728 729	3 4
4690	20 21	16. 13. 17. 14.					729 730	189 4 1
4691	21 22	17. 14 18. 15.		Hinc fluunt Anni Trib. Potestatis Augusti.			730 731	1 2
4692	22 23	18. 15. 19. 16					731 732	2 3
4693	23 24	19. 16. 20. 17.					732 733	3 4
4694	24 25	20. 17. 21. 18.		Augustus in Syria. Nascitur Caius Cæsar.			733 734	190 4 1
4695	25 26	21 18. 22. 19.					734 735	1 2
4696	26 27	22 19. 23. 20.					735 736	2 3
4697	27 28	23. 20. 24. 21.		Nascitur Lucius Cæsar.			736 737	3 4
4698	28 29	24. 21. 25. 22.					737 738	191 4 1
4699	29 30	25. 22. 26. 23.					738 739	1 2
4700	30 31	26. 23. 27. 24.					739 740	2 3
4701	31 32	27. 24. 28. 25.					740 741	3 4
4702	32 33	28. 25. 29. 26.		Herodes Cæsaream absolvit & dedicat.			741 742	192 4 1
4703	33 34	29. 26. 30. 27.					742 743	1 2
4704	34 35	30. 27. 31. 28.					743 744	2 3

Periodus Juliana.	Anni Juliani.	Litteræ Dominicales.	Litteræ erroneæ	CONSULES.	Anni Æræ Vulg.	Cyclus Lunæ.	Indictio.
4705	37	G F	D C	Cl. Drusus Nero. L. Quinctius Crispinus.	9	12	10
4706	38	E	B	C. Marcius Censorinus. C. Asinius Gallus.	8	13	11
4707	39	D	A	Tiberius Nero II. Cn. Calpurnius Piso.	7	14	12
4708	40	C	G	Dec. Lælius Balbus. C. Antistius Vetus.	6	15	13
4709	41	B A	F	Augustus Cæsar XII. L. Cornel. Sulla.	5	16	14
4710	42	G	E	C. Calvisius Sabinus. L. Passienus Rufus.	4	17	15
4711	43	F	D	Cn. Cornel. Lentulus. M. Valerius Messalinus.	3	18	1
4712	44	E	C	Augustus XIII. M. Plautius Silvanus.	2	19	2
4713	45	DC	B	Cossus Cornel. Lentulus. L. Calpurnius Piso.	1	1	3
4714	46	B	A	C. Cæsar Nepos Augusti. L. Æmilius Paulus.	1 Anni Æræ Vulgaris	2	4
4715	47	A	G	P. Vinitius Nepos. P. Alphenus Varus.	2	3	5
4716	48	G	F	M. Servilius. L. Ælius Lamia.	3	4	6
4717	49	FE	E	Sex. Ælius Catus. C. Sentius Saturninus.	4	5	7
4718	50	D	Hic definit correctio Calendarii facta per Augustum.	C. Cornelius Cinna. L. Valerius Messala.	5	6	8
4719	51	C		M. Æmilius Lepidus. Lucius Arruntius.	6	7	9
4720	52	B		Q. Metellus Creticus. Aul. Lic. Nerva Silanus.	7	8	10
4721	53	A G		M. Furius Camillus. Sex. Nonius.	8	9	11
4722	54	F		Q. Sulpit. Camerinus. C. Poppæus Sabinus.	9	10	12

Periodus Juliana.	Anni Augusti à mor. Jul.	Anni Regni Herodis.	Anni Herediadû.	EVENTUS VARII.		Veri Anni Christi.	Anni U. C.	Anni Olymp.	
4705	35 36	31. 28. 32. 29.	Anni Principatûs Archelai, & aliorum filiorum Herodis.				744 745	192	3 4
4706	36 37	32. 29. 33. 30.		Secundus Census generalis Augusti.			745 746	193	4 1
4707	37 38	33. 30. 34. 31.					746 747		1 2
4708	38 39	34. 31. 35. 32.		Tiberius Rhodum adit. Joannes cōcipitur Octob.			747 748		2 3
4709	39 40	35. 32. 36. 33.		CHRISTUS nascitur Decembri.		1	748 749		3 4
4710	40 41	36. 33. 37. 34.	1	Mors Herodis ante Pascha.		1 2	749 750	194	4 1
4711	41 42		1 2			2 3	750 751		1 2
4712	42 43		2 3	Julia, post detecta adulteria, relegatur.		3 4	751 752		2 3
4713	43 44		3 4	Caius Cæsar in Orientem proficiscitur.		4 5	752 753		3 4
4714	44 45		4 5	Hinc incipit Æra Vulg.		5 6	753 754	195	4 1
4715	45 46		5 6	Lucius Cæsar moritur. Tiberius Romam redit.		6 7	754 755		1 2
4716	46 47		6 7			7 8	755 756		2 3
4717	47 48		7 8	Caius Cæsar moritur Tiberius ab Augusto adoptatur		8 9	756 757		3 4
4718	48 49		8 9			9 10	757 758	196	4 1
4719	49 50		9 10	Archelaus relegatus.		10 11	758 759		1 2
4720	50 51		10 11			11 12	759 760		2 3
4721	51 52		11 12			12 13	760 761		3 4
4722	52 53		12 13			13 14	761 762	197	4 1

Periodus Juliana.	Anni Juliani.	Litteræ Dominicales.	CONSULES.	Anni Æræ Vulg.	Cyclus Lunæ.	Indictio.
4723	55	E	P. Cornel. Dulabella. C. Junius Silanus.	10	11	13
4724	56	D.	M. Æmilius Lepidus. T. Statilius Taurus.	11	12	14
4725	57	C B	Germanicus Cæsar. C. Fonteius Capito.	12	13	15
4726	58	A	L. Munatius Plancus. C. Silius.	13	14	1
4727	59	G	Sextus Pompeius. Sextus Apuleius.	14	15	2
4728	60	F	Drusus Cæsar. Norbanus Flaccus.	15	16	3
4729	61	E D	T. Stat. Sisenna Taurus. L. Scribonius Libo.	16	17	4
4730	62	C	C. Cælius Rufus. L. Pomponius Flaccus.	17	18	5
4731	63	B	Tiberius Aug. III. Germanicus II.	18	19	6
4732	64	A	M. Juneus Silanus. L. Norb. Flaccus Balbus.	19	1	7
4733	65	G F	M. Valer. Messala. M. Aurelius Cotta.	20	2	8
4734	66	E	Tiberius August. IV. Drusus Tiberii F. II.	21	3	9
4735	67	D	C. Sulpitius Galba. D. Haterius Agrippa.	22	4	10
4736	68	C	C. Asinius Pollio. C. Antistius Vetus.	23	5	11
4737	69	B A	Serg. Cornel. Cethegus. L. Visellius Varro.	24	6	12
4738	70	G	Cos. Corn Lentul. Isauric. M. Asinius Agrippa.	25	7	13
4739	71	F	C. Corn. Lentul. Getul, C. Calvisius Sabinus.	26	8	14
4740	72	E	M. Licinius Crassus. L. Calphurnius Piso.	27	9	15

Periodus Juliana.	Anni Augusti à mor. Jul. / Anni Tiberii Monarchæ.	Anni Herodiadum.	EVENTUS VARII.	Veri Anni Christi	Anni Urbis Cond.	Anni Olympiadum.
4723	53 54	13 14		14 15	762 763	197 1 2
4724	54 55	14 15		15 16	763 764	2 3
4725	55 56	15 16	Tiberius fit consors Imperii.	16 17	764 765	3 4
4726	56 57	16 17		17 18	765 766	198 4 1
4727	57 1	17 18	Mors Augusti, die 19 Aug Succedit Tiberius.	18 19	766 767	1 2
4728	1 2	18 19		19 20	767 768	2 3
4729	2 3	19 20		20 21	768 769	3 4
4730	3 4	20 21		21 22	769 770	199 4 1
4731	4 5	21 22		22 23	770 771	1 2
4732	5 6	22 23	Caiphas fit Pontifex ad annos 17.	23 24	771 772	2 3
4733	6 7	23 24		24 25	772 773	3 4
4734	7 8	24 25		25 26	773 774	200 4 1
4735	8 9	25 26		26 27	774 775	1 2
4736	9 10	26 27		27 28	775 776	2 3
4737	10 11	27 28		28 29	776 777	3 4
4738	11 12	28 29	Pilatus fit Iudææ Procurator.	29 30	777 778	201 4 1
4739	12 13	29 30		30 31	778 779	1 2
4740	13 14	30 31	Baptizatur CHRISTUS Novembri, vel Januario insequente.	31 32	779 780	2 3

Periodus Juliana.	Anni Juliani.	Litteræ Domin. Julianæ.	CONSULES.	Anni Æræ Vulg.	Cyclus Lunæ.	Indictio.
4741	73	DC	Ap. Junius Silanus. P. Silius Nerva.	28	10	1
4742	74	B	C. Rubellius Geminus. C. Fufius Geminus.	29	11	2
4743	75	A	M. Vinitius Quartinus. C. Cassius Longinus.	30	12	3
4744	76	G	Tiberius Aug. V. L. Ælius Seianus.	31	13	4
4745	77	FE	Cn. Domit. Ahenob. A. Vitellius.	32	14	5
4746	78	D	Ser. Sulpitius Galba. L. Cornel. Sulla.	33	15	6
4747	79	C	Paul. Fabius Persicus. L. Vitellius Nepos.	34	16	7
4748	80	B	C. Cestius Gallus. M. Servil. Rufus.	35	17	8
4749	81	AG	Q. Plautius Lælianus. Sex. Papinius Gallienus.	36	18	9
4750	82	F	C. Acerronius Proculus. C. Pontius Nigrinus.	37	19	10
4751	83	E	M. Aquilius Julianus. P. Nonius Asprenas.	38	1	11
4752	84	D	C. Caligula II. L. Apronius Cæsianus.	39	2	12
4753	85	CB	C. Caligula III. L. Gellius Poplicola.	40	3	13
4754	86	A	C. Caligula IV. Cn. Sentius Saturninus.	41	4	14
4755	87	G	Tib. Claudius Aug. II. C. Licinius Cæcina.	42	5	15
4756	88	F	Claudius Aug. III L. Vitellius II.	43	6	1
4757	89	ED	C. Quintius Crispinus. T. Statilius Taurus.	44	7	2
4758	90	C	M. Vinitius Quartinus. M. Statilius Corvinus.	45	8	3

Periodus Juliana.	Anni Tiberii.	Anni Herodiadum.	Anni Agrippinæ.	EVENTUS VARII.	Veri Anni Christi.	Anni U. C.	Anni Olymp.
4741	14 15	31 32		Primus Annus Prædicationis CHRISTI.	32 33	780 781	201 3 4
4742	15 16	32 33		Annus 2 Prædicationis.	33 34	781 782	202 4 1
4743	16 17	33 34		Annus 3 Prædicationis.	34 35	782 783	1 2
4744	17 18	34 35		CHRISTUS crucifigitur die 23 Martii.	35 36	783 784	2 3
4745	18 19	35 36	Principatus Agrippæ nepotis Herodis		36 37	784 785	3 4
4746	19 20	36 37			37 38	785 786	203 4 1
4747	20 21	37 38			38 39	786 787	1 2
4748	21 22	38 39			39 40	787 788	2 3
4749	22 23	39 40			40 41	788 789	3 4
4750	23 1 Anni Caligulæ	40 41	1	Moritur Tiberius die 16 Martii. Josephus Historicus nascitur.	41 42	789 790	204 4 1
4751	1 2	41 42	1 2		42 43	790 791	1 2
4752	2 3	42 43	2 3		43 44	791 792	2 3
4753	3 4	43	3 4	Herodes Antipas relegatur.	44 45	792 793	3 4
4754	4 1 Anni Claudii		4 5	Caius Caligula occiditur die 24 Januarii.	45 46	793 794	205 4 1
4755	1 2		5 6		46 47	794 795	1 2
4756	2 3		6 7		47 48	795 796	2 3
4757	3 4		7	Agrippa Rex Judææ moritur.	48 49	796 797	3 4
4758	4 5				49 50	797 798	206 4 1

HÆC TABULA SUBSERVIT

PRIMO dignoſcendis Feriis hebdomadariis Incarnationis, Natalis, & Baptiſmi CHRISTI, uti & aliorum geſtorum. Sed ante Annum Vulgarem 5, ſumenda eſt Littera Dominicalis erronea, ex Tabulâ generali ſecundâ.

SECUNDO, ex eâdem Tabulâ generali deſumptus Cyclus Lunæ Vulgaris, indicat Novilunia ut communiter attenduntur à Computiſtis. Si ea exactiùs circa tempus vitæ Chriſti explorare lubeat, ſumendus erit Cyclus Lunæ, Iulianus Vulgari reſpondens in Tabellâ hîc adjunctâ.

DECEMBER.

Dies Mensis Vulgares.	Dies Mensis Romani	Litteræ Dominicales.	Cycl. Lunæ Dionysianus.	Cycl. Lunæ Julianus.	Dies Mensium Ægyptiacorũ.
1 2	Kal. 4	f g	13 2	11	5 6 Choiac.
3 4	3 Prid.	A b	10	19 8	7 8
5 6	Non. 8	c d	18	16	9 10
7 8	7 6	e f	7	5	11 12
9 10	5 4	g A	15 4	13 2	13 14
11 12	3 Prid.	b c	12	10	15 16
13 14	Idib. 19	d e	1	18	17 18
15 16	18 17	f g	9	7	19 20
17 18	16 15	A b	17 6	15 4	21 22
19 20	14 13	c d	14	12	23 24
21 22	12 11	e f	3	1	25 26
23 24	10 9	g A	11 19	9	27 28
25 26	8 7	b c	8	17 6	29 30
27 28	6 5	d e	16	14	1 2 Tybi.
29 30	4 3	f g	5	3	3 4
31	Prid.	A	13	11	5

JANUARIUS.

Dies Mensis Vulgares.	Dies Mensis Romani.	Litteræ Dominicales.	Cycl. Lunæ Dionysianus.	Cycl. Lunæ Julianus.	Dies Mensium Ægyptiacorũ.
1 2	Kal. 4	A b	3	1	6 7 Tybi.
3 4	3 Prid.	c d	11	9	8 9
5 6	Non. 8	e f	19 8	17 6	10 11
7 8	7 6	g A	16	14	12 13
9 10	5 4	b c	5	3	14 15
11 12	3 Prid.	d e	13 2	11	16 17
13 14	Idib. 19	f g	10	13 8	18 19
15 16	18 17	A b	18	16	20 21
17 18	16 15	c d	7	5	22 23
19 20	14 13	e f	15 4	13 2	24 25
21 22	12 11	g A	12	10	26 27
23 24	10 9	b c	1	18	28 29
25 26	8 7	d e	9	7	30 1 Mechir.
27 28	6 5	f g	17 6	15 4	2 3
29 30	4 3	A b	14	12	4 5
31	Prid.	c	1	1	6

Qui Cycli Lunæ Juliani Dionysianis respondeant iisdem annis.

Dionysiani.	Juliani.
1	7
2	8
3	9
4	10
5	11
6	12
7	13
8	14
9	15
10	16
11	17
12	18
13	19
14	1
15	2
16	3
17	4
18	5
19	6

R. P.
MICHAELIS SENESCHALLI
E SOCIETATE JESU,
QVÆSTIO PRIMA.
De anno, menſe, die, Chriſti nati.

CAPUT PRIMUM.

Difficilis quidem, non tamen deſperanda eſt veri Anni Natalis Chriſti deſignatio. Cur præmittantur variantes Scriptorum opiniones, & quàm ægrè ſubinde poſſit aliquid certi de illis ſtatui.



ÆPE animum ſubit admiratio tum arcanæ providentiæ divinæ in tegendis ſingularibus temporum periſtaſibus ad Salvatoris noſtri Natalem, ejuſque vitam reliquam ſpectantibus; tum indiligentiæ antiquiorum Scriptorum in illis indagandis & ad nos tranſmittendis, aſſignatis certis & immobilibus characteribus. Extant paſſim in Hiſtoriâ ſacrâ ac profanâ, ſceleſtiſſimorum etiam hominum, imò & Urbium Natales indubitatis notis expreſſi: Mundum autem latet non tantùm pretioſum illud momentum, quo Verbum divinum aut in utero Virginis carnem induere dignatum eſt, aut ex eo in lucem hanc prodire: ſed etiam annus ipſe tanto conſecratus prodigio, tantóque in nos beneficio. Nimirùm Theander noſter etiam ex hac parte *verè eſt Deus abſconditus*; ita tamen ut *non* penitùs *ſine teſtimonio ſeipſum reliquiſſe* videatur; nec ſit omninò ſublata ſpes votis aliquando potiundi, ſi, quâ par eſt tum diligentiâ, tum circumſpectione, variis, quæ ad manum ſunt, ſubſidiis utamur. Quemadmodum enim Deus-Infans, ita cunas ſuas ſtabuli latebris involvit; ut nihilominùs Sapientes longiſſimè diſſitos ad eas ſtellâ duce evocarit: ſic & Natalis ſui tempus non adeò denſis tenebris implicuiſſe cenſendus eſt; quin etiam nobis tanto tot ſæculorum ſpatio ſejunctis voluerit exiguum aliquem radium ſupereſſe, cujus ductu deprehendi poſſet. Credamus igitur obſcuritate ipsâ provocari alacritatem noſtram; non autem veritatis aſſequendæ induci deſperationem; nobiſque perſuadeamus fore, ut, eo ipſo, quem quærimus, indaginem noſtram adjuvante, *dies diei eructet verbum*, *& nox nocti indicet ſcientiam.*

Obſcuritas Anni Natalis Chriſti;

Spes tamen ejus deprehendendi.

Porrò ut in diſputationibus Philoſophicis ac Theologicis præmitti plerumque ſolent variantes Scriptorum opiniones: ita & hîc (quod ſuprà generaliùs monebam

Quâ methodo, & cur ſingulo-

tum Annorum patroni allegentur. bam in Præfatione) eàdem methodo mihi utendum existimavi, & in ipso aditu, sub unum velut conspectum, subjiciendum quid antiquissimi Patres, aut etiam alii è Veteribus, quid medii ævi, quid postremorum sæculorum, nostræque adeò ætatis Scriptores de hac quæstione senserint. Sic enim fiet, ut & insperata diversitas admirationem Lectori pariat voluptati conjunctam, & ejus studium excitet non parum. Illud insuper accedet commodi, quod nonnullis quorumdam Recentiorum Chronologorum opinionibus hâc ratione efficaciùs detrahenda sit authoritas, quàm sibi ab antiquitate arrogant perquàm injustè; & tanta primorum Ecclesiæ columinum, aliorúmque, doctissimorum etiam virorum, contrarietas in designando Christi Natali, faciliùs ostensura sit, quanta nobis etiamnum relinquatur de propositâ difficultate sentiendi libertas. Quo minùs mirum videri debebit, si, ex rationibus olim non accuratissimè expensis, quædam proferamus, quæ cum Antiquorum judiciis non usquequaque consentiant.

Eorum mẽs sæpe obscura. Quo autem præcisè anno hic aut ille Scriptor Christum natum statuat, persæpè haud paulò difficilius est definire, quàm sibi fingant nonnulli, qui, minùs introspectâ Authorum mente, de plano pronuntiant. Hinc fit ut non raró hujusmodi homines solo, quem verba primùm edunt, sono contenti, eas nonnullis opiniones adscribant, quæ illorum menti adversentur vel maximè. Quàm latè grassetur hoc malum, nullo negotio animadvertet, qui nostra hæc, non oscitanter, ni fallor, expensa contulerit cum nonnullorum acervis ex ingenti Scriptorum turbâ conflatis, quorum plerique nihil minùs docuerint, quàm quod illis affingitur.

Causæ hujus obscuritatis, Tantæ subinde obscuritatis causa multiplici ex capite oritur. Primò enim plerique eâ utuntur Annorum expressione, quæ non levem animo legentis ingeneret ambiguitatem: seu quia illa plures admittit acceptiones: seu quia ex incerto annorum cardine religata dependet. Alii deinde, nec pauci, quamvis characteres chronologicos de se errori minimè obnoxios adhibeant; dum tamen alios prioribus minimè cohærentes miscent, incertum dimittunt suum Lectorem. Neque soli hoc vitio laborant Antiquiores, quibus necdum ita nota aut familiaris erat exactior methodus Chronologica; sed etiam Recentiores permulti, neque ii ex postremis. Illud quoque obscuritatem parit, quod non pauci ex Antiquioribus, Orientalibus maximè, etsi annum satis præcisè definiant, solido ferè anno quoad Mensem Natalis Christi discrepent ab Occidentalibus, dum hi in exeuntem Decembrem illum referunt, illi in Januarii diem 5 aut 6. Ex quo fit ut nonnulli dum ad id animum non advertunt, integri fermè anni discrimine ab iis absint, quos profitentur se duces sequi. Anceps quoque apud Græcos est vox *παρουσία*, id est *præsentia*, seu *adventus*, quæ jam pro Christi nativitate in utero Virginis, jam pro nativitate ex utero sumitur; & hæc uni subinde anno adscribitur, illa alteri; pro diversis annorum capitibus.

ad quam etiam conferunt varia Annorum & Epocharum capita, Turbat quoque non parum annorum popularium diversitas, & multiplicia eorum initia à Brumâ, à Vere, à Solstitio æstivo, ab exeunte Augusto, à Septembri, ab Octobri, &c. crescítque perplexitas, dum hi anno Romano implicantur, admixtis prolepsibus & metalepsibus. Ut jam taceam de Annis Mundi, qui, dum Periodo Alexandrinæ aut Constantinopolitanæ illigantur, non adeò insuperabiles

ꝛerabiles habent difficultates. Quanta in annis Urbis conditæ ambiguitas, dum ıon apparet Varronísne, an Catonis, an cujuſpiam alterius Epocham quis ſequa-ur; aut utrùm anni illi per ſe fluant à Palilibus ad Palilia; an paria faciant cum ınno Juliano, cujus Vere oriuntur? Eadem eſt ratio de Olympiadum annis, ꝗuos etſi conſtet circiter à Solſtitio æſtivo inchoari; eos tamen nonnulli cum an-ıo Romano, aut Conſtantinopolitano, aut Ægygtiaco fixo confundunt. An-ıorum Octaviani Auguſti (quibus multi utuntur) tot ſunt initia, à nece Julii Cæſaris, à primo ipſius Auguſti Conſulatu, ab inſtituto Triumviratu, à pugnâ Actiacâ, à morte Antonii & Cleopatræ; ut ſæpè lectorem incertùm hærere ne-eſſe ſit. Faſtos Conſulum, etiam antiquis temporibus, fuiſſe non parum cor-uptos, facilè intelliget, qui ſeries Conſulum apud Epiphanium, Victorium, Caſſiodorum, Chronicon Alexandrinum extantes contulerit. Cæterùm quam-liu non ſatis conſtat hunc aut illum ſcriptorem, qui obiter Conſules aliquos ap-pellat, in Faſtos vitiatos incidiſſe, quoad annum de quo agit; credendus erit ıactus fuiſſe ſaltem ex eâ parte ſinceros, quando de illius mente aliquid ſtatuen-dum occurret.

Danda igitur nobis erit opera ut annos inter tot incerta fluctuantes alligemus aliis immobilibus; cujuſmodi ſunt anni Æræ vulgaris, Periodi Julianæ, ac ſimiles, quibus vulgò aſſuevimus. In recenſendis autem Authorum de propoſitâ Quæ-tione opinionibus, temporis ordinem ſequar, ſumpto ab iis initio, qui prioribus annis ſuffragantur. *ad annos Julianos reducenda.*

CAPUT SECUNDUM.

Quinam cenſuerint Chriſtum natum ante annum Iulianum 40, ſeu ſextum ante Æram Vulgarem.

QUIS unquam crederet Judaicum ſtuporem eo uſque potuiſſe progredi, ut aſſereret Chriſtum totis centum ac pluribus annis natum ante Æræ Vulgaris exordium; diu nimirum ante natum ſeu Herodem Aſcalonitam, ſeu Octavianum Auguſtum, quibus regnantibus Salvatorem Orbi primùm apparuiſſe omnino ex Evangeliis conſtat? Illud nihilominus aſſerere non erubeſcit Ghemara Thalmu-dica, *in Cap. Chelek; Codicis Sanhedrin*, ubi dicitur JESUS NAZARE-NUS, regnante Hyrcano Simonis Macchabæi filio vixiſſe. Non longè hinc abit R. Abraham Levita, *in ſua Cabbalâ hiſtoricâ*, ubi mavult vixiſſe ſub Alexan-dro Jannæo hujus Hircani filio. Nec multo tolerabilius deſipiunt illi ex Judæis, qui (apud Scaligerum, *in Animadverſ. ad Euſebium, pag.* 170.) Chriſti mor-tem affigunt Anno Æræ Mundi Judaicæ 3724; hoc eſt, anno Juliano 9; ſeu 37 ante Æram vulgarem. Nam, ſi conſequenter loqui velint, ſtatuere debebunt eum natum circa annum 71 ante Æram vulgarem, circa quem natus eſt Hero-des; Auguſtus autem non niſi octennio poſt. Scio Galatinum, *lib.* 1 *Arcano-rum Cathol. Verit. cap.* 7, pro ſuo in Thalmudum ſtudio, ex incredibili ſupra- *Judeorum ſtupor in conſignando Natali Chriſti.*

 dictorum

dictorum absurditate contendere Thalmudistas non de JESU Servatore nostro agere; sed de alio quopiam nobis parum noto: quod etiam sensit Sebastianus Lepusculus, *in Epistolâ nuncupatoriâ, quam præfixit Iosepho Gorionidæ.* Verùm quid facient recentioribus Rabbinis Abrahamo Levitâ jam citato, Aven-Ezrâ, aliisque pernegantibus, JESUM quem colimus, Herodis Ascalonitæ & Cæsaris Augusti temporibus natum esse; & plus fatuæ suæ traditioni, quàm palpabili veritati Evangelicæ deferentibus? Certè verpos illos in universâ Christi Chronologiâ usque ad prodigium cæcutire, nec sibi uspiam constare, facilè intelliget, quisquis putida mendacia jam allata contulerit cum blasphemâ illâ fabulâ de Christo mortuo sub Helenâ Adiabenorum Reginâ (quæ Claudio demum Imperatore floruit) apud Raymundum Martini, *in Pugione Fidei, Parte* 2, *c.* 8, *junctis Notis Josephi de Voisin.*

S. Cyrillus ab errore vendicatur.

Enormiter quoque, minùs tamen aberraret à vero S. Cyrillus Hierosolymitanus, si solido niteretur fundamento id quod dicit Pererius, *L.* 11. *in Danielem. Q.* 5, ie, in ejus *Catechesi* 12, deprehendisse *insigne admodum & notabile erratum in Chronologiâ*, dum scribit *natum esse Christum, Anno* 4 *Olympiadis* 186, (legendum, 185; prout clarè evincit tota Cyrilli ratiocinatio) *quo fieret ut, cùm Christus Baptizatus est Anno* 15 *Tiberii Cæsaris* (*hoc est, anno primo Olympiadis* 202.) *fuerit Annorum sexaginta.* Verùm longè ab hac assertione abest Cyrillus: tantùm enim dicit Herodem regnare cœpisse (securè nimirum, jam sublato Antigono) anno 4 Olympiadis 185; quod est verissimum: quoto autem Herodis regnantis anno natus sit Christus, ibi non definit. Denique, quod subdit Cyrillus hebdomadas 69 fluxuras ab exitu sermonis de reædificandâ Hierosolyma usque ad Christum Ducem; satis eodem loco indicat se nihil aliud velle, quàm Christum tempore illo elapso venturum; & sub illud, expectandum fuisse.

Error quorumdam, Computistarum.

Fidem pœnè omnem superat, reperiri potuisse nonnullos è Computistis qui tum Cyclis, tum quibusdam præjudiciis suis plus æquo deferentes (ut infra, *Quæst.* 3, *cap.* 1, ostensuri sumus) in designando natali Christi anno Æram Vulgarem totis 32. aut 33. annis præverterint. Horum primus (quantum quidem hactenus deprehendere potui) fuit Manfredus quidam, undecimi sæculi Scriptor, cujus *Carmina de Ratione Compoti*, habentur *Tomo* 1 *Operum Bedæ.*

Horum dux Manfredus.

Ibi Author ille, *paragr. Quod undecim Epactæ* (antiquæ scilicet, de quibus videndus Petavius, *Tomo* 1 *de Doctr. Temp. pag.* 517) postquam professus est se *errorem priorem* aliorum Chronologorum & Computistarum *reprimere* velle; asserit Verbum divinum incarnatum fuisse feria 6, die 25 Martii; at natum 25. Decembris, die Dominico, *recurrente Epactâ* (antiquâ) *decimâ septimâ*; cui videlicet, ex Computistarum methodo, respondet Cyclus decennovennalis Dionysianus VIII. Cùm autem Versificator ille mortuum statuat Christum anno primo Æræ Vulgaris (ut infra, *Quæst.* 3, *cap.* 1, declarabitur) eique vitæ mortalis tribuat annos 32, ac Menses tres; necesse est ut Natalem addicat Anno 33 ante Æram Vulgarem; etsi Epacta jam dicta, cum Cyclo illo VIII; uti & Littera Dominicalis B Feriis modò explicatis congruens, quadrent in annum 32: undecumque diversitas illa provenire potuerit. Hunc ducem secutus Antonius Dulciatus, *in Libro de Festis mobilibus* (ut quidem testatur Jo.

Ejus assecla, Dulciatus.

Lucidus

Lucidus, *Tract. de vero die Passionis Christi*, *cap.* 3 *extremo*) Natalem tribuit anno Augusti nono (à devictis Cassio & Bruto) qui, juxta Lucidum, concurrit cum anno Juliano 12, aut 13: adeoque & cum anno 34, aut 33 ante Æram vulgarem.

Quemadmodum huic commento valde affine est; ita & æquè mirabile est, Sigebertum, *in Chronico*, *ad Annum* 532. *&* 1076. Marianum Scotum, *ad annum etiam* 532, Matthæum Parisium, *ad annum* 1076, Christi ortum consignasse anno 22 ante Æram vulgarem. Quin etiam Paulus Middelburgensis, Episcopus Forosempronienfis, non tantum eidem errori adhæsit, *Parte* 2 *suæ Paulinæ*, *lib.* 10; sed etiam id se à S. Paulo Apostolo per somnium didicisse scripsit; cujus tamen dicti fidem ipsemet postea satis elevavit, dum ultro in aliam sententiam concessit, de quâ infrà, *cap.* 9. *Barbaram* hanc opinionem (quod & in præcedentem quadrat) Forosemproniensem nominatim perstringens, vocat Petavius, *lib.* 12, *c.* 4, *& à communi sensu alienissimam*; Baronius, *ad Annum* 34, *n.* 177, ut *fabulosum commentum* rejicit; Grandamicus, *fictam revelationem* appellat; longéque acrius aliis etiam ex causis in eundem insurgit Massæus, *in Præfatione Chronici*, & Marcellinus Francolinus, *in Tractatu de Horis Canonicis*. Et verò, eâ admissâ, necessariò fatendum esset Christum (cui isti annos circiter tres ac triginta vitæ mortalis concedunt) Augusto etiam tum superstite obiisse; &, quod consequens est, diu ante Pilatum in Palæstinam à Tiberio missum, & ante annum ipsius Tiberii quintum decimum, quo Joannes suæ prædicationi ac baptismo initium dedit.

Nec multū ab eo absunt Sigebertus, Marianus Scotus, Matth. Paris, Forosempronienfis.

Cæterùm duorum præcedentium paradoxorum authores non adeo ab orthodoxa fide alieni fuerunt, ut hæc absurda vellent admitti: sed annos Imperatorum, aliosque characteres Chronologicos ita sursum, contra omnem historiæ fidem humanam, promoverunt, ut eorum figmentis aliquousque viderentur congruere. Eademque est ratio de Græcis quibusdam scriptoribus, qui (ut infrà, *cap.* 9, *& Quæst.* 3, *cap.* 8, dicturi sumus) Christi Natalem contulerunt in annum Dionysianum 9, Passionem verò in annum 42, detrusis è contrario citra Æræ Vulgaris initia Imperatorum ac Olympiadum annis, ob rationes apparentes malè consarcinatas ibidem explicandas.

Quâ ratione hi suum prochronismum concilient cum historiâ Imperatorum, &c.

Nostrâ etiam ætate Fredericum Braubomum sectarium non puduit in tantâ hac litterarum luce asserere, Christum anno Juliano 34. seu anno ante Æram Vulgarem 12, quo Consul fuit Sulpitius Quirinius, natum fuisse; imò & sibi ipsi de hoc commento absurdissimo plaudere his verbis: *Gaudete mecum, & laudate Deum, quotquot estis Christiani: inveni enim annum Nativitatis Christi, qui perierat.* Vide Contzen, *in Luca cap.* 2, *V.* 1, *Quæst.* 5.

Braubomi error.

Unicum, quod meminerim, è Græcis reperi Philippum Solitarium, qui enormius aberraret per anticipationem à vero Christi Natali. Is siquidem, *lib.* 3 *Dioptra*, *cap.* 8, annum 16 Alexii Commeni, qui in annum Dionysianum 1096 incurrit, scribit esse à Christo millesimum centesimum quintum completum: adeoque natum censet Anno Juliano 37, & ante Æram Vulgarem nono. Huic Periodi Constantinopolitanæ sectatori causam errandi præbuit, quod opinionem sectatorum Periodi Alexandrinæ affigentium Incarnationem anno

Item Philippi Solitarii.

Mundi 5501, ineunti anno Vulgari nono, aptandam censuerit Periodo Constantinopolitanæ juxta quam annus 5501 init labente anno Juliano 37: quæ est mera hallucinatio.

CAPUT TERTIUM.

Qui Natalem tribuant Anno Iuliano 40, aut 41; seu Anno 6, aut 5 ante Æram Vulgarem.

Deckerii opinio.

SUB hujus sæculi primordia, nova quædam lux Chronologiæ Christi oriri visa est, nostro Joanne Deckerio; acerrimi judicii & vastæ eruditionis viro, suam *Velificationem, seu Theoremata de Anno Ortûs ac Mortis Christi*, edente, annumque Nativitatis altius, quàm passim hactenus ab eruditis, qui extra oleas saltare nollent, repetitus fuisset, statuente in anno Juliano 41, & ante Æram Vulgarem quinto. Elaboratissimum illud Opus allegant varii prætento nomine Laurentii Suslygæ: quàm aptè, ipsi viderint. Certè Suslyga nullam aliam in hoc felicissimi ingenii fœtu partem habuit, quàm quod Theses in eo contentas Græcii in Stiriâ propugnarit in Scholis Theologicis, Præside Deckerio, unico earum authore & parente.

adversus eã motus,

Magnos ipso statim initio rumores excitavit inexpectatum hoc paradoxum tantâ veri specie propositum, támque firmis nixum rationibus. Sed quia difficile semper erit contra torrentem niti, & inolita sensa dedocere; nobile hoc inventum tot ac tantos Authori suo suscitavit Adversarios, ut non exiguam illi invidiam conflarit. Insurrexit in primis adversus illud Baronius, plausibili præsertim novitatis obtentu; ut videre est in ejus *Additamentis ad Tomum 12*, quæ postea *Apparatui, n. 129*, inserta sunt in posterioribus editionibus. Nec defuit sibi Scaliger in exagitando Deckerio; uti nec alii seu æmuli, seu præjudiciis suis nimium occupati. His tamen malis oppressa non est generositas Deckerii; quin etiam causæ suæ bonitate fretus, ingenti molimine, pari eruditione, complures vastos Tomos elaboravit in suarum opinionum confirmationem, quorum syllabum ideamque videre est *in Bibliothecâ Scriptorum Societatis editâ à Philippo Alegambe*. Ternos ex iis Tomos MSS. mihi olim Antuerpiæ ad paucas horas evolvere licuit; non item per otium legere, nonnullaque excerpere. Solatiò non ita pridem fuit incidisse in Excerpta benè prolixa, quæ inde sibi, ac ferè ex Tomo 2, descripserat noster Ægidius Bucherius. Ea ut non sine ingenti voluptate perlegi; ita & non sine fructu; quod hîc non gravatè profiteor.

contra hos generositas Deckerii

cui adhærẽt Kepplerus, Cappellus, imò plus audent.

Interim dum acriùs à nonnullis impetitur Deckerius, alii solidis ejus rationibus convicti dedere manus, atque inter primos Kepplerus, vir non in solis disciplinis Mathematicis, sed etiam in aliis versatissimus, prout fidem faciunt tum ejus *Liber de Natali Christi*, tum *Ecloga Chronologica*. Quin & ille paulatim factus Deckerio audacior, Christi Natalem paulò altiùs evexit, uti & Marcus Antonius Cappellus, *in Dissertatione de Canâ Christi supremâ*, Natalem consignans anno Juliano

uliano 40 exeunti, Balbo & Vetere Coss. quos tamen, *pag.* 129, perperam componit partim cùm anno 4 Olympiadis 193, partim cum primo Olympiadis 194: annum siquidem illius Consulatûs implevit posterius semestre anni secundi, & prius semestre anni tertii Olympiadis 193. Cappello quoad hunc annum non obscurè favet Mersennus, *Comment. in Genes. c.* 1, *V.* 14, *pag.* 974. Kepplerus ita eundem annum amplectitur, ut si quis malit Christum anno Juliano 41 ineunte natum, nullo modo se repugnare profiteatur. Citatur etiam pro eodem anno 41 Liveleus, à Casaubono, *Exercit.* 3, *pag.* 204: nec admodum ab his opinionibus abesse videtur Vossius, *lib. de Natali Anno Christi*, *Thesi* 16 *extremâ*, ubi (ut est homo suspensi plerumque judicii) statuit Christum natum esse anno Juliano, ut minimum, 42, aut 43; sed *forsitan multo antè.*

His favet Mersennus.

Liveleus pro Anno Jul. 41; nec abhorret Vossius.

Cum Deckerio ultra annum Julianum 41 desinentem non ascendente sentit Michaël Mæstlinus, Mathemathicus Tubingensis, quem etiam hujus opinionis parentem facere videtur Kepplerus, *in Eclogis Chronol. Epistolâ* 27; sed præclari inventi laudem affectantibus pluribus, nihil vetat id pluribus in mentem eodem tempore venisse: quâ ratione & de Maculis Solis, & de Asseclis Jovis ac Saturni, aliisque hujusmodi novis repertis videmus hodie litigari. Certè magni ausûs tam gloria, quàm invidia, penes Deckerium stetit: & qui Oratiunculam Mæstlini de hoc argumento, habitam occasione nescio cujus Baccalaureatûs, contulerit cum Deckerii *Velificatione*, multiplicis eruditionis plenâ, plurimorúmque annorum laborem satis arguente, ac nihilominus sub idem tempus editâ in lucem; non ægrè, opinor, fatebitur, multo facilius fuisse Mæstlino aliquid de Deckerii opinione inaudisse; quàm Deckerio ex tantillo Mæstlini Opusculo tantum Opus tam subitò cudere.

Absolutè cum Deckerio facit Mæstlinus.

Concessit & in eandem sententiam Petavius, *lib.* 13 *de doctr. Temp*; *& alibi.* Tirinus, *in Prolegom. Commentar. in Scrip. Sacram, cap.* 45 *&* 47 *Chronici sacri,* Bucherius, *l.* 2 *Belgii Romani*, in cujus etiam Præfatione Vendelinum tanquam huic opinioni suffragantem allegat; idque de se ipse satis apertè testatur Vendelinus, *in Notis ad suum Encomium Aurei Velleris.* Aubertus item Miræus, *in Chronico Belgico, ad Annum V. C.* 752. Jacobus Usserius, *Tomo* 2 *Annalium.* Jacobus Billius, *in Appendice ad suas Tabulas Lodoicaeas, pag.* 166, quatenus mortem Herodis conjicit in Annum 42 Julianum; nec indicat diu ante natum fuisse Christum. Vide & Possevinum, *in Apparatu,* Verbo, *Josephus*, ubi satis ostendit se non admodum alienum ab opinione Deckerii, cujus istic sensum ac verba contra Baronium profert; licet neutrum de nomine appellet. Aliquousque etiam favet illud, quod Casaubonus, *loco cit.* fateatur accuratum Josephi Historici calculum exigere ut Christus dicatur natus Anno Jul. 41; quamvis ipsemet ex propriâ sententiâ malit natum Anno Juliano 43.

item Petavius, Tirinus, Bucherius, Vendelinus, Miræus, Usserius, Billius;

nec alienus est Possevinus.

& aliquousque favet Casaubonus

Nihil non egit Deckerius, ut aliquod ab Antiquitate suffragium pro se posset obtinere: sed parum feliciter res illi cessit. Quod enim, *Annotatione* 12, *n.* 3, pro se alleget Chronicon Weingartense; frustra est: cùm ex ipso contextu satis manifestè constet, illius Chronici Authorem omnino velle Christum natum anno Juliano 44, aut 45 exeunte. Similiter quod sibi favere credit Veteres quosdam Annales, de quibus Epiphanius, *Haresi* 51, *n.* 29; longè abest à vero, ut patebit ex dicendis

An Deckerio suffragetur Antiquitas?

dicendis infrà, *cap.* 9. Potuisset aliquanto fortè majore veri specie pro se allegare Nicephorum Callistum, *lib.* 1 *Hist. cap.* 10, ubi scribit Natalem Christi contigisse (juxta Æram Constantinopolitanam, quam sequitur) Anno Mundi 5505: init enim hic annus labente anno Juliano 41. Sed vel error est Librarii; vel confundit annum priorem cum posteriore, quod apud Græcos non rarò contingit; vel, per metalepsin, annum in Januario labentem extendit ad Decembrem usque; vel attendit tempus Incarnationis, hanc confundendo cum Nativitate ex Virgine. Nam ex totâ Nicephori Historiâ satis constat, eum favere Anno Mundi 5506 Constantinopolitano, seu Juliano 42 exeunti. Vide quæ dicturi sumus infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 4, *parag.* 3.

Suffragatur Clemens Romanus; si tamē ipse.

Ego dum in Veteres non oscitanter inquiro, deprehendi Scriptorem antiquissimum, quem sub nomine Clementis Romani profert Anastasius Sinaita, aliàs Nicænus, *Quæst.* 93, ita loquentem: *Natus est Dominus noster Jesus Christus ex Sancta Virgine Mariâ in Bethleem*, 25 *Mensis Decembris* . . . . . . *Mansit nobiscum in Mundo* . . . . . *donec fuit natus annos* 32, *& menses tres. In trigesimo tertio suo anno fuit cruci affixus.* Porrò infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 3, ostensuri sumus Passionem Christi ab hoc Scriptore conjici in annum Æræ Vulg. 29, Julianum 74: ex quo sequitur, Natalem ab eo adscribi anno Jul. 41 expiranti, cui etiam favisse debent varii qui Passionem anno illi Vulgari 29 tribuerunt, si convenientem ætatem concesserunt Christo morienti. Hoc argumento conatur M. Anton. Cappellus Augustinum vendicare anno Juliano 40: sed conatur tantùm.

Item verosimiliter S. Justinus.

Videri etiam possit ab anno 40, vel 41 Juliano non alienus fuisse S. Justinus Martyr, *in Apologetico ad Antoninum Pium*, dum ait, *Christum natum ante* 150 *annos.* Librum illum Antonino fuisse oblatum anno Christi Eusebiano 143 (hoc est Vulgari 141.) significant complura Chronici Eusebiani exemplaria, uti & Flavius Dexter, qualis nunc extat, *in Chronico.* Eo dato, cùm rotundus numerus 150 Annorum manifestè peccet per excessum; sumendus erit aliquis è proximè minoribus, qui veritatem attingat; cujusmodi erunt annus 146, aut 147.; quorum alter annum Julianum 40, alter 41 designabit. Vide nostrum Petrum Halloix, *in Notationibus ad caput 5 Vitæ S. Justini.*

CAPUT QUARTUM.

Qui stent pro Anno Iuliano 42, seu quarto ante Æram Vulgarem.

Severus Sulpitius.

PAlàm huic anno exeunti suffragatur Severus Sulpitius, dum *lib.* 2 *Historiæ* ait: *Sub hoc* (Herode) *anno imperii ejus tertio ac trigesimo* (post depulsum Antigonum) *Christus natus est*, *Sabino & Rufino* (seu, Rufo) *Coss. VIII Cal. Jan.* ubi observandum Herodis annos numerari ab anno Juliano 10 ineunte, qui proximè Antigoni necem excepit.

Chronologus Alexandrinus.

Authorem Chronici Alexandrini circa hos annos perturbatissimi, & varia asystata hinc inde miscentis, audeo ut absolutè huic anno faventem proferre. Quamvis

Quamvis enim, dum varia annorum initia confundit, & Lunationum ac Feriarum calculos parùm accuratè subducit, facere videatur pro anno Juliano 43, ac nominatim dum sæpiùs asserit Christum natum anno Mundi 5507 (ineunte, interim dum in cursu est Annus Jul. 43) si quis tamen totam ejus Chronologiam accuratè expendat; dubitare non poterit quin & ipse in annum Jul. 42 conveniat. In primis enim, attentâ ejus methodo, manifestum illius rei indicium est *Indictio* 15, quæ *in Excerptis Casaubonianis* legitur apud Scaligerum, *in Thesauro Temporum*; & apertè ex antecedente & consequente anno supplenda est in editione Raderi, in quâ desideratur. Neque refert quod Anno Jul. 42 in Septembri expirarit Indictio illa 15: nam (quamdiu aliud non monet, ut subinde facit, dum ratio aliqua exigit) anni Indictionum sumi possunt ut per metalepsin extensi ad finem anni Romani, cui singula Consulum Collegia adjunguntur. Clarè confirmantur jam dicta ex eo quod hîc Chronographus Circumcisioni tribuat *Indictionem* 1, quæ nulli alteri Januario, circa hæc tempora, convenire potest, quàm anni Juliani 43. Hoc ipsum patet item ex eo, quod *pag.* 463, asserat Joannem Baptistam conceptum Indictione 14, quâ dies prima Septembris (attentâ formâ Julianâ) incidit in Lunam 2 Cyclicam. Item ex eo quòd *pag.* 495, *& seq.* doceat Christum Baptisatum Indictione primâ, Anno mundi 5536, die 6 mensis Audinæi, seu Januarii, expletis à Nativitate 30 annis, & die 13 sui anni 31 quo Luna 14 Paschalis incidit in diem Martii 27; non 17, ut patente mendo legitur in textu tum Græco, tum Latino. Hi omnes characteres, cùm in solum annum 28 Vulgarem quadrent, evidenter id quod intendimus evincunt. Vide dicenda infrà, *Quæst.* 2, *c.* 2. Denique idem apertè conficitur ex eo, quòd (ut infrà demonstrabo, *Quæst.* 3, *cap.* 4, *parag.* 3) mortem Christi tribuat diei 23 Martii, Anni 31 Dionysiani; scribat autem *pag.* 535, Christum in terris nobiscum versatum fuisse annos 33, & Menses 3.

Eidem anno subscribit Nicetas, dum & Annum Mundi 5506, & Feriam tertiam (servatâ formâ Anni Juliani) divino Natali assignat. Nicetas.

Huc etiam pertinet Nicephorus Callistus, *lib.* 1 *Historiæ*, *cap.* 10. Quamvis enim, ut *cap. præcedente* dicebamus, Christum natum dicat anno Mundi 5505; ex totâ tamen ejus Chronologiâ satis apparet eum stare pro anno 5506, seu Juliano 42. Vide quæ habet *lib. cit. cap.* 39; ubi cum Periodi Constantinopolitanæ sectatoribus mortem Christi figit in anno 5539, Vulgari 31; eique mortalis vitæ annos 33 (solidos nimirum) concedit. Vide & epilogismum annorum adjectum ad calcem libri 2, ubi Martyrium SS. Petri & Pauli, quod in annum Vulgarem 67 incidit, confert in Annum Mundi 5575, à Nativitate Christi 70: patenti utique trium annorum discrimine ab Æra nostrâ Vulgari. Nicephorus Callistus.

Liquidò his adhæret Cedrenus, *in Compendio Hist. pag.* 153, signato anno Mundi 5506, & attributo Evangelismo Gabrielis die Dominicâ. Quod autem *pag.* 143 dicit Christum natum feriâ 4; aut patens mendum est, debetque reponi Feriâ 3: aut censuit partum Virgineum contigisse non ineunte, sed desinente die 25 Decembris, mediâ inter diem 25 & 26 nocte, quæ proinde ad utrumvis horum dierum referri potest. Cedrenus.

B Jam

Glycas. Jam recensitis annumerandus videtur Glycas, *Parte* 3 *Annalium.* Licet enim tum in editione Leunclavianâ, *pag.* 309, tum in Meursianâ (Theodori Metochitæ nomen perperam præferente) tum in novissimâ nostri Labbæi, scribat Incarnationem peractam anno Mundi 5500; eóque nomine videri possit Æræ Alexandrinæ sectatoribus adhærere; ex aliis tamen patentissimis ejus locis constat eum Æram Constantinopolitanam sequi; indeque verosimiliter colligi potest eum cum antea enumeratis sentire; & pro 5500, legendum 5506.

CAPUT QUINTUM.

Qui stent pro Anno Iuliano 43, *seu tertio ante Æram Vulgarem.*

Tertullianus. AGMEN huic anno patrocinantium ducit Tertullianus, *lib.* 3 *adversus Judæos*: *Cleopatra* (inquit) *conregnavit Augusto annis* 13, *post Cleopatram Augustus aliis* 43: *nam omnes anni Augusti fuerunt anni* 56. *Videmus autem quoniam primo & quadragesimo Imperii Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus. Et supervixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis* 15; *& erunt reliqua tempora annorum in diem Nativitatis Christi* (subductis nimirum illis annis 15 ex 56, quibus universim imperavit) *anni* 41. Ex his verbis satis obscuris apparet Tertullianum auspicari annos Augusti ab anno 3 Juliano labente, quo Consulatum primum, ac deinde Triumviratum invasit; ita ut annus 13 Augusti desinat in 16 Julianum fluentem, quo Cleopatra è vivis excessit. Hinc si alios annos 43 solidos numeraveris, incides in annum Julianum 59, quo jam adulto vitâ functus est Augustus: atque ita annus 41 Augusti init anno Juliano 43 jam affecto, & desinit anno 44. Christus autem (ex mente Tertulliani, Natalem ejus more Occidentalium referentis ad Decembrem) natus fuerit expirante anno Juliano 43. Estque hoc conforme ei quod ibidem addit Tertullianus, Christum in Consulatu Geminorum passum esse (seu anno Juliano 74, Dionysiano 29) *annos habentem quasi triginta.* Suppositis enim jam dictis, vixerit annos 30, & tres insuper menses.

Quorumdam Objectio solvitur. Litem Tertulliano movent Pererius Baronius, Scaliger, aliíque, ob illa verba, *quo post mortem Cleopatræ imperavit*: quasi innuant annum illum 41 Imperii Augusti à morte Cleopatræ supputari debere; quod est à mente Tertulliani alienissimum: cùm apertè doceat, *omnes annos Imperii Augusti fuisse* 56. Authoris sæpè obscuri ac salebrosi ambiguitatem tolles, si pro his verbis, *QUO post mortem &c.* legas; *QUI post mortem &c*; prout olim legit Hieronymus, *in caput* 9 *Danielis*, & Julianus Toletanus, *lib.* 1 *contra Judæos.* Vide & Wilhelmum Langium, *de Annis Christi*, *pag.* 368.

Clemens Alexandrinus. Tertulliano consentire videtur Clemens Alexandrinus, *lib.* 1 *Stromaton*, ubi à Christo nato usque ad mortem Commodi (quæ in diem ultimum Decembris, anni Dionysiani 192, Juliani 237, incidit) supputat annos 194, Mensem unum, dies 13. Ejus igitur judicio natus fuerit Christus anno Iuliano 43, die 18 Novembris: cui tempori apprimè etiam quadrat quod *ibidem* scribit, Natalem Christi incidisse

incidisse in annum 28 Augusti; numeratum scilicet à morte Cleopatræ, seu anno 16 Iuliano jam adulto, quam mortem attendere solebant Ægytii, ex quibus erat Clemens. Dum autem addit, ut sonat textus Græcus, *Quando primùm jusserunt fieri descriptiones sub Augusto*; alludit ad verba Lucæ, *cap.* 3: *Hæc descriptio prima &c.* Hinc facilè redargues recentem Scriptorem, qui *pag.* 117 *suæ Quæstionis Evangelicæ*, ex minus rectâ versione illius loci, conatur trahere Clementem ad annum 45 Julianum.

Huc similiter referri debet Anonymus Scriptor, qui sub Imperatore Alexandro Mamææ filio vixit, extatque *Tomo* 2. *Antiquarum Lectionum Henrici Canisii.* Docet siquidem Christum annis 30 vixisse (solidis nimirum, omissis pauculis, qui suprà excurrunt, mensibus) *à Passione* autem *usque ad annum* 13 *Alexandri* (qui fluebat anno 234 Æræ Vulgaris) numerari *annos* 206; quibus ex priore summâ subductis remanet annus 28 Vulgaris; aut potius, comprehensis extremis, annus 29, olim à variis Passioni assignatus. Hinc si retrogrediaris ad annos 30, & menses tres, pervenies ad annum 43 Iulianum exeuntem, si author ille Christum Decembri natum crediderit; aut ad Iulianum 44 ineuntem, si Ianuario. Neque quemquam movere debet, quod Author ille, dum Natali Christi deputat Annum Mundi 5500, videatur eo ipso favere Alexandrinis de quibus infrà, *cap.* 9. Artificialis enim illa Periodus Alexandrina, de quâ suprà, *in Prolegom. Lemmate* 1, 2, & 4, in iis tantùm Scriptoribus locum habet, qui post Concilium Nicænum scripserunt. Anonymus Antiquus.

Ad hunc saltem annum pertinet alius Anonymus Constantino Magno æqualis; qui in Vitâ SS. Metrophanis & Alexandri, *apud Photium*, *Codice* 256, & apud Combefis, *To.* 2 *Auctarii Bibliothecæ*, *pag.* 574, annum 19 Diocletiani acriùs, quàm antea Christianos persequentis, compatat cum anno 305 ab Adventu Christi. Erat tunc annus Æræ Vulgaris 302, ut volunt Baronius, Petavius, Gordonus, Helvicus, aliique accuratiores Chronologi. Advocat igitur hic author annos Christi ab anno Iuliano 43, & quidem (quantum apparet) incunte, juxta opinionem tunc apud Orientales receptam de Christo nato ad diem quintum vel sextum Ianuarii. Quia tamen Bucherius, *lib.* 7 *Belgii Romani*, *cap.* 8, persecutionem hanc anno dumtaxat 303 Vulgari excitatam fuisse non improbabiliter existimat; si quis ejus rationibus deferendum putet, per me licet ut Anonymum hunc ad annum Iulianum 44 pertinere censeat. Alius Anonymus.

Hieronymi suffragium pro hoc anno exeunte non admodum ægrè elici posse videtur ex aliquot ejus locis inter se collatis; quod & agnoscit Beda, *lib. de Ratione Temporum*, *cap.* 47, & Heruartus, *Nova Chronol. cap.* 264. In primis dum *in caput* 2 *Isaiæ* commentatur, ad illa verba, *Non levabit*, *&c.* asserit, *anno* 41 *Augusti* (à primo ejus Consulatu) *Christum natum esse*; quem annum ibidem componit cum anno 28 ejusdem à morte Cleopatræ. Et verò hæc annorum pariatio sat rectè sibi congruit, uti & anno Iuliano 43 exeunti. Aliunde autem cùm, *ad caput primum Danielis*, dicat Epiphaniorum diem non esse, ut quidam (Orientales) putant, Christi *Natalem in carne*; satis indicat se subscribere Occidentalibus hunc conferentibus in diem 25 Decembris: atque ita ab Eusebio, quem in aliis sequitur, hîc non discrepat nisi diebus tredecim. Eòdem tendit S. Hieronymus.

quod, *Commentario in cap.* 1 *Ezechielis*, dicat *Salvatorem triginta annos natum venisse ad Baptismum*; id est, ut ubi loquitur Propheta, *anno tricesimo*: alioqui enim Anagoge, quam ibi persequitur, quæque sensum Litteralem supponit, eique aptanda est, non procederet. Cùm igitur, Eusebium denuò secutus, Baptismum tribuat Anno Iuliano 73, Vulgari 28 ineunti, ut dicemus infrà, *Quæst.* 2, *cap.* 2; tribuit Natalem anno 43 Iuliano expiranti. Vide etiam dicenda infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 4, *parag.* 4, de consensu Hieronymi cum Eusebio, quoad annum Passionis. Item dicenda infrà, *cap.* 8, de opinione Africani circa annum Natalis Christi.

Objectio Labbæi solvitur.

Scio Labbæum, *ad calcem suæ Concordiæ Chronologiæ*, allegare Hieronymum ut facientem pro anno Iuliano 45 exeunte, prolatis ejus verbis *ex Commentario in caput* 9 *Danielis*: *Siquidem Regni Persarum ducenti triginta supputantur anni, &c.* Sed Hieronymus eo loco non loquitur ex proprio sensu; sed Africani, ex cujus Chronologiâ opinionem Hippolyti de septuaginta Hebdomadibus Danielis refellit. Fiet id vero-similius, si vocem illam *siquidem*, partiamur in duas, cum duabus Hieronymi editionibus Basileensibus, & sententiam citatam connectamus ad hunc modum cum præcedenti: *Quarum* (Hebdomadarum) *tempora omninò non congruunt*; *si quidem Regni Persarum &c.* quasi dicat: si quidem juxta Chronologiam Africani supputemus annos, quæ sic se habet &c. Et verò Hieronymus toto illo capite propriam de illis Hebdomadibus opinionem nusquam expromit. Aliunde autem cum anno 45 Iuliano pugnat, quod satis apertè docet Hieronymus, Christum natum anno 41 Augusti, & 28 à morte Cleopatræ; item Baptizatum Anno Dionysiano 28, cùm ageret annum ætatis 30; ac denique mortuum anno Vulgari 31; qui characteres infrà stabiliendi, facilè elidunt vim loci contra nos allati.

Dexter.

In hunc annum conspirat Flavius Dexter, *in Chronico*, quale quidem nunc extat, dum ait, *Christum natum Lentulo & Messalâ Coss.* Nonnulla tamen admiscet in Præfatione, & in annis sequentibus, huic assertioni parùm conformia; uti & Bivarius ejus Commentator.

Chrysostomus.

His jungendus videtur Chrysostomus, *Homiliâ in illud: Exiit edictum à Cæsare Augusto, &c, quæ habetur Tomo 6 Editionis Græco Lat.* ubi cùm manifestè Eusebii Chronologiæ insistat, & alibi strenuè decertet pro Christi Natali in exeuntem Decembrem conferendo; dicendus est annum Augusti 42 Eusebianum, ut labentem in Decembri Anni Iuliani 43, attendisse. Neque refert, quod ibi scribat Christum natum τελέσαντος αὐτοῦ (Αὐγούστου) τεσσαράκοντα δύο ἔτη; quibus verbis videri posset velle, Augustum jam explevisse annum 42; adeoque favere anno Iuliano 44 desinenti. Nam ex toto ejus contextu satis patet Aoristum illum ita eo loco sumendum, ut significetur Augustus tunc egisse annum Imperii 42.

Cassiodorus.

Clara est pro eodem Anno 43 Iuliano mens Cassiodori, *in Fastis*, dum ait Christum natum, *C. Lentulo & Messalâ Coss. Anno Imperii Augusti* 41; nempe post primum ejus Consulatum. Non me latet extare libellum *de Computo Paschali*, Cassiodoro tribui solitum, in quo Incarnationis anni cum Ærâ nostrâ Vulgari consentiant. Si libellus ille pseudopigraphus non sit, dici posset Cassiodorus se in eo Opusculo accommodasse recenti tunc Æræ amici sui Dionysii Exigui,

Exigui, cujus laudes egregiè prosequitur, *lib. de divinis lectionibus*, *cap.* 23.

An huic, an sequenti anno desinenti faveat Zonaras *Tomo 2 Annalium*, mihi non satis liquet. Nihilominus cùm scribat natum Christum anno 29 Augusti à pugnâ Actiacâ, qui exactè supputatus iniit Septembri hujus anni, potest omninò ad eum pertinere. Dici tamen potest, Zonaram ordiri annos illos Augusti ab anno Iuliano 16 ineunte; atque ita favere Anno Iuliano 44; quâ ratione erit etiam verius quod addit, Christum sub Augusto vixisse annis 15. Zonaras dubius.

Apertiùs huic anno 43 suffragari videtur Methodius, aut potiùs ignotus quispiam sub ejus nomine delitescens apud Marianum Scotum, *in Chronico*, scribens Christum natum anno Imperii Cæsaris 42 (à cæde Iulii, quantum ex adjunctis apparet) 28 ab interitu Antonii vel Cleopatræ. Idemque dicendum de Hugone Floriacensi eosdem characteres proferente *in Chronico*; in quo tamen observandum, irrepsisse errorem in Olympiadem, quæ tum erat 194, non autem 183, aut 193: qui postremus numerus mirum quàm universaliter legatur in mediæ vetustatis Scriptoribus. Methodio isti eatenus jungi potest ipse Marianus Scotus, quatenus sepositâ opinione, de quâ suprà, *capite* 2, eam sequitur initio Chronici, quæ stat pro hoc anno 43 Iuliano. Methodius. Hugo Floriacensis. Marianus Scotus.

E Recentioribus nec pauci, nec ignobiles in hunc annum conveniunt. In primis Baronius, *in Apparatu*, *num.* 101, revocans quod aliàs, Epiphanium secutus, scripserat pro Anno Iuliano 44. Eumdem annum probat Scaliger, *lib.* 6 *Operis de Emendat. Temp. secundæ Editionis*, *pag.* 515, tacitè palinodiam canens post vehementissimè assertum in priore editione annum Iulianum 44. Torniellus, *in Annalibus*, malè tamen confundens annum Natalis Christi cum anno mortis Herodis. Matthias Burklehner, *To.* 1, *lib.* 6 *Thesauri Hist.* Glareanus, *in Annotat. ad Eutropium*. Cythræus, *in Chronologia Herodoti & Thucydidis*, *ad Ann. Mundi* 3962. Laziardus, *in Epitome Historiæ Vniversf. cap.* 1 *&* 4. Casaubonus, *Exercitat.* 3, *pag.* 203. Cornelius à Lapide, *in Chronotaxi præfixâ ejus Commentariis in Evangelia*. Serarius, *in Tract. de S. Paulo*, *Parte* 1, *num.* 1, quatenus asserit Lentulo & Pisone Coss. fuisse annum Christi secundum. Gordonus, *To.* 2 *Chronol. in Apparatu*, *cap.* 2, *& in Tabulis*. Codomanus, *in Annal. ad Annum* 4141. Calvisius, *in Apparatu*, *cap.* 46, *& ad Annum Mundi* 3947. Funccius, *in Chronol. ad annum Vrbis* 751. Xylander, *in Tabulis ad Cedreni calcem adjectis*. Antonius Contius, *in Fastis ad calcem Corporis Iuris*. Langius, *lib.* 2 *de Annis Christi*, *Parte* 2, *cap.* 3, *pag.* 370. Vossius, *in Dissertatione de Anno Christi Natali*, *Thesi XVI*, ubi hoc *saltem* anno Christum natum pronuntiat; sed admodum dubitanter. Andreas Hoius, *in suâ Historiâ Vniversâ*, *ad Annum* 3949. Lanspergius, *apud Langium*, *pag.* 365; in hoc tamen à communi sententia recedens, quòd velit Christum natum ineunte anno hoc Juliano 43. Vecchiettus, *in Opere de Anno primitivo*. Adamus Contzen, *Comment. in cap.* 1 *Lucæ*, *Vers.* 5, *Quæst.* 1. Cancellottus, *in Annalibus Marianis*. Samerius, *in Chronol.* ubi tamen malè hunc annum vocat 38 Æræ Hispanicæ, qui tantùm est 36. Salmeron, *Prolegomeno* 38: sed varia pugnantia admiscet. Baronius, Scaliger, Torniellus, Burklehner, Glareanus, Cythræus, Laziardus, Casaubonus, Corn. à Lapide, Serarius, Gordonus, Codomanus, Calvisius, Funccius, Xylander, Contius, Langius, Vossius, Hoyus, Lanspergius, Vecchiettus, Contzen, Cancellottus, Samerius, Salmeron.

CAPUT SEXTUM.

Qui faveant Anno Iuliano 44, ante Æram Vulgarem 2.

S. Hippolytus Portuēsis.

VALDE vero simile videtur S. Hippolytum Portuensem (quidquid eum Georgius Syncellus, *pag.* 315 *Chronogr.* trahere conetur ad annum 9 Vulgarem) huic anno addixisse Christi Natalem, *in suo Canone Paschali*, quem Græcè exhibet Scaliger, *pag.* 677 *Operis de Emendat.* Latinè autem Bucherius, *in Appendice ad Canonem Victorii*, *pag.* 295. Ibi enim ad annum secundum Periodi illius annorum 112, adscriptum legitur; *GENESIS CHRISTI:* quibus verbis, quantum apparet, significatur Natalem Christi incidisse in annum homologum secundo illi anno jam dictæ Periodi, quæ si geminetur, & tota ab anno Vulgari 222, à quo initium ducit, retroagatur; incidet primus annus Periodi in annum Julianum 43; ac proinde secundus Periodi homologus erit anno Juliano 44, seu secundo ante Æram Vulgarem. Scio Scaligerum, ita accipere verba jam dicta, & similia additamenta hinc inde Canoni illi aspersa; ut tantùm significent statas aliquas Lectiones ex Scripturâ sacrâ, quæ certis temporibus recitabantur in Ecclesiâ: sed ei interpretationi obstare videtur, quod parum vero-simile sit Christi Genealogiam intra totum ambitum annorum 112 quibus constat S. Hippolyti Periodus, tantum semel lectam fuisse, sicut tantum semel verba suprà dicta adscribuntur. Item quod ex septem seriebus Canonis, quinta & sexta nihil prorsus habeant adscriptum; tertia, unicum hoc verbum *Jesus*; quarta unicum hoc: *Jesus, secundum Danielem.* Malim itaque cum M. Ant. Cappello, *pag.* 122 *Dissertationis de Cœnâ Christi supremâ*, dicere S. Hippolytum quibusdam Festis Paschatis apposuisse notam alicujus Historiæ, quam contigisse credebat eo anno, quo Pascha ibi adscriptum celebratum fuerat. Accedit quod annus cui adscribitur, *Genesis Christi*, & olim fuerit, & hodie sit inter controversos, quoad Natalem Christi; & quod annus ab eo trigesimus, adscriptum habeat, *Passio Christi*; quod postremum conforme est opinioni variorum Antiquorum, qui Christo non plures vitæ mortalis annos tribuebant, quàm triginta.

S. Epiphanius.

Annum hunc, sed ineuntem, amplectitur Epiphanius, *Hæresi* 51, asserens Christum natum *Augusto & Silano*, (seu Silvano) *Consulibus*, *ante octavum Idus Januarii*, quam locutionem aliqui de quinto, alii de sexto die Januarii accipiunt; quâ de re infrà, *cap.* 34.

Eusebius.

Eusebium Cæsariensem alio trahere conantur nonnulli; sed nimis apertè calculum suum adjicit huic anno, & quidem (ex Orientalium sensu tunc receptissimo) ineunti. De anno, hos, *lib.* 1 *Hist. Eccles. cap.* 5, signat characteres, *Annum 42 Imperii Augusti* (quod inchoat Eusebius ab Autumno anni 2 Juliani) *&* 28 *ab Ægypto subjugatâ, & Antonii ac Cleopatræ morte*; item Annum 3 Olympiadis 194 (ut habetur in Chronico) acceptione scilicet Eusebio familiari, de quâ suprà, *Lemmate Octavo.* Idem annus elicietur, si utamur eâ Regulâ annos Eusebianos cum nostris comparandi, quam *in Prolegomenis*, *Lemmate* 7, explicuimus. Nam cùm

ùm Eusebius, *in Chronico*, scribat Christum natum esse Anno Abrahæ 2015; i hunc subducas ex 2017, residuus erit annus 2 ante Æram Vulgarem. Denique cum Ecclesia Romana, *in suo Martyrologio*, *ad diem 25 Decembris*, ex Eusebii sensu copulet Natalem Christi cum anno Mundi 5199; si, juxta dicta *in Prolegom. Lemmate 6*, subtrahas 487, remanebit annus Periodi Julianæ 4712, idemque Julianus 44, & 2 ante Æram Vulgarem.

Paria omnino cum Eusebio facere videtur Anonymus (qui Oecumenio Græco-latino præfigitur) *in Martyrio S. Pauli Apostoli*, dum hunc passum scribit, anno à Christi Natali 69. Cùm enim capite plexus fuerit Anno Æræ Vulgaris 67; contigerit Christi Natalis, ex hujus Scriptoris mente, anno ante Æram Vulgarem secundo, & quidem, quantum apparet, ineunte: eò quòd profiteatur se scribere Arcadio IV, & Honorio III Coss. hoc est anno Dionysiano 396, quo fortassis needum adeo universaliter per Orientem recepta erat traditio Romana de Christo nato die 25 Decembris. Si quis tamen credat hunc Scriptorem traditionis illius rationem habuisse, ideoque referre illum malit ad Annum Julianum 43 exeuntem; non admodum repugnabo. Anonymus.

Clarè mentem suam pro hoc anno aperit Alexander Monachus Græcus, cujus extat Oratio de S. Crucis inventione, *apud Gretserum*, *Tomo 2 de Cruce*. Ait enim advenisse Christum *Anno 42 Augusti* (post primum ejus Consulatum *) dum Consul esset XIII, Collegâ Sylvano, die 25 Decembris.* Alexander Monachus.

Latinorum antiquissimus hujus anni patronus est Paulus Orosius, *lib. 1 Historiæ, cap. 1, item l. 7, cap. 2 & 3.* secutus hîc, ut alibi passim Eusebium; nisi quòd disertè meminerit diei 25 Decembris, & annum Abrahæ 2015, Augusti 42, adæquatè componat cum anno Juliano 44, uti & annum Vrbis 752, nempe Varronianum, cui perpetuò inhæret. Eadem est ratio de Freculpho Orosii assectatore, *To. 2 Chronol. lib. 1, cap. 2*; & de Isidoro Hispalensi, qui *in Præfat. sui Chronici*, testatur se Eusebio inhærere. Confer ejus Chronicon cum ejusdem libro quinto Originum extremo. Vide etiam Isidori interpolatorem Lucam Tudensem, *in Chronico Mundi*, consentientem. Orosius. Freculphus. Isidorus Hispal.

Neque ab his discrepare censendi sunt Victor Tunnunensis, *in calce sui chronici*, Gregorius Turonensis, *libro 1 Hist. Tranc. cap. 19*, & alii ex Eusebianis, dum Christi Natali annum 43 Augusti assignant. Hi enim à cæde Julii ordiuntur ejus Imperium; alii autem ab anno insequente. Vide Victorem *suprà*, ubi nominatim cum Eusebio docet Christum natum Anno Mundi 5199, à quo ad annum primum Imperatoris Justini (hoc est ad annum Dionysianum 565) numerat annos 567: comprehenso nimirum ipso primo anno Justini. Huc quoque pertinent Ado, Idacius, Hermannus Contractus, Vrspergensis, & complures alii mediæ ætatis sectatores Eusebii, qui tamen passim compugnantes characteres miscent. Victor Tunn. Gregorius Turonensis. Ado, Idacius; Hermannus, Urspergensis.

Recentiores quoque non pauci hunc annum eligunt. Onuphrius, *lib. 2 in Fastos*; sed parum sui memor Æram suam subinde miscet cum Vulgari. Pererius, *lib. 11 in Danielem Quæst. 5*; sed neque hic sibi satis constat. Coccius, *Enneade 7, lib. 1.* Grasserus, *in Epitome chronol.* Pino, *in Annot. ad suum Carmen de Anno Romano, pag.* 28. Occo, *in Opere de antiquis Numismatibus, in Summario* Onuphrius, Pererius, Coccius, Grasserus, Pino, Occo.

Vita

Mariana, Suarez, Temporarius, Paulus Petavius, Morales, Salianus, Bussieres, Haræus, Mercator, Buntingus, Angelocrator, Bucholcerus, Opmeerus, Philippæus, Uredius, Roslinus, Kircherus. Lud. Cappellus.

Vita Tiberii. Mariana, *in Tract. de die Mortis Christi*, Suares, *To.* 2 *in* 3 *part. disp.* 13. *sect.* 4. Temporarius, *lib.* 2 *Chronol. Demonst. pag.* 166; sed Natalem statuit die 15 Aprilis. Paulus Petavius, *in Opusculo de Epochâ annorum Incarnationis &c*, in quo tamen sæpiùs hallucinatur, & asystata permiscet. Ambrosius Morales, *in suâ Cordubâ*, quatenus natum asserit Christum Augusto XIII Consule. Salianus, *T.* 6 *Annal. ad Ann.* 4052. ejusque assectator Joannes de Bussieres, *in Flosculis Historiarum, ad eumdem annum.* Franc. Haræus, *in libello de Olympiadibus.* Mercator, Buntingus, Angelocrator, Bucholcerus, Opmeerus, *in suis Chronologiis.* Philippæus, *in Osee caput* 4, *Vers.* 6, *num.* 6. Oliverius Vredius, *lib.* 2 *Prodromo Historiæ Comitum Flandriæ*, *pag.* 609. Helisæus Roslinus, *in Tract. de Cometâ Anni.* 1607, *& alibi.* Athanasius Kircherus, *in Prodromo Copto, cap.* 3, *pag.* 82; Videri possit in hunc etiam annum concedere Ludovicus Cappellus, *in suâ Chronologiâ Sacrâ, & Notis ad Tabulam* 11: sed varia adjungit, quæ cum illo anno stare non possunt; uti & nonnulli ex jam citatis.

Aberratio recentis Scriptoris.

Ex dixtis toto hoc capite facile est assequi quàm longè à vero aberret recens Scriptor, dum *pag.* 142 *suæ Quæstionis Evangelicæ*, scribit hanc opinionem *neque fundamentum habere in auctoritate Antiquorum*; *neque in ullâ ratione probabili &c.* Mihi satis superque est falsitatem prioris partis demonstrasse: posteriorem partem lubens hujus anni Assertoribus relinquo. Quod verò *eâdem paginâ* habet de Georgio Syncello, quasi huic anno patrocinetur; procul dubio fallitur: solido enim decennio aberrat ab opinione Syncelli; ut infrà, *capite* 9, planum fiet.

CAPUT SEPTIMUM.

Qui faciant pro Anno Iuliano 45, ante Æram Vulgarem primo.

Vix ulli Antiqui pro hoc anno.

NEMINEM Veterum fuisse, qui infra annum Julianum 44 putaret natum esse Christum, scribit Petavius, *lib.* 12 *de Doctr. Temp. cap.* 1. Et verò plerosque omnes ac præcipuos quosque illorum ad hunc usque annum minimè descendisse, satis ex hactenus dictis est manifestum.

Appollinarius Laodicenus verosimiliter.

Videtur nihilominus pro hoc anno ineunte allegari posse Apollinarius Laodicenus, *apud Hieronymum, Comment. in cap.* 9 *Danielis.* Cùm enim scribat Christum tricesimo ætatis suæ anno cœpisse Evangelium prædicare, duos annos per tria Paschata implevisse, & exinde (seu à Christi Passione) supputari sex annos Tiberii: consequens est Christum, ex ejus sententiâ, anno 31 Æræ Vulgaris cruci affixum fuisse, inchoato per tres circiter menses anno suo 32; adeoque natum hoc anno Juliano 45; sed, ut jam dicebam, ineunte: ob rationem suprà sæpiùs allatam de receptâ tunc apud Orientales opinione de Christo nato Mense Januario.

fortè & Basilius Seleuc.

Allegari fortè potest & Basilius Seleuciensis, *Homil.* 38, *in fine. Augustus* (inquit) *regnavit* 43 *annos* (post subactam Ægyptum extinctumque Antonium & Cleopatram) *hoc regnante Christus secundum carnem natus est, anno* 29 *Regni ejus.*

ejus. Cùm annorum 43 numerus dici possit inchoari ab Anno Juliano 17 ineunte, annus 45 desinens erit Augusti 29 etiam desinens. Si quis tamen contendat annos illos inchoari anno Juliano 16, seu ineunte, seu jam adulto, quo Antonius & Cleopatra obierunt; favebit Basilius anno Juliano 44 desinenti; quod, omnibus consideratis, videtur probabilius.

Subtimidè huic anno tentat Petavius, *lib.* 12, *cap.* 2, vindicare Dionysium Exiguum, qui sexto demum sæculo floruit, & à quo Æra nostra Vulgaris, passim *Dionysiana* appellatur. Neque huic conjecturæ firmandæ desunt argumenta satis plausibilia, petita partim ex binis Dionysii Epistolis, quas examinat Petavius; partim ex Cyclis Dionysianis fusè à Beda transcriptis, quorum primus manifestè initium ducit ab anno Juliano 45, etsi litteræ Dominicales vitiosè adscriptæ sint. Communissima Computistarum sententia, ac speciatim Bedæ, *lib. de Ratione Temp. cap.* 45, Dionysium pro anno Iuliano 46 stetisse tradit, ut mox, *capite sequente*, dicetur. Dionysius Exiguus dubius.

Non obscurè pro hoc anno facit Iulianus Pomerius Episcopus Toletanus, *lib.* 3 *contra Judæos*, dum ait Æram Hispanicam inventam esse 38 annis antequam Christus nasceretur. Init autē hæc Æra anno Juliano 8, ante Æram Vulgarē 38. Julianus Pomerius.

Hunc etiam annum adamarunt postremis hisce sæculis varii Astrologi, qui & Thema cæleste Christo nascenti erexerunt, de quo agit Foro-sempronienfis, *Parte* 2 *Paulinæ*, *lib.* 4, rectè monens debuisse eo anno esse in cursu Cyclum Solis 9. Nominat autem inter Thematis illius authores Nicolaum Cusanum, Petrum de Alliaco, & Rogerium Bacchonem. Figuram ejus videsis apud Petrum de Alliaco, *in Elucidario Astronomicæ Concordiæ*, *cap.* 2. Sixtum Senensem, *lib.* 6 *Bibliothecæ*, *Annot.* 10. Grandamicum, *in Quæst. Evang. pag.* 193. Mersennum, *Comment. in Genesim*, *pag.* 970; ubi & Thema illud confutat. Sed addere debuisset Calculatores illos non advertere ad labem Calendarii Romani, quâ tunc inducebatur discrimen unius diei à Iuliano strictè, cui Astrologi illi nec opinantes insistunt. Vide item Picum Mirandulanum, *lib.* 5 *contra Astrol. cap.* 13, & Laurentium Eichstadium, *in Prolegom. tertiæ Partis Ephemer. Aphorismo* 83. Varii Astrologi, Cusanus, Alliacensis, Bacchon. Astrologorum istorum hallucinatio.

His accenfendi Burgensis, *in Supplem. super Matthæum, cap.*26. Lucidus, *l.* 7 *de Emendat. Temp. cap.* 2. Tostatus *Parte* 2 *Defensorii*, *cap.* 11, *&* 12, *& alibi sæpius.* Beroaldus, *lib.* 4 *Chronici.* Pitatus, *Tract.* 2, *in Proœmio*, *& alibi.* Genebrardus, *in Chronico*; ubi tamen varia conjungit sibi invicem adversantia. Theodorus Gaza, *libro de Mensibus, collato capite* 16 *cum* 21. Beuterus, *lib.* 1 *Fastorum, capite de Die Passionis Christi.* Grandamicus, *in Quæst. Evangel.* Labbæus, *in Concordia Chronol. ad annum* 4053. Malbrancus, *Tract.* 1 *Chronol. cap.* 15, ubi & varios non rectè pro suâ opinione allegat, & Fastos Consulares malè interpolat. Brietius, *in suis Annalib.* Origanus, *lib.* 1 *Ephemer. Parte* 1. *cap.* 1. Citatur etiam à Buntingo pro eâdem sententia Bartholomæus Scultetus; possentque proferri innumeri alii, qui eam non tam docent examinatis rationibus, quàm ut vulgò usurpatam sequuntur. Burgensis, Lucidus, Tostatus, Beroaldus, Pitatus, Genebrardus, Gaza, Beuterus, Grãdamicus, Labbæus, Malbrancus, Brietius, Origanus, Scultetus.

Eidem supputationi jam sese ac suos annos à Septembri ineuntes aptare videntur Græci recentiores, aliique Patriarchæ Constantinopolitano subjecti, Moscho- Græci recentiores.

vitæ, Bulgari, Georgiani, Illyrii, qui annum Christi primum numerant à Mundo condito quinquies millesimum quingentesimum nonum; Periodi nimirum Constantinopolitanæ. Varii tamen, qui suos annos à Januario inchoant cum Romanis, annum illum 5509 adæquatè componunt cum anno primo Æræ nostræ Vulgaris; & ita de aliis cum proportione. Et hoc modo intelligendus videtur Leo Allatius, *in Opere de Ecclesia Occidentalis atque Orientalis perpetuo consensu*, *pag*. 1494, dum ait Christum natum Anno 5508, Indictione 3; additque primum Christi annum esse 5509, Indictione 4.

Leo Allatius.

CAPUT OCTAVUM.

Qui faveant Anno Iuliano 46, Æræ nostræ Vulgaris primo.

Africanus.

FAVET omnino, meo quidem judicio, antiquissimus Sriptor Julius Africanus, *in Fragmento quod recitat Petavius*, *lib.* 8 *Auctarii*, *cap.* 4, ubi dicitur Incarnationem tribuisse Anno Mundi 5501. Cùm autem infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 4, *parag.* 1, ostensuri simus annum Mundi 5531 exeuntem incidere (ex peculiari calculo Africani distincto tam à Periodo Constantinopolitanâ, quàm Alexandrinâ) in Martium extremum Anni 31 Æræ Vulgaris, debebit, ex Africani mente, annus Mundi 5501 iniisse desinente Martio Anni Juliani 45, quo & peracta fuerit Incarnatio; & Januario anni Jul. 46 contigerit Nativitas, cui Mensi tunc communiter addicebatur ab Orientalibus. Quod Georgius Syncellus *pag.* 326, scribit Africanum affixisse Conceptionem Christi Anno Mundi 5500; si mendum absit, explicari potest de hoc anno exeunte, juxta dicta suprà de frequenti confusione duorum annorum, quorum alter desinit, alter incipit. Quod verò credit Syncellus Africanum sibi quoad Annum Incarnationis consentire; gravissimè hallucinatur, nec Africani mentem est assecutus; uti nec Hervartus, *Nova Chronol. cap.* 235, dum existimat Natalem Christi ab eo conjici in annum 3 ante Æram Vulgarem.

Panodorus.

Huic quoque anno patrocinatur Panodorus Monachus Ægyptius, qui Arcadii Imperatoris ætate floruit, teste Syncello, *pag.* 326 *Chronogr.* ubi etiam, *paginâ sequente*, addit, salutarem Christi ortum ab eo inscriptum anno Mundi 5493; Periodi nimirum Alexandrinæ, quam Ægyptius ille sectabatur. Fluere autem annus ille anno Juliano 46 labente, quo desinente natus fuerit Christus, propagatâ tunc (quantum apparet) per Orientem traditione Romanâ de Nativitate peractâ Mense Decembri. vide Petavium, *lib.* 8 *Auctarii*, *cap.* 1, & Syncellum *in Chronogr. pag.* 35, 313, 326, 327.

Antiquus Anonymus

Pro hoc etiam anno facere videtur Vetustissimus Author Homiliæ de Nativitate Joannis, quæ Latinè tantum legitur inter Opera Chrysostomi. Asserit enim conceptum Joannem die 24 Septembris, Lunâ 10 (Cyclicâ nimirum) mensis Tisri; Christum autem conceptum die 25 Martii insequentis, Lunâ 15, & Paschali. Posteriores characteres annum Julianum 46 designant, priores 45, juxta Cyclos Nicænos proximè; nec video cui anno meliùs aptari possint.

Eumdem

Eumdem indicant annum Fasti antiqui à Cuspiniano recitati, *Comment. in Cassiodorum*, *pag.* 351. Aiunt enim Christum natum Cæsare (Augusti nepote) & Paulo Coss. die VIII Cal. Jan. Quod verò addunt fuisse tunc Lunam XV; mendosum est: nam juxta Cyclum Nicænum erat XXIII; juxta Julianum, XXII. Antiqui Fasti.

Dionysius quoque Exiguus (si Bedæ, Sigeberto, Mariano Scoto, aliisque Computistis credimus) ab hoc anno suam *Incarnationis Christi* Æram orditur, quam eo fine instituit, ut jam per duo sæcula in Ecclesiâ receptam Diocletiani Epocham aboleret. Bonus hic Dionysii zelus circiter per duo etiam sæcula effectu suo caruit; donec tandem octavo sæculo Æra illa apud varios obtinere cœpit: ita ut annus primus Æræ Vulgaris passim diceretur esse ille, quo Christus & conceptus fuisset & natus. vide dicenda infrà, *cap.* 11, item Petavium *lib.* 12, *cap.* 1. Dionysius Exiguus.

Beda, qui nulli opinioni constanter adhæsit, pro hoc anno pronuntiat, *libro de Temporum ratione cap.* 45. Ibi enim Incarnationem addicit Anno 2 Cycli decennovennalis Dionysiani, quo Cyclica Luna 14 Paschalis incidit in diem 25 Martii; qui characteres, uti & alii quos ibidem signat, unicè huic anno conveniunt. Beda.

Characteres quoque hunc annum certò designantes proponit Hugo Flaviniacensis *in Chronico, quod à variis vocatur Virdunense*; dum ait Christum natum Anno 2 Cycli decennovennalis, Indictione 4, Concurrente 5, Epactâ 11, Feriâ 1, Lunâ 13; pro quo legendum, *Lunâ* 23. Postea tamen alia asystata subjungit. Hugo Flaviniacensis.

Eidem opinioni adhærent Campanus, *in Computo*, *cap.* 24, & 32. Rogerius Bacchon, *in Epistolâ ad summum Pontificem*; sed ex dictis præcedenti capite, videri hic posset favisse Anno Jul. 45. Joannes de Muris, *in Opere de Regulis Calendarii*. Massæus, *in Chronico*, ubi tamen varios characteres se mutuò convellentes miscet. Lucas Gauricus, *in libro prædictionum Eclipsium*, *apud Pitatum*, *Tract.* 2, *folio* 66, ubi ostendit eum in Feriis hallucinari, & secum pugnare. Matthæus West-Monasteriensis, *in Floribus Historiarum*, Indictionis 4, Epactæ antiquæ 11, Concurrentium 5 assignatis characteribus; qui omnes in annum Jul. 46 conspirant: turpiter tamen errat, dum annum illum vocat tertium Olympiadis 193, cùm sit primus Olympiadis 195. Campanus, Bacchon, Jo. de Muris, Massæus, Gauricus, Westmonasteriensis.

Ex dictis colliges hos Scriptores, dum annum hunc vocant *primum Christi*, numerare annos *ab Incarnatione*; quo loquendi modo communissimè utuntur qui ab octo circiter sæculis Æram Dionysianam usurpare cœperunt. Atque hinc ulterius sequitur malè hos à nonnullis anni 45 Juliani patronis allegari, quasi ipsis faventes; cùm anno solido discrepent quoad Natalem Christi; etsi utrique annum hunc 46 Julianum vocent Christi primum; sed hi, ut jam dicebam, ab Incarnatione; illi à Circumcisione. Corollariū.

vitæ, Bulgari, Georgiani, Illyrii, qui annum Christi primum numerant à Mundo condito quinquies millesimum quingentesimum nonum; Periodi nimirum Constantinopolitanæ. Varii tamen, qui suos annos à Januario inchoant cum Romanis, annum illum 5509 adæquatè componunt cum anno primo Æræ nostræ Vulgaris; & ita de aliis cum proportione. Et hoc modo intelligendus

Leo Allatius.

videtur Leo Allatius, *in Opere de Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetuo consensu, pag.* 1494. dum ait Christum natum Anno 5508, Indictione 3; additque primum Christi annum esse 5509, Indictione 4.

CAPUT OCTAVUM.

Qui faveant Anno Iuliano 46, Æræ nostræ Vulgaris primo.

Africanus.

FAVET omnino, meo quidem judicio, antiquissimus Sriptor Julius Africanus, *in Fragmento quod recitat Petavius, lib.* 8 *Auctarii, cap.* 4, ubi dicitur Incarnationem tribuisse Anno Mundi 5501. Cùm autem infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 4, *parag.* 1, ostensuri simus annum Mundi 5531 exeuntem incidere (ex peculiari calculo Africani distincto tam à Periodo Constantinopolitanâ, quàm Alexandrinâ) in Martium extremum Anni 31 Æræ Vulgaris, debebit, ex Africani mente, annus Mundi 5501 iniisse desinente Martio Anni Juliani 45, quo & peracta fuerit Incarnatio; & Januario anni Jul. 46 contigerit Nativitas, cui Mensi tunc communiter addicebatur ab Orientalibus. Quod Georgius Syncellus *pag.* 326, scribit Africanum affixisse Conceptionem Christi Anno Mundi 5500; si mendum absit, explicari potest de hoc anno exeunte, juxta dicta suprà de frequenti confusione duorum annorum, quorum alter desinit, alter incipit. Quod verò credit Syncellus Africanum sibi quoad Annum Incarnationis consentire; gravissimè hallucinatur, nec Africani mentem est assecutus; uti nec Hervartus, *Novæ Chronol. cap.* 235, dum existimat Natalem Christi ab eo conjici in annum 3 ante Æram Vulgarem.

Panodorus.

Huic quoque anno patrocinatur Panodorus Monachus Ægyptius, qui Arcadii Imperatoris ætate floruit, teste Syncello, *pag.* 326 *Chronogr.* ubi etiam, *paginâ sequente*, addit, salutarem Christi ortum ab eo inscriptum anno Mundi 5493; Periodi nimirum Alexandrinæ, quam Ægyptius ille sectabatur. Fluere autem annus ille anno Juliano 46 labente, quo desinente natus fuerit Christus, propagatâ tunc (quantum apparet) per Orientem traditione Romanâ de Nativitate peractâ Mense Decembri. vide Petavium, *lib.* 8 *Auctarii, cap.* 1, & Syncellum *in Chronogr. pag.* 35, 313, 326, 327.

Antiquus Anonymus

Pro hoc etiam anno facere videtur Vetustissimus Author Homiliæ de Nativitate Joannis, quæ Latinè tantum legitur inter Opera Chrysostomi. Asserit enim conceptum Joannem die 24 Septembris, Lunâ 10 (Cyclicâ nimirum) mensis Tisri; Christum autem conceptum die 25 Martii insequentis, Lunâ 15, & Paschali. Posteriores characteres annum Julianum 46 designant, priores 45, juxta Cyclos Nicænos proximè; nec video cui anno meliùs aptari possint.

Eumdem

Eumdem indicant annum Fasti antiqui à Cuſpiniano recitati, *Comment. in Caſſiodorum, pag.* 351. Aiunt enim Chriſtum natum Cæſare (Auguſti nepote) & Paulo Coſs. die VIII Cal. Jan. Quod verò addunt fuiſſe tunc Lunam XV; mendoſum eſt: nam juxta Cyclum Nicænum erat XXIII; juxta Julianum, XXII. Antiqui Faſti.

Dionyſius quoque Exiguus (ſi Bedæ, Sigeberto, Mariano Scoto, aliiſque Computiſtis credimus) ab hoc anno ſuam *Incarnationis Chriſti* Æram orditur, quam eo fine inſtituit, ut jam per duo ſæcula in Eccleſiâ receptam Diocletiani Epocham aboleret. Bonus hic Dionyſii zelus circiter per duo etiam ſæcula effectu ſuo caruit; donec tandem octavo ſæculo Æra illa apud varios obtinere cœpit: ita ut annus primus Æræ Vulgaris paſſim diceretur eſſe ille, quo Chriſtus & conceptus fuiſſet & natus. vide dicenda infrà, *cap.* 11, item Petavium *lib.* 12, *cap.* 1. Dionyſius Exiguus.

Beda, qui nulli opinioni conſtanter adhæſit, pro hoc anno pronuntiat, *libro de Temporum ratione cap.* 45. Ibi enim Incarnationem addicit Anno 2 Cycli decennovennalis Dionyſiani, quo Cyclica Luna 14 Paſchalis incidit in diem 25 Martii; qui characteres, uti & alii quos ibidem ſignat, unicè huic anno conveniunt. Beda.

Characteres quoque hunc annum certò deſignantes proponit Hugo Flaviniacenſis *in Chronico, quod à variis vocatur Virdunenſe*; dum ait Chriſtum natum Anno 2 Cycli decennovennalis, Indictione 4, Concurrente 5, Epactâ 11, Feriâ 1, Lunâ 13; pro quo legendum, *Lunâ* 23. Poſtea tamen alia aſſyſtata ſubjungit. Hugo Flaviniacenſis.

Eidem opinioni adhærent Campanus, *in Computo, cap.* 24, & 32. Rogerius Bacchon, *in Epiſtolâ ad ſummum Pontificem*; ſed ex dictis præcedenti capite, videri hic poſſet faviſſe Anno Jul. 45. Joannes de Muris, *in Opere de Regulis Calendarii*. Maſſæus, *in Chronico*, ubi tamen varios characteres ſe mutuò convellentes miſcet. Lucas Gauricus, *in libro prædictionum Eclipſium, apud Pitatum, Tract.* 2, *folio* 66, ubi oſtendit eum in Feriis hallucinari, & ſecum pugnare. Matthæus Weſt-Monaſterienſis, *in Floribus Hiſtoriarum*, Indictionis 4, Epactæ antiquæ 11, Concurrentium 5 aſſignatis characteribus; qui omnes in annum Jul. 46 conſpirant: turpiter tamen errat, dum annum illum vocat tertium Olympiadis 193, cùm ſit primus Olympiadis 195. Campanus, Bacchon, Jo. de Muris, Maſſæus, Gauricus, Weſtmonaſterienſis.

Ex dictis colliges hos Scriptores, dum annum hunc vocant *primum Chriſti*, numerare annos *ab Incarnatione*; quo loquendi modo communiſſimè utuntur qui ab octo circiter ſæculis Æram Dionyſianam uſurpare cœperunt. Atque hinc ulterius ſequitur malè hos à nonnullis anni 45 Juliani patronis allegari, quaſi ipſis faventes; cùm anno ſolido diſcrepent quoad Natalem Chriſti; etſi utrique annum hunc 46 Julianum vocent Chriſti primum; ſed hi, ut jam dicebam, ab Incarnatione; illi à Circumciſione. Corollariū.

CAPUT NONUM.

Qui sentiant Christum natum post Annum Iulianum 46, seu post annum primum Æræ Vulgaris.

Forosempronienfis. pro Anno Jul. 47. & Christmannus.

IN anno 47 Juliano, 2 Dionysiano, maximè acquievisse videtur Foro-sempronienfis, *in sua Paulina lib.* 13, *& alibi*; repudiato illo somnio, de quo egimus suprà, *cap.* 2. Christmannum pro eodem anno allegat Calvisius, *in Prolegom. Chron. cap.* 46. Perspicuè pro eo stat Azor, *Parte* 2 *Institut. lib.* 1. *c.* 10 *Quæst.* 3: sed Lucidum, quem ibi allegat, non videtur intellexisse.

Pro Anno 48, Author Operis de Argumentis Lunæ.

Pro anno Juliano 48, 3 Dionysiano, satis apertè facit Author Opusculi, *de Argumentis Lunæ, inter Opera Bedæ, dum, Parag. de Solstitiis & Æquinoctiis*, asserit Christum incarnatum VIII Cal. Apriles, die Dominico; natum autem VIII Cal. Januarias Feriâ tertiâ: &, *paginâ præcedente, Parag. Quis primus Bissextum invenit*, addit Julium Cæsarem invenisse Bissextum *anno* 48 *ante Nativitatem Christi:* qui characteres optimè in hunc annum quadrant, & inter se consentiunt.

& Lydiatus.

Pro eodem anno, & pro Natali Christi vernæ tempestati vendicando acriter decertat Thomas Lydiat, *in Emendatione Tempor. & in Recensione*, sibique persuadet universos in sententiam illam abituros. Sed hactenus falsus vates fuit, & procul dubio erit.

Pro Anno 54, quidã Antiqui innominati.

Ad annum Julianum 54, Vulgarem 9, olim Christi Natalem protruserunt nonnulli, de quibus agit Epiphanius, *Hæresi* 51, *num.* 29. Qui locus quia nec à Petavio, nec (quod sciam) ab ullo alio satis explicatus est; paulo accuratiùs erit explicandus; maximè cùm nec ipsi, quantum apparet, Epiphanio satis perspecta fuerit mens eorum, quos ibidem impugnat.

Explicatur Epiphanius de illis agẽs.

In primis dicebant errones illi Christum natum *circa annum* 40 *Augusti.* Hìc Epiphanius, ex propriæ opinionis præjudicio, contendit esse mendum, & debuisse scribi *annum* 42. Sed præpositio *circa*, & diversitas opinionum circa annos Augusti, hactenus extra culpam esse sinebant Chronologiam istam. Verù in addendo id contigisse *Sulpitio Camerino & Cneo Poppæo Sabino Consulibus*; satis ostendebant Veteres illi se cum iis sensisse, quos mox subjiciemus, patronis Anni 9 Dionysiani, quo jam dicti Consules fuere; & cum his patronis annos Augusti depressisse in annos posteriores, contra veram ac legitimam Chronologiam; manifesto novennii metachronismo. Depravatè quidem scribitur alterius è Coss. nomen apud Epiphanium, apud quem pro, *Cneo Poppæo*, legitur, *Butteo Pompeiano*, vel, ut videtur legisse Cornarius, *Cneo Pompeiano.* Mendum enim satis arguit, tum quòd Butteus Pompeianus nusquam in Fastis compareat; tum quòd vitii expers sit nomen *Sulpitii Camerini* (qui fuit eo anno Poppæi Collega) imò & *Sabini* cognomen integrè habeatur *pag.* 445 Petavianæ editionis Epiphanii; tum quòd eorumdem Consulum expressio, licet pariter vitiosa, apud Syncellum, *pag.* 315, id, quod jam dicebamus, satis confirmet; dum ait, Christum natum ἐν ὑπατείᾳ

Γβλπικίδ

Γȣλπικίȣ καὶ Μαρίȣ, ϗ Γαΐȣ Πομπηΐȣ; in quibus verbis manifesta vestigia sunt veræ lectionis: ἐν ὑπατείᾳ Συλπικίȣ Καμερίνȣ, ϗ Γναίȣ Ποππαίȣ.

Illos secuti sunt varii.

Observationem meretur, quod *ibidem* testatur Syncellus, se ex accuratis & antiquis exemplaribus hausisse, quæ de Christo his Consulibus nato scribit: ut vel inde appareat quàm antiquus sit error ille, quem à Valentino Hæresiarchâ invectum esse, ex Epiphanio suspicari licet. Ut ut sit, certissimum est in hanc sententiam palàm abiisse præclaros aliquot mediæ vetustatis Scriptores Græcos, quorum verba paulò liberaliùs hìc recitabo; tum ut manifestum fiat fautores hujus erroris non fuisse Fastis Consulum vitiosis deceptos; tum ut res adeò de se incredibilis sit extra omne dubium; tum denique ut clarior evadat usus Cyclorum Periodi Alexandrinæ, quam Authores illi amplectuntur.

S. Maximus.

Apertissimè mentem suam expromit S. Maximus, *Parte 1 Computi. cap.* 32, in hæc verba: *Erat tunc (* quando Verbum incarnatum est *) Annus Mundi* 5501, &c. *Annus* (Cycli Alexandrini) *Solis XIII, Lunæ X. Feria hebdomadæ, tempore Annuntiationis, secunda; Nativitatis, quarta:* qui omnes characteres sunt anni 5501 Periodi Alexandrinæ, juxta dicta *in Prolegominis Lemmate* 1. Subdit deinde S. Maximus: *Colliguntur ab Incarnatione usque ad præsentem Indictionem (* nempè, XIV, ut patet ex *capite* 14 *) anni* 31 *Heraclii Imperatoris, Anni* 633. Est ille Heraclii annus, Dionysianus 641; ut constat omninò, tum ex jam dictis, tum ex aliis characteribus allatis à S. Maximo, *cap.* 19, 20, *&* 34. Jam verò subtractis 633 ex 641, supersunt 8; atqui ita annus primus Verbi Incarnati oritur, secundùm S. Maximum, anno 9 Æræ Vulgaris, in Vere, à quo annos hosce sacros inchoat. Hinc patet quàm longè aberret Scaliger, *lib. 7 de Emendat. pag.* 710, 711, dum asserit Christum, ex S. Maximi sententiâ, natum anno Juliano 43, seu tertio ante Æram Vulgarem.

Georgius Syncellus,

Eadem omninò est mens Georgio Syncello, *pag.* 315, 316 *Chronog.* ubi cum S. Maximo Evangelismum Zachariæ conjicit in diem decimum Mensis septimi Tisri, 27 Septembris, anni Mundi 5500, Incarnationem autem in primum diem Anni 5501, ineuntis die 25 Martii, Phamenoth 29, Consulibus (ut paulò antè legendum dicebamus) Sulpicio Camerino, & Cneo Poppæo. Addit natum Christum die 25 Decembris; seque sententiæ suæ authores habere S. Hippolytum Portuensem, Annianum, & S. Maximum. De hoc postremo res ex modò dictis clara est. de Anniano, cùm ejus Opus non extet, non habeo quod dicam. de S. Hippolyto ægrè assentior. Vide dicta suprà, *initio capitis* 6.

Pseudo-Eusebius.

Ad hos planè accedit Vetustus Scriptor, quem sub nomine *Eusebii, in Chronicis*, allegat Anastasius Sinaita, *Quæst.* 93, in hæc verba: *Erat tunc* (quando Verbum naturam humanam assumpsit) 5500 *annus (ut habet Scriptura in Sacris litteris) annorum qui numerantur ab Adamo. In eo enim fuit & Annuntiatio Virginis, & castissimus ex eâ partus. Erat autem annus Solis quidem XIII, Lunæ verò X: dies autem erat hebdomadis, Annuntiationis quidem II, Nativitatis autem VI.* Duo hìc sunt quæ correctione indigeant; sed quæ se ultro ingerat intelligenti. In primis Cycli Solis & Lunæ, qui integri permanserunt, statim offendunt, pro 5500, legendum esse 5501; ut patet ex dictis suprà,

Lemmate

Lemmate V. de Periodo Alexandrinâ. deinde tum ex anno correcto 5501, tùm ex Feriâ Annuntiationis, quæ rectè se habet, corrigenda est Feria Nativitatis, & substituenda, *quarta*; erat enim eo Anno 9 Æræ Vulgaris Littera dominicalis F. Cæterùm ex anno illo Mundi facilè colliges Scriptorem hunc non posse esse Eusebium Cæsariensem; quandoquidem hic Natalem Christi tribuat anno Mundi 5199: atque ita totis 300 annis discrepet ab illo Pseudo-Eusebio.

Anastasius Nicænus. Ignoti hujus vestigiis insistit ipse Anastasius, *lib. 7 in Hexaëmeron: Secundus Adam* (inquit) *sexto die sæculi* (id est sexto millenario annorum Mundi) *super terram fuit, & apparuit; nempè anno quinquies millesimo, quingentesimo, qui est meridies* (ut potè occupans medium sexti millenarii) *& vespera* (ut potè pars sexti & ultimi millenarii annorum Mundi) *& sextæ horæ medius; videlicet sextæ quantitatis sæculi:* id est, sexti millenarii Mundi. Hîc rursus observare est, annum 5500 poni loco 5501, aut certè duos annos contiguos, ùt sæpè aliàs, confundi.

Epiphanius Diaconus. Quàm universaliter quibusdam sæculis invaluerit hæc opinio, non obscurè declarat, quod Epiphanius quidam Diaconus, *in Septima Synodi Generalis, seu Nicænæ secunda Tomo 2, Lectione ultimâ*, quæ incipit ab his verbis: *Indoctum & ineruditum, &c.* palam asserat, *In primo & quingentesimo post expleta quinque annorum millia, Christum Deum nostrum ad homines venisse, &c.*

S. Basilius. In eamdem sententiam concessisse censeri potest Basilius, si verum est, quod scribit Hippolytus Thebanus, *in Chronico*, eum asseruisse, *In ipso quinquies millesimo quingentesimo anno Dominum nostrum Iesum Christum natum esse.* Quæ verba sensu antea explicato sunt accipienda.

Nicephorus Const. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, *in suâ Chronologiâ*, his etiam adhæret; dum scribit, *Ab Adam ad Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi in carne Adventum, ex accuratiore calculo numerari annos* 5500. completos videlicet; & ita ut Natalis inciderit in annum Periodi Alexandrinæ 5501, quam ab hoc Scriptore observari, patet ex variis annorum epilogismis, quos sparsim interserit. Ut v. g. dum ait, Anno Justini Junioris septimo (aut potiùs octavo) Indictione 6, fuisse Annum Mundi 6065. Erat tunc Annus Æræ Vulgaris 573: hunc ex illo detrahe, supererit annus 5492, iniens labente Anno Jul. 45, seu primo ante Ær. Vulgarem. Eodem modo accipiendus est Græcus Chronographus Joël, dum *pag.* 161 ita scribit: *Anno Imperii Augusti* 42 (accepto ad eum modum, quo illum accipiunt Periodi Alexandrinæ sectatores) *natus est Dominus noster Iesus Christus: anno verò illius* 41, *Anni ab Orbe condito quinquies mille & quingenti.* Supple, complentur. Natalem igitur Anno 5501 adscribit.

Joël Chronographus.

Æthiopes. Æthiopes, quorum Computum Ecclesiasticum adfert & explicat Scaliger, *lib. 7 de Emend. pag.* 629, *& seqq.* sicut Ritum Ecclesiæ Alexandrinæ amplexi sunt, ita & calculum. Unde ad calcem jam dicti Computi, pariant inter se Annum Christi Æthiopicum 1577, & annum Mundi 7077. Tolle illum priorem numerum ex hoc posteriore; supererunt anni completi usque ad Incarnationem 5500. Vide Scaligerum *suprà, pag.* 646, *&* 660, quibus jam dicta confirmantur.

Huc

Huc etiam referri poteſt Theophanes, qui Georgii Syncelli Chronographiam ita continuat, ut eidem inſiſtat. Item Nicetas Pectoratus, & Anonymus Patriarcha Antiochenus, de quibus infrà, *Quæſt.* 3, *cap.* 8. Eo enim ipſo quo prædictis aſſentiuntur quoad annum Paſſionis Chriſti (quod *ibidem* oſtendetur) meritò creduntur aſſentiri etiam quoad annum Nativitatis, receptiſſimo apud Græcos more. Huc quoque à nonnullis referuntur Paulus, ſeu potiùs Joannes Diaconus, *in Miſcelli*, Landulphus Sagax, *in continuatione Hiſtoriæ*, Gerlandus Lotharingus, &c. Sed video illorum nonnullos à quibuſdam eruditis viris pro aliis annis adferri; quod non eſt operæ pretium diſcutere: cùm conſtet Chronologiam illam eſſe erroneam; & aliquot ex jam citatis, id quod in Anaſtaſii Bibliothecarii Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ex Nicephoro Patriarchâ, Georgio Syncello, & Theophane deſumptum legerant, indiſcuſſum in ſuam rhapſodiam tranſtulerint. Videri fortè alicui poſſent huc pertinere etiam Jornandes, Otto Friſingenſis, & ſimiles Latini; dum ſcribunt Chriſtum natum anno Mundi 5500. Sed aliunde ſatis conſtat eos ab Alexandrinâ hac Chronologiâ alienos eſſe.

Theophanes, Nicetas Pectoratus, Anonymus Patriarcha Antiochenus.

Quidam variè citati.

Quidam tantùm in ſpeciem favent.

CAPUT DECIMUM.

Controverſia de Anno Natali Chriſti non poteſt Sanctorum Patrum aliorumve Scriptorum de illo agentium authoritate dirimi.

HActenus non indiligenter, ni fallor, oſtendimus quanta SS. Patrum inter ſe, quanta etiam præcipuorum per omnes ætates Scriptorum diſſenſio ſit in aſſignando Natali Chriſti anno. Ex quo manifeſtè conficitur fruſtra omninò eſſe eos, qui aut illorum, aut iſtorum authoritate litem hanc decidi poſſe exiſtimant. Quemadmodum enim ex pugnantibus teſtium aſſertionibus nihil in utramvis partem, ibi ſiſtendo, poteſt Judex prudenter ſtatuere: ita nobis ſatis præſidii eſſe non poteſt in SS. Patrum pronuntiatis, aliorúmve Doctorum dictis, ad quæſtionem hanc exactè ſolideque dirimendam; cùm pro diverſiſſimis annis faciant viri & antiquitate venerabiles, & doctrinâ conſpicui, & numero frequentes.

Ex variantibus opinionibus nihil certi.

Mirum omninò eſt Annum tot adjunctis circumſcriptum, tam laxis opinionum ſpatiis tam diu vagari potuiſſe; ut non arctiore gyrò, quàm annorum 42, etiam à Catholicis concluſus fuerit; quemadmodum ex ſuprà allatis patet. Sunt tamen ex illis opinationibus nonnullæ adeò manifeſto ſeu prochroniſmo, ſeu metachroniſmo peccantes; nemo ut hodie reperiatur, qui non eas explodendas cenſeat. Hujuſmodi ſunt quæ in definiendo Chriſti Natali aut annum Julianum 40 prævertunt, aut ſequuntur quadrageſimum ſextum. Atque ita hoc tempore de ſolis ſeptem annis litigatur; imò ferè de ſolis quinque: cùm Julianus 40, & 46, jam communiore eruditorum calculo rejiciantur.

Tota lis hodie ad annos ferè quinque redacta.

Intra illum controverſorum annorum quinarium, numero quidem & gravitate

Nulla hic species Traditionis.

tate Scriptorum tam antiquorum, quàm recentium, præstant quadragesimus tertius & quartus Julianus: sed cùm nec hi conveniant inter se, & aliorum annorum patronos sibi habeant adversantes; tollitur ille judiciorum consensus, ex quo plurima inter Catholicos statuuntur; aboletúrque omnis suspicio Traditionis: cùm illi ipsi per quos transmitti ad nos debuisset, suâ dissensione satis declarent, quàm nihil explorati habuerint hac in parte.

Relicta hodieque intra certos terminos opinandi libertas.

Hoc saltem emolumenti ex illâ diversitate referre possumus, ut intelligamus & quosdam esse annos, à quibus in Divini Natalis designatione recedendum non sit longiùs; cùm torrens Sapentûm intra paucorum annorum ambitum semper se continuerit: & relictam esse nobis moderatam aliquam in opinando libertatem; cùm ii, de quibus agimus, tantam sibi permiserint. Nemini ergo Recentiorum fraudi apud viros cordatos esse debet, si quis, ex rationibus olim minùs accuratè discussis; hoc autem sæculo, quo omnia magis ad vivum resecantur, diligentissimè examinatis, novi aliquid proferat: modo ne latiùs extra constitutos olim fines vagetur. In iis nomen meum profiteor, qui Antiquitati plurimùm deferendum putant, dum unanimi consensu in idem conspirat. Verùm ubi sibi ipsa non satis constat, sed in studia planè contraria scinditur incerta; ægrè, opinor, ferri non potest, si quis, non levibus ex causis, & duces ex Doctissimis Recentioribus nonnullos secutus, aliquid audeat; & facto modico à communionibus opinionibus diverticulo, in alias non admodum remotas abeat. Exemplo nobis hac in parte præivere ipsi SS. Patres, qui antecessorum suorum dicta, ad universam Christi Chronologiam spectantia, succedentibus temporibus perpolivere; ut ex dicendis postea manifestum evadet.

CAPUT UNDECIMUM.

Nec ex Ecclesiæ, nec ex Conciliorum, nec ex Summorum Pontificum judicio quicquam habetur, quo Christi Natalis ulli anno adjudicetur.

Prætensum Ecclesiæ judicium pro Æra Vulgari.

PLUS vice simplici miratus sum reperiri, etiam doctissimo hoc sæculo, Scriptores nonnullos, qui & sibi persuaserint, & aliis persuadere conentur, Æram Vulgarem esse dudum ab Ecclesiâ Romanâ approbatam; ut pote (verba sunt cujusdam Recentioris) quæ *à mille & amplius annis annos suos ab eâ numeret, nec aliud Æræ communis caput, quàm salutis humanæ, à Salvatore in lucem edito, cognoscat. Ecclesiam à secus opinantibus mendacii vel erroris insimulari; eam ab his injuriam & calumniam pati; ab his contra veritatis Evangelicæ fidem pronuntiari diem Nativitatis Christi; & adversus notas infallibiles, quas Deus ipse sacris litteris impressit, authoritatem prophanorum mendacem opponi*; & alia id genus. Quæ omnia ut quàm nullo nitantur fundamento, clarè ostendam;

Dionysius Æræ Vulg.

Scire primùm velim ex Recenti Scriptore, aliisque ejus symmystis, credant ne seu Dionysium Æræ Vulgaris authorem, illam introducendo; seu Ecclesiam, illam

illam usurpando, existimasse Christum & conceptum, & natum anno Juliano 45 (quemadmodum ipsi docent) an verò Juliano 46? Si hoc posterius eligant: jam suas ipsi hypotheses destruunt; & quod stabilire volunt, evertunt. Si priorem annum 45, ut debent, præoptent: subitò contra illos insurget Antiquitas, & nominatim Computistarum chorus, testabiturque se ita semper Dionysii mentem accepisse, ut crediderit tum Incarnationem, tum Nativitatem Christi anno 46 Juliano contigisse. Locuples hujus rei testis (ut cæteros omittam) est Beda, *lib. de Ratione Temporum, cap.* 45, ubi tam multos & tam singulares profert characteres anni 46 Vulgaris, ex ipsius Dionysii verbis desumptos; ut difficile admodum sit sibi persuadere, Dionysium aliter sensisse. Certè Bedam id credidisse, extra omne dubium est; idemque passim eâ ætate creditum fuisse non videtur ambigendum.

Author potiùs favet Anno Jul. 46.

Historici quoque Latini mediæ Antiquitatis, annos quibus vulgò utimur, ita usurpant; ut eos communissimè *ab Incarnatione* deducant; Æramque illam varii, *Dionysii* appellent. Quin & ad nostram ferè ætatem usus totâ Galliâ, Belgio universo, variisque aliis in Provinciis invaluit, ut hi anni vel à 25 die Martii, vel à Paschate inchoarentur. Hoc posterius ideo in Occiduas hasce Regiones inductum fuisse pronum est suspicari, quòd olim illis idem esset dies Incarnationis & Paschatis, in quamcumque demum Hebdomadis Feriam incideret; ut testantur varii ex Antiquis. Introducto autem paulatim ritu Nicæno quoad Paschatis celebrationem, ideò fortassis potius in Paschate, quàm in die 25 Martii fixus fuerit Anni cardo; quòd Paschales Feriæ forenses dierum 15, indictæ ab Imperatoribus Christianis, *Lege* 2 *&* 7, *Cod. de Feriis*, commodiorem aliquantò redderent Anni mutationem. Duravit ille mos in Galliâ ad Annum usque Vulgarem 1567, quo à Rege Carolo IX sublatus est; annique caput, eodem numero retento, ad præcedentes Calendas Januarias est revocatum. Idem factum in Belgio, authoritate Regiâ, Anno 1577; adeo apud nos recens est hodierna supputatio. Hanc anni mutationem egregiè illustrat notissimum illud Chronographicum captivitatis Francisci primi ad Ticinum:

Annus primus Æræ Vulg. Annus Incarnationis passim habitus.

Anni caput fixũ in Kalendis Jan. recens apud nos.

aqVILa ConCVLCaVIt LILIVM.

Erat, juxta hodiernum supputandi modum, Annus 1525; designatur tamen hoc Chronographico annus dumtaxat 1524: non ex errore; sed ex eo quod Rex die 25 Februarii in Cæsarianorum, potestatem venerit; adeoque & ante Pascha, quo cœptus est numerari annus 1525. Vide Ferreoli Locrii Chronicon Belgicum, *pag.* 589.

Quod attinet ad Ecclesiæ sensum, non aliunde melius, opinor, hauriri potest, quàm ex Conciliorum Actis, & ex Epistolis Bullisque Pontificum. Atqui tantum abest, ut ex iis pronuntiari possit, *Romanam Ecclesiam à mille, & amplius, annis annos suos numerare à Christi Natalibus; nec aliud caput Æræ communis, quàm salutis humanæ à Salvatore in lucem edito cognoscere*; ut ne vestigium quidem ejus rei reperire sit. Characteres temporum olim Communissimè à Conciliis ac Pontificibus usurpati, fuerunt Consules, Anni Imperatorum aut Regum, Indictiones, Æra Hispanica, Anni Incarnationis, ad sensum paulò antè explicatum: at annos à Nativitate Christi, tanquam peractâ anno Juliano 45, usurpatos

Sensus Pontificũ Rom. & Conciliorum antiquiorum.

ante undecimum circiter sæculum, non memini me, etsi non oscitanter inquisiverim, uspiam legere. Ab hoc autem ipso tempore adeò inconstans fuit usus ille; ut in Pontificum Rescriptis jam adhibita fuerit Æra illa recentior à Nativitate, jam alia antiquior ab Incarnatione. Et quidem de hac antiquiore, de quâ est potissima difficultas, patet ex litteris Nicolai Papæ II, pro Monasterio S. Felicitatis, datis *Sexto Idus Januarii*, *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* 1059, *Anno primo Pontificatus*, *Indictione decimâ tertiâ*. Non convenit Indictio illa, nisi Anno 1060 (juxta hodiernum computandi morem) cujus Januario in cursu civili tunc adhuc erat annus 1059 ab Incarnatione juxta antiquum calculum; ut rectè observavit Baronius, ad annum illum 1060, quem omninò consule. Similiter Epistola 10 Eugenii Papæ III ad Archiepiscopum Coloniensem dicitur data *sexto Idus Januarii*, *Indictione XV*, *Incarnationis Dominicæ* 1151, *Pontificatus Anno* 7. Indictio & annus 7 Pontificatus labens in Januario, manifestè arguunt adhiberi hic annos ab Incarnatione jam dictos; & hanc Epistolam scriptam esse anno, ut nunc numeramus, 1152. Similem computationem observare est in aliorum etiam Pontificum Bullis; in quarum tamen plerisque post Martinum V editis ita numerantur anni Incarnationis, ut à 25 Decembris initium ducant; quod ideò factum existimare licet, ut nova Indictio, quæ in Curiâ Romanâ eo die mutatur, cum novo anno congrueret. Atque ita, per trium solidorum Mensium prolepsin, revocati fuerint Incarnationis anni ad caput anni Indictionum.

Epocha Incarnationis revocata ad Epocham Nativitatis.

Confirmatur id ex eo, quòd qui annos tam à Nativitate, quàm ab Incarnatione strictè sumptâ sæculis proximè superioribus numerabant, à die 25 Decembris ad 25 Martii annos uno plures à Nativitate, quàm ab Incarnatione numerarent; ut de Florentinis & Senensibus testatur Joannes Lucidus, *lib. de vero die Passionis*, *cap.* 3, & plures alii; & nominatim, quoad Ecclesiam Romanam, Covarruvias, *lib.* 1 *Variarum*, *cap.* 12: cùm res ipsa dictet contrarium fieri debuisse. Hinc autem statim apparet annos à Nativitate, priori ab Incarnatione supputationi supervenisse; sive, hanc revocatam per prolepsin ad diem Nativitatis, nomen ab eo die sumpsisse, non solemni, aut tacitâ Pontificum approbatione; sed merâ dissimulatione. Certè de Blondo Flavio testantur varii, eum dum Consistorio Pontificio esset à secretis, effecisse ut diplomatis Pontificiis apponeretur annus Incarnationis: cùm antea, circa illa tempora, soli ferè anni Pontificatûs uniuscujusque apponerentur. Quod verò addunt nonnulli id primùm à Blondo introductum; patet ex dictis falsum esse. Saltem ex allatis hactenus clarè conficitur, Ecclesiam Romanam & serò admodum, &, ante tria sæcula, valde raro in Actis publicis annos à Nativitate usurpasse: annos autem ab Incarnatione, velut exeunte Martio anni Juliani 46 peractâ, non tam probasse, quàm non improbasse.

Quod si Ecclesiam toto Orbe dispersam attendamus; manifestè deprehendemus recentissimam esse supputationem à Nativitate, aut à Circumcisione Christi; eamque ipsam non aliam esse, ut jam dicebamus, quàm supputationem anticipatam annorum ab Incarnatione. De Galliâ & Belgio jam id ostensum est: eademque est ratio de Germaniæ quibusdam Provinciis. De Hispanis testis est Covarruvias,

ruvias, *loco citato*, anno demum 1383 Vulgari eos à Joanne Rege primo jussos esse, omissâ Ærâ Hispanicâ, quâ eo usque usi fuerant, numerare annos à Nativitate, juxta receptiorem tunc apud nonnullos acceptionem. Ægyptii suam *Æram Sanctorum Martyrum* semper hactenus retinuerunt. Græci, Syri, Africani varii, *annis Mundi* juxta duplicem Æram supra explicatam, item annis tum *ab Incarnatione*, tum *à Nativitate* (à diversissimis tamen terminis) promiscuè semper usi sunt: etsi quidam ex Græcis suam Æram Constantinopolitanam aptare cœperint nostræ Vulgari, ob commercium perpetuum, quod ante trecentos annos habebant cum Latinis: atque ita nihil unquam fuit omnium consensu & usu probatum quoad annos Christi; multò minùs Ecclesiæ decreto stabilitum.

Æra Vulgaris apud Hispanos serò introducta.

Ægyptiorum Æra, item antiquiorum Græcorum, Syrorum, Afrorum diversa.

Sed lubet paulò propiùs convenire prætensos illos Ecclesiæ Vindices. Quæro itaque ex illis, quoto post Mundum conditum anno, quoto à Diluvio, quoto à Nativitate Abrahæ, quoto ab Egressu Israëlitarum ex Ægypto, natum fuisse Christum existiment? Quoad tempus ab Orbe condito, alii hunc, alii illum annum designabunt; plerique tamen omnes annum, præter propter, quater millesimum; ut jam de aliis Epochis modò recensitis taceam. Ecquid igitur fiet solemni illo Martyrologii Romani programmate, quotannis *ad diem 25 Decembris*, inter divina Officia legi solito, quo palàm edicitur, Christum natum *Anno à Creatione Mundi 5199, &c.* idque ex universalissimâ totius Ecclesiæ Latinæ consuetudine, cujus origo prima ignoratur; item ex præscripto Romanorum Pontificum disertissimè vetantium ne quis in Martyrologio illo quidquam *addat, mutet, adimat?* Quæ unquam proferri poterit tam solemnis & tam expressa Æræ Vulgaris, qualis nunc in usu est, approbatio, ac est illa calculi jam allati, qui per omnia Eusebianus est? An non Zelotæ illi (si retaliare luberet) dum ab illâ tam antiquâ, tam receptâ olim Chronologiâ, totis mille annis ac pluribus abeunt quoad Annos Mundi (ut de Epochis aliis taceam) potiori jure dici possent, *Ecclesiam mendacii vel erroris insimulare*; *injuriam ei & calumniam inferre, &c?* Quid quod Eusebius, cujus opinioni conforme est Martyrologium, toto biennio Æram hodiernam, ut suprà vidimus, antevertit quoad Natalem Christi? An non dicenda erit Ecclesia pugnare ipsa secum, si & Eusebianum, & Dionysianum calculum, inter se pugnantes approbarit? Quid igitur hîc tam manifestè deprehensi nobis aliud reponere poterunt, quàm Ecclesiam, dum Eusebii Chronologiam sequitur, calculo uti olim communissimè recepto; rei interim veritate relictâ examini accuratiorum Chronologorum? Quod ipsi pro se respondebunt; hoc eidem sibi ab iis responderi existiment, quos ipsi tam acerbè, & tam iniquè criminantur: moxque facilè intelligent nullum hîc tantis tumultibus locum esse. Vide quæ infrà, *Quæst. 3, cap. 6*, dicturi sumus de damnatâ à Pontificiis Judicibus sententiâ Tostati consignantis Passionem Christi diei tertio Aprilis; quam tamen communissimè amplectuntur, & mordicus tuentur illi Vulgaris Æræ patroni, imò à se Mathematicè demonstratam jactare non verentur.

Urgentur patroni Æræ Vulg. ex Martyrologio Romano.

Quàm nihil contra se admitti credat Ecclesia ab iis qui annos Christi, aliter ac vulgò fit, supputandos existimant; vel inde saltem isti poterant videre, quòd nullius unquam scripta confixerit, qui paucis annis ab Ærâ hodiernâ, citrà aut ultrà, differret.

Romana Ecclesia non improbat Æras Christi diversas à Vulgari.

differret. Eam certè non latuit, Baronium Romæ scribentem, *Tomo suo primo* ab Ærâ Vulgari toto biennio discrepare: & tamen id illi fraudi non fuit quo minùs Romanâ Purpurâ donaretur. Bellarminus, magnus ille Romanæ Ecclesiæ Vindex, nulli sibi religioni duxit Baronianam Chronologiam sequi. Idem fecêre alii postea in ipsorum Pontificum oculis; imò etiam nonnulli ibidem duplo longiùs ab Ærâ Dionysianâ recesserunt, nemine reclamante. Luculento exemplo esse potest M. Antonius Cappellus, qui cùm Anno 1625 Opus suum *de Cœnâ Christi supremâ*, Romæ censendum exhibuisset; eximias laudes à suis Censoribus retulit, & à Socio Magistri Palatii Apostolici Approbationem authenticam. Atqui ille est Cappellus, qui, in Opere jam dicto, solido quinquennio discrepat ab Ærâ Vulgari, ut diximus suprà, *cap.* 2. Ille inquam, est, qui *pag.* 127, de Ærâ Vulgari ita loquitur: *Ista Æra Vulgaris Computistarum consensu obtinuit tandem; non (ut mea fert sententia) quod Ærâ aliâ verior putaretur: sed ne anni illius Cycli alio charactere notarentur, quàm quo ejus Authori* (Dionysio) *placuerat. Liberum tamen semper in Ecclesiâ fuit, & sentire de eâ, & dicere quod liberet. Hinc inter eos qui de Ratione & Emendatione Temporum scripserunt, vix unum aut alterum reperias, qui omni conatu ei non reluctetur.* Et post pauca: *Uno verbo dicam; Nemo omnium est, qui falsam non putet.* Item post pauca: *Cùm ergo & ipse videam illam stare non posse cum antiquâ Ecclesia Traditione, &c, liberiùs & libentiùs dico errasse Dionysium &c*; Ita ille, ut dixi, Romæ scribens, & quidem cum plausu plurium.

Cappellus Natalem Christi tribuens anno Jul. 40, laudatur Romæ.

Ejus dicta contra Æra Vulg.

Uti & Joan. Stoeffleri.

Eumdem Dionysium non leviter perstringit Joannes Stoefflerus, *in suo Calendario Romano, Propos.* 37, *Litterâ T, & V*, ubi scribit eum præbuisse Ecclesiæ causam erroris, malè supputando annos Incarnationis; ac post varia, instituto Dialogo inter se & Dionysium, inducit hunc fatentem se errasse, his verbis: *Quæ mihi, mi Ioannes, doctè objecisti; & quondam à meis coætaneis objecta fuêre. Quocirca errorum pœnitentiâ ductus, & cùm objectiones de quartâ-decimâ Lunâ Paschali dissolvere neque extricare potuissem, conscientiæ stimulo compunctus, & verecundiâ confusus, frontem mihi pudoris cauterio exussi.* Missa facio non absimilia aliorum dicta, his ad specimen contentus.

Corollariû.

Maneat ergo firmum hoc & indubitatum, Ecclesiam nihil unquam de hac controversiâ statuisse; atque ita unicuique etiam hodie liberum relictum esse campum indagandæ veritati, & deligendæ opinioni, quam solidioribus niti rationibus judicarit.

CAPUT DUODECIMUM.

Deficiente nos Ecclesiæ authoritate, & Traditione certâ, quibus aliis viis indagandus sit Annus Natalis Christi.

OCcurrunt in primis, & ultrò se in oculos ingerunt varii characteres Sacris litteris consignati; quorum quâlibet ætate magnus fuit usus, impari tamen certitudine; ob imparem cum determinato aliquo divini Natalis anno connexionem.

Primus

Primus est descriptio Universi Orbis ab Augusto indicta, & à Kyrino, seu Quirinio Syriæ Præside (ut quidem sonat nostra Versio Vulgata, *Lucæ cap.* 2) facta. *Secundus* est Herodes Ascalonita Christo nascente adhuc superstes; ut liquidò constat ex Evangelistis: nec ita multò post, quantum ex variis indiciis colligere licet, mortuus. *Tertius* est Ephemeria Zachariæ parentis Joannis Baptistæ, cui vices suas hebdomadarias obeunti in Templo, sexto circiter Mense ante Divini Verbi Incarnationem, prænuntiata est ab Angelo generatio Præcursoris. *Lucæ cap.* 1. *Quartus* ætas Christi ad Baptismum accedentis, cùm esset *annorum quasi triginta*; idque quinto-decimo circiter anno Imperii Tiberii Cæsaris; teste Lucâ, *cap.* 3. *Quintus* est mors Christi, ex quâ in certum aliquem annum conjectâ, junctísque variis conjecturis de ætate quâ Baptismum suscepit, de duratione Prædicationis ejus, aliisque hujusmodi, censent nonnulli annum Nativitatis erui posse. Quinque characteres ex quibus definiri solet Natalis Christi.

Præter quinque hos characteres, nonnulli *sextum* adhibent petitum ex pace universum Orbem Romanum obtinente, dum nasceretur *Princeps pacis*. Sed cùm pax illa totos duodecim annos tenuerit, intra quos hæc controversia decurrit; nihil in eâ potest esse subsidii. Addunt & alii *septimum characterem* Feriæ primæ, quâ volunt Christum natum. Sed hæc ipsa hypothesis admodum incerta est, ut postea videbimus; & qui illi innituntur, non satis advertunt in usu tunc fuisse Calendarium vitiatum, & uno saltem die discrepans ab eâ anni formâ, quam Julius Cæsar instituerat, & quam ipsi in suis calculis parùm circumspectè sectantur. Pax totius Orbis parum ad hoc idonea. Feriæ character lubricus.

Quàm nihil præcisi & certi definiri etiam possit ex quarto & quinto charactere, satis manifestum evadet ex dicendis infrà, *Quæst.* 2 & 3. Reliqui tres characteres, quia propiùs & directiùs ad rem nostram pertinent, hîc erunt excutiendi.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Ex descriptione universi Orbis ab Augusto indictâ non potest determinari annus Natalis Christi.

Augustum Cæsarem, à subactâ Ægypto, *censum populi ter egisse*; *primum ac tertium cum Collegâ*; *secundum solum*; asserit Suetonius, *in Octavio, cap.* 27, & explicatissimè declarat Monumentum Ancyranum à Busbequio descriptum, & à Lipsio illustratum: ex quo constat *primum* fuisse Romæ inchoatum anno Juliano 18, ante Æram Vulgarem 28, ab Augusto & Agrippâ Coss; *secundum* ab Augusto solo, anno Juliano 38, ante Vulgarem Epocham 8; *tertium* anno Juliano 59, Æræ Vulgaris 14, quo & mortuus est Augustus, cùm Censum hunc inchoasset Collegâ Tiberio, & jam tum (ut postea dicemus, *Quæst.* 2, *cap.* 5, & 6) Imperii consorte. Tres Census Cæsaris Augusti universales;

Plures alios Census particulares ex causis particularibus sub eodem Augusto habitos, satis evidens fit ex eo, quod (ut narrat Josephus, *lib.* 17 *Antiq. cap.* particulares plures.

tiq. cap. ult. & lib. 18, *cap.* 1.) egit Quirinius per Syriam & Judæam, post relegatum Archelaum, Anno Dionysiano 6; tum ex aliis, de quibus Bucherius, *lib. 2 Belgii Romani, cap.* 4: at tres recensiti sicut solemniores fuerunt, ita & universaliores; ideoque meritò scripsit Lucas, *cap. 2 citato, exiisse Edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis.*

modus Censuum universaliorum, Inchoabantur Universaliores hi Census primùm Romæ, móxque per alios primæ notæ Viros in alias Provincias successivè propagabantur. Et verò tanti moliminis negotium intra unius anni spatium commodè perfici non potuisse, res ipsa loquitur: cùm & præcavendi forent tumultus sæpiùs occasione Censuum exorti; & describenda essent tot capita, additis nominibus, cognominibus, familiâ, domicilio, facultatibus, aliisque indiciis singulorum.

qui etiam in Sociorum Provinciis instituebantur. In hujusmodi Census non solæ veniebant Provinciæ Populo Romano subjectæ; sed etiam eæ, quæ Sociis obnoxiisque Regibus parebant: ut abundè probat Census vivo Herode in Judæa institutus; & apertè significat Tacitus *Annali* 1, dum agens de *Rationario Imperii*, quod Augustus manu suâ conscriptum Senatui moriens tradidit, dicit, eo contentas *opes publicas, quantum Civium Sociorúmque, quæ Classes, Regna, Provinciæ, tributa aut vectigalia, necessitates ac largitiones.*

Unicus ex universalioribus, nobis potest esse usui. Ex tribus Censibus generalioribus antea enumeratis nihil ad id, quod investigamus, conducere posse primum ac tertium, per se satis perspicuum est. Superest igitur secundus à Lucâ, quantum quidem apparet, indicatus; cujus si quàm nota nobis sunt initia, tam explorati essent progressus; haberemus utique ubi pedem tutò figere possemus. Sed tantum est apud omnes Romanæ historiæ Scriptores de his silentium, ut sit prorsus incredibile.

Spes lucis ex Josepho, Tantillum lucis videri posset suggerere Josephus *lib.* 17 *Antiq. cap.* 37, dum ait, *totam gentem Judæorum obligasse fidem suam Regi* (Herodi) *ac Cæsari. Solos non jurasse Pharisæos, excedentes sex millium numerum.* His verbis significari Censum quo de agimus, existimat Kepplerus, *lib. de Natali Christi, cap.* 11, & ex eo Bucherius, *lib. 2 Belgii, cap.* 3, *num.* 9; eò quòd fides adeò solemni jurejurando obligari, & numerus recusantium miri extra Censum non facilè potuerit. Addunt, ex totâ narrationis serie colligi, uno circiter ante mortem Herodis anno contigisse quæ istic narrantur, tum de recusato jurejurando, tum de mulctâ ideò Pharisæis impositâ ab Herode, persolutâ autem à fratriâ ejus, Pheroræ uxore, de cujus accusatione agitur illo capite.

parum firma, Verùm mihi totam illam Josephi narrationem accuratiùs expendenti, id non necessariò consequens esse videtur. Non enim, si uno circiter ante Herodis obitum anno contigerint quæ illo capite scribit Josephus de accusatâ Pheroræ uxore, continuò fateri cogimur solemne illud jusjurandum eodem tempore & præstitum à Judæis vulgò fuisse, & à Pharisæis rejectum. Novum siquidem non est ut Josephus res temporum spatiis disjunctissimas in eandem narrationem compingat, dum id occasio aliqua exigit. Exigebat autem narratio expostulationis Herodis adversus fratriam suam, ut tantæ ejus cum Pharisæis amicitiæ origo & indicia explicarentur: sed quàm dudum ea coalescere cœpisset, ne verbo quidem uno attingit Josephus. Quin potiùs ex illius ipsius narrationis serie apparet

paret non adeò exiguum temporis intervallum fluxisse à repudiato jurejurando ad illam Herodis invectivam.

Certè Herodi rebùs suis, ob perspectam Judæorum contumaciam, perpetuò diffidenti, non defuerunt occasiones, etiam extra Censum, fidem subditorum explorandi, sibique jurejurando adstringendi, adjuncto insuper Cæsaris nomine; quo res plus haberet speciei. Facilè autem à singularum Civitatum Præfectis seorsim, & sine magno strepitu id perfici potuit, & eàdem operâ numerus recusantium iniri. Diffidentia Herodis sæpiùs subditorum fidem explorantis,

Et verò quiddam simile pluribus ante Herodis mortem annis factum fuisse, constat ex Josepho, *lib. 15 Antiq. cap. 13*, ubi post narratam ejus accurationem in perquirendis subditorum de se judiciis, explicataque supplicia variorum per eam occasionem damnatorum; subdit reliquam multitudinem juramento obstrinxisse, se à fide non discessuram; aliquos autem indigniùs id ferentes è medio sustulisse. Sectatores Pollionis Pharisæi & Samææ, & plerosque eorum qui illis familiares erant, uti & Essæos, urfisse ad jusjurandum istud præstandum; ac nihilominus, cùm detrectassent, non fuisse pœnis subjectos, ut fuerant alii è populo; idque Pollionis reverentiâ. Habemus hic Pharisæos non paucos jusjurandum detrectantes. Habemus eos mitiùs quàm reliquam plebem habitos. Quid verosimiliùs quàm supplicium in mulctam pecuniariam commutatum fuisse, & hanc à Pheroræ uxore persolutam? Saltem negari non potest, id quod tunc extra Censum factum est, potuisse & aliàs extra Censum fieri; adeoque nihil satis firmi præsidii esse seu Kepplero, seu Bucherio in eâ, quâ nituntur, narratione. etiam diu ante mortem suam.

Denique cùm Bucherius, *lib. 2 Belgii, cap. 5, num. 9*, Pseudo-Philonem à Joanne Annio editum, idoneum existimarit testem asserendæ cædi suppositititii unius ex Herodis filiis bimuli inter Infantium Bethleemiticorum carnificinam; opponere illi possumus eundem Pseudo-Philonem, *in Breviario de Temporibus*, testantem, jusjurandum à totâ gente Judaicâ Herodi præstitum totis sex ante ejus mortem annis, cùm *fessi jam Hebræi ultrò ipsi ac ejus posteris regnum obtulerunt*; ex quo colligit, *regnasse Herodem tyrannico principatu annis 31; & legitimo sex.* Valet hoc argumentum saltem (ut loquuntur dialectici) *ad hominem*; & ad jusjurandum, quod opponitur, pluribus ante Herodis mortem annis statuendum, si quid huic testimonio deferendum putetur. teste etiam Pseudo-Philone.

Ostendimus hactenus ex Censu illo secundùm se spectato, aut etiam ut indicto ab Augusto, statui non posse quo anno fuerit actus in Judæâ. Superest nunc disquirendum an id definiri saltem possit ex verbis Lucæ, *cap. 2. Vers. 2*: *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino*; quem non alium fuisse à Sulpitio Quirino, Viro Consulari, & in Historiâ Romanâ celeberrimo, passim & meritò pro confesso habetur. An annus Census ex Lucâ definiri possit?

Dubium in primis movet diversitas textus nostri à Græco. In hoc enim non asseritur hæc descriptio facta *à Præside Syriæ Cyrino*; sed (omissâ præpositione, A) *facta Præside Syriæ Cyrino*: ita ut dicatur Census ille peractus dum Quirinus Syriæ præesset, non tamen ab ipso: sed potuerit ab alio peragi. In hanc omissionem præpositionis A, conspirant, præter textum Græcum, versio Syriaca, Arabica, Diversitas in textu Lucæ.

bica, Persica, & Æthiopica. Conspirant & Latini Codices nonnulli, quos emendatiores esse existimat Pamelius, *in Adnot.* 276, *ad librum* 4 *Tertulliani, adversus Marcionem*, ubi & Ambrosium & Julianum Pomerium Græco textui suffragantes allegat; cui etiam suffragatur Maldonatus, *in illa verba Lucæ.* Accedit quod Tertullianus, *libro* 4 *cit. cap.* 19, disertè scribat Censum, de quo disputamus, *actum per Sentium Saturninum*; quod unde, & an fortè ex ipsis Tabulis censualibus hauserit, dubitari potest; cùm asserat *cap.* 7. *Censum Dominicæ Nativitatis testem fidissimum in Romanis archivis custodiri.* Item *cap.* 19 *cit.* fidenter dicat, *constare Census actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum apud quos genus ejus* (Christi) *inquirere potuissent.* Nusquam tamen declarat Tabulas illas à se visas fuisse. Utramvis ex supra allatis lectionibus amplectamur, necesse semper erit (retentâ communi explicatione illius loci Lucæ) ut Quirinio, sub tempus Natalis Christi, inter Syriæ Præsides locum reperiamus; quod sanè difficile est.

Syriæ Præsides circa Natalem Christi.

Casaubonus, *Exercit.* 1, *num.* 30, & Bucherius, *lib.* 2 *Belgii Romani, cap.* 4, clarè ex Josepho, Strabone, & Appiano, ostendunt Marcum Titium præfuisse Syriæ Annis Julianis 36, 37, & 38; Saturninum annis proximè sequentibus; hujus successorem Quinctilium Varum aliquamdiu ante mortem Herodis, & diu post eam, Syriæ Præsidem egisse. Accedit quod Josephus, dum *lib.* 17 *Antiq. cap. ult. & lib.* 18 *cap.* 1, Quirinii honorificè meminit, nullam Præfecturæ Syriæ, aut Census per Judæam acti sub mortem Herodis, mentionem faciat; etsi locus ille id exigeret, si quidem verè dici potuisset.

Bezæ temeritas.

Ut se hâc difficultate expediret Beza, *in Annotat. ad caput* 2 *Lucæ*, ausus est revocare in dubium, an periocha illa, *Hæc descriptio prima facta est Præside Syriæ Cyrino*, non esset ab aliquo margini primùm adscripta, ac deinde in textum intrusa. In eum haud dubiò insurgit Baronius, *in Apparatu, num.* 96; & sanè meritò: cùm & omnes Codices Græci, & Versiones omnes verba illa offerant legenda. Et verò Bezam hujus temeritatis adeò posteà puduit; ut injectæ dubitationis nullum passus sit extare vestigium in posterioribus editionibus.

Quorumdam in Josephum impetus retunditur.

Alii nodum hunc solvisse se putant, Josephum inclementissimis verbis suggillando, ut Scriptorem tum in historiâ Herodis, tum alibi mendacissimum, *cui si quis fidem inconsultè nimis adhibendam putarit; in absurda & portentosa mendacia incidat necesse sit.* Sed viri cordati talibus solutionibus non facilè acquiescunt; cùm Josepho fidem adstruant Dio, Appianus, & Strabo, & altissimum silentium omnium Historicorum de Quirinio Præside Syriæ sub tempus Natalis Christi. Adde quod nihil nos cogat ut ad similes evasiones confugiamus (prout ex paulò post dicendis manifestum fiet) & sine causâ fidem præstantissimis Scriptoribus detrahendo, Religionis nostræ mysteria prophanorum hominum dicteriis exponamus.

Hallucinatio eidem impacta.

Eòdem, sed paulò molliùs, collimant nonnulli, dum dicunt Josephum ex quâdam animi aberratione confudisse Censum nascente Christo peractum à Quirinio, cum eo qui toto post novennio, aut decennio, habitus est in Judæâ, relegato jam Archelao Herodis filio, & ex parte hærede: ideoque posteriorem Censum tribuisse Quirinio; cùm tribuere deberet priorem, cujus ne meminit quidem.

Verùm

Verùm qui vel levi oculo percurrerit periſtaſes admodum ſingulares, quibus ſuam de poſteriore Cenſu narrationem ornat Joſephus, hauſtis procul dubio ex teſtium oculatorum libris, aut etiam ex eorum ore; non poterit non ſuccenſere inanibus hiſce divinationibus arbitrariis. *rejicitur.*

Aliquanto plus ſpeciei apud imperitos habere poteſt, quod dicunt quidam, Cenſum, in quem relatus eſt Chriſtus, initum fuiſſe à Quirinio, dum Caio Cæſari, filio Auguſti adoptivo in Syriam proficiſcenti adjunctus eſt comes primùm, Rector poſtea futurus; ut ſcribit Tacitus, *Annali* 1. Addunt Salianus & Brietius, Cenſum hunc videri non ab Auguſto ipſo verè; ſed ab hoc Caio, nomen Patris mentito, indictum fuiſſe: nec fuiſſe reipsâ hanc *deſcriptionem univerſi Orbis* Romani; ſed id præ ſe tuliſſe Caium, ejúsque Aſſeſſores; tum ut fieret veroſimiliùs profectam reipsâ ab Auguſto; tum ad leniendam invidiam, turbasque amoliendas. *Saliani explicatio de Cenſu acto à Quirinio,*

Nolim hîc odioſiùs urgere vim apertam verbis Sacri textûs illatam; cui ſi parem aliquam intuliſſet Joſephus, haud dubiè non impunè tuliſſet. Hoc oppono, primas authoritatis partes apud Caium, fuiſſe penes Marcum Lollium ejus Rectorem, ut ex Velleio, Tacito, & Suetonio liquet; adeóque ab eo (ſi non à Caio ipſo) potiùs quàm à Quirinio, ſecundas dumtaxat obtinente, Cenſum illum denominandum fuiſſe. Præterea cùm Caius (ut infrà, *cap.* 15, *Hypotheſi ſextâ & ſeptimâ*, oſtenſuri ſumus) Româ ante annum Julianum 45 non diſceſſerit; quomodo Quirinius, Caio comes adjunctus non tam miſſo in Syriam, quàm ad bellum Parthicum & recuperandam Armeniam, Cenſum hunc obire potuit anno Juliano 43 aut 44; ut volunt aliqui ex iis, qui hac ſolutione utuntur? Denique cùm Joſephus, *lib.* 17, *cap.* 11, diſertiſſimè teſtetur Auguſtum in eâ diſceptatione, quæ, Herode jam mortuo, adeóque & Chriſto jam nato, ab Archelao ejúsque fratribus Romæ inſtituta eſt de Regni ſucceſſione, primum à ſe locum dediſſe *Caio*, *Agrippæ & Iuliæ filiæ ſuæ filio*, *jam à ſe adoptato*; non potuit Quirinius Caio adjunctus Cenſum illum peragere ſuperſtite Herode. *improbatur.*

Quod reponit Thomas Lydiatus, *cap* 14 *Recenſionis*, *pag.* 168, *& ſeqq.* Joſephum per hallucinationem tribuiſſe Caio, quod Agrippæ poſtumo, fratri ejus minimo, adoptivo etiam Auguſti filio, conveniebat: jocularis evaſio eſt, & refutatione indigna. Nimis enim ex Velleio & Suetonio conſtat poſtumum hunc mortuo demum Caio, & ſimul cum Tiberio adoptatum fuiſſe ab Auguſto anno 4 Æræ Vulgaris. Quis autem credat huic Agrippæ planè adhuc puero, conceſſum fuiſſe, ut diſceptationi filiorum Herodis tam honorificè intereſſet, neglecto Tiberio inter adoptatos præcipuo, pluribus jam victoriis & triumphis claro, Liviæ matris ſummâ apud Auguſtum authoritate fulto, & proximo poſt Auguſtum gradu conſtituto, ut paucis pòſt annis patuit; quando, poſthabito juniore hoc Agrippâ ſolus in Imperii communionem aſſumptus eſt: ut pluribus infrà, *Quæſt.* 2, *cap.* 5, dicetur? Deinde tot, & tam ſingularibus adjunctis, Chronologiæ Lydiati repugnantibus veſtita eſt illa Joſephi narratio de controverſiâ filiorum Herodis, rebusque exinde conſecutis; ut neceſſe ſit fateri, alterum pro altero Nepotem Auguſti per errorem ſubſtitui non potuiſſe. Vide de his plura infrà, *cap.* 16. *Lydiati evaſio, rejicitur.*

Alia quorumdã explicatio.

Nihilo plus habet verisimilitudinis, quod dicunt nonnulli, Caium sub finem sui Consulatûs, seu anni Juliani 46, profectum fuisse in Orientem; Quirinium autem istuc paulò ante præmissum, dum Caium expectat, Censum instituisse anno Juliano 45, quo & Christum natum volunt, & ineunte sequente anno mortuum Herodem.

Rejicitur.

Sed huic Chronologiæ è diametro repugnat cohærentissima sibi Josephi Chronologia; ut fusè postea demonstrabimus. Præterea communissimus Scriptorum sensus, ex Velleio, Tacito, aliisque, comitem profectionis in Syriam & Armeniam Caio jungit Quirinium; qui proinde non potuit Caium in Syria expectare. Deinde cùm turpissima flagitia Juliæ matris Caii jam ab anno 44 adulto deprehensa fuissent; fit statim de se parùm credibile Caium, qui infamiam in se redundantem fugere satagebat, tam diu profectionem distulisse; quâ de re iterum infrà, *cap.* 15, *Hypothesi* 7. Denique extat Augusti ad Caium reipsâ Consulem Epistola, *apud Gellium*, *lib.* 15, *cap.* 7, data *Nono Kalendas Octobris*, anni Juliani 46, quâ sibi gratulatur de anno suo 63 climacterico superato, in quâ, inter alia, hæc habet: *Quem* (diem meum natalem 64) *ubicumque hodie fuisti, spero latum & bene valentem celebrasse.* Satis indicant hæc Caium diu ante exeuntem Septembrem illius anni discessisse; cùm ignoraret Augustus ubinam gentium tunc ageret. Præterquam quod Caius, si ad annum usque 46 Julianum jam adultum navigationem distulisset, non fuerit Româ discessurus ante exitum anni climacterici, quem tantoperè suspectum habebat Augustus pater. Atque hæc dicta sint adversus effugia eorum, qui Josephi nullam sibi rationem habendam putant: superest nunc ut eos audiamus, qui eum cum Lucâ, & ejus interpretatione Vulgatâ, imò & cum Tertulliano conciliare omni studio contendunt.

Explicatio Keppleri & Bucherii.

Ex his nonnulli censent Quirinium expleto Consulatu quem gessit anno Juliano 34, missum esse in Syriam, seu Præsidem ac Censitorem simul; seu Censitorem tantùm. Ibi Censum inchoasse, quem paulò pòst abrumpere coactus fuerit, rebellantibus adversus Romanos Homonadensibus. Dum bellum hoc diutulè trahitur, submissum in Syriam novum Præsidem Marcum Titium, qui Censum de se odiosum non resumpserit, ob vicinarum Provinciarum turbas. Tandem exeunte anno 38 Juliano advenisse in Syriam Titii successorem Sentium Saturninum, cùm jam recentissimè *exiisset Edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus Orbis.* Denique hanc descriptionem dici factam *à Quirinio*; eo quòd eam inchoarit: item à Saturnino; eo quòd interruptam aliquot annis, resumpserit, & ad Christi Natalem produxerit: esse autem omissam à Josepho honores Quirinii recensente; eo quòd ab hoc inchoata, statim interrupta fuerit. Ita ferè Bucherius, *Lib.* 2 *Belgii*, *cap.* 4, post Kepplerum, *lib. de Anno Natali Christi*, *cap.* 11. ubi tamen magis probat sententiam Heruarti, de quâ postea, *hoc ipso capite.*

Deckerii.

Penè eòdem recidit, quod docent Deckerius, *Parte* 1, *Thesi* 16, & Tirinus, *cap.* 44 *Chronici sacri*, Quirinium Anno demum 38 Juliano missum in Syriam ad Censum instituendum, quem illico intermiserit, ob turbas Homonadensium; sed advecto Titii successori Saturnino perficiendum commiserit. Est autem satis verosimile ex Josepho, Saturninum Anno illo Juliano 38 in Syriam advenisse

unà

unà cum Herode Româ reduce, qui Ludis Olympicis æſtate illâ celebratis interfuit tamquam Agonotheta, ut narrat Joſephus, *lib.* 1 *de Bello*, *cap.* 16.

Perparùm ab his diſcrepat Petavius, *lib.* 12 *de Doctr. Temp. cap.* 8, ubi cenſet Quirinium cum extraordinariâ poteſtate miſſum fuiſſe in Syriam, aliaſque fortaſſis Orientis Provincias ad Cenſum agendum; dum Saturninus jam Præſidis officio fungeretur in Syriâ. Hunc autem peregiſſe Cenſum illum, quem in Judæa inchoarat Quirinius, interim dum is Cenſum in aliis Provinciis ſtrenuè urget & promovet. Optimè cum hac explicatione convenit Cenſus univerſalis ab Auguſto, ut ſuprà dicebamus, indictus anno Juliano 38; item plures Legati unùſque Procurator Saturnino adjuncti (veroſimiliter ad arduum Cenſûs negotium faciliùs exequendum) de quibus Joſephus, *lib.* 16 *Antiq. cap.* 13, *& lib.* 1 *de Bello*, *cap.* 17. Quod verò opponit Bucherius, *loco cit.* Quirinium ſub annum Julianum 40, aut 41, in Oriente verſari non potuiſſe; debilioribus nititur rationibus, quàm ut id mihi perſuadere poſſit.

Petavii.

Poſtrema explicatio veroſimilior.

Neque quemquam movere debet, quod Cenſitonis munus (ſi illud ſolùm Quirinio per hoc tempus tribuatur) valde diverſum ſit ab Officio *Præſidis*, ſeu Ηγεμών, vel Ηγεμονεύοντος, ut loquitur Lucas, imò etiam (voce leviſſimè inflexâ) ipſa verſio Syriaca. Conſtat enim voces illas de quavis poteſtate, præſertim paulò majore, promiſcuè uſurpari tum à Lucâ, dum Pilatum vocat Ηγεμόνα, qui propriè *Præſes* non erat Judææ, ſed tantùm *Procurator*; tum à Joſepho, qui eodem titulo ornat Volumnium Saturnini Legatum. Vide S. Iuſtinum, *in Apologiâ* 2, ubi Quirinium Iudææ ἐπίτροπον, ſeu Procuratorem vocat; item Lucam *cap.* 3, *V.* 1, ubi Tiberii IMPERIUM vocat Ηγεμονίαν. item Suidam & Heſychium, *in ſuis Lexicis*, & Gloſſas veteres, à Stephano editas, ex quibus diſces vocem Ηγεμὼν ſignificare *Ducem*, ſeu *exercitûs*, ſeu etiam *viæ*, *Principem Judicii &c.* Vide & Eliam Levitam, *in Tisbi*, & Buxtorfium, *in* Lexico Thalmudico, Verbo *Higemon*, ubi dicitur ea vox, hebraiſmo donata, ſignificare, *Ducem*, *Gubernatorem*, *Præfectum*, *Epiſcopum*, *ſummum Sacerdotem*, *&c.* adeo vaga eſt illius ſignificatio.

Remora ſublata.

Quas hactenus attulimus ſolutiones, eam ſupponunt verborum Lucæ acceptionem, quâ juxta noſtram Verſionem Vulgatam ſignificatur Deſcriptio univerſi Orbis juſſu Auguſti ſub Chriſti Natalem facta ab ipſo Quirinio Præſide Syriæ. Verùm alia non ita pridem prodiit expoſitio à jam allatis planè diverſa, quæ omnem tollit difficultatem de Quirinio inter Præſides Syriæ numerando ſub tempus Natalis Chriſti. Primum illius expoſitionis authorem Joſephum Scaligerum facit Caſaubonus, *Exercit.* 1, *num.* 32. Communiter tamen tribui ſolet Heruarto, illam egregiè illuſtranti, *Nova Chronol. c.* 241. Porrò hæc interpretatio verba illa Lucæ, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ſic accipit, ut poſitivum, πρώτη habeat vim comparativi προτέρα reſpectu genitivi ἡγεμονεύοντος; *perinde ac ſi diceretur*; *deſcriptionem eſſe priorem*, *priuſq; factam*, *quàm Quirinius Syriæ præficeretur*; vel ſic paulò diffuſiùs: Hæc Judææ deſcriptio non eſt ea, quæ à Quirinio juſſu Auguſti facta eſt abdicato jam Archelao Herodis filio, annis novem ab hujus morte exactis; de quâ vos, Iudæi, ſæpe multa audiſtis: ſed eſt planè alia peracta per Sentium Saturninum ſub mortem

Nova explicatio verborum Lucæ.

Herodis, &c, quod consequens est, diu antè, quàm Quirinius Syriæ præficeretur, eique Provinciæ Judæam contribueret.

Firmatur exemplis. Ex multis variorum Græcorum Scriptorum exemplis, quibus hanc expositionem illustrat Heruartus, hæc dumtaxat paucula delibo. Joannis *cap.* 1, *V.* 15, dicit Baptista de Christo: πρῶτός μου ἦν: quod noster Interpres rectè vertit: *prior me erat.* Item *cap.* 15, *v.* 18, de se dicit Christus: ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν: *me priorem vobis odio habuit.* Chrysostomus, *Homiliâ* 81 *in Matthæum* verba illa Evangelistæ, πρώτην τῶν ἀζύμων, explicat τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων, *eam diem quæ prior est festo Azymorum.* Hanc explicationem verborum Lucæ, de quibus disputamus, acriter suggillat Causaubonus, *loco cit.* aitque improbatam fuisse à Scaligero: sed eam amplectuntur Kepplerus, *libro de Anno Natali Christi*, *cap.* 11, & Joannes Steuberus, *in Præfatione præfixâ Chronologiæ Helvici.* Omninò propendet Bucherius, *lib.* 2. *Belgii*, *cap.* 4. *num.* 16, & 17; non improbat Spondanus, *in Epitome Apparatus*, *num.* 18, uti nec Calvisius, *ad Annum Mundi* 3947. Equidem non video cur hæc explicatio debeat rejici; quod si ei putetur præjudicare novitas, conciliationem Petavii jam suprà allatam amplecterer.

Ex hoc Censu definiri non potest Annus Natalis Christi. Qui æquâ lance expenderit omnia quæ toto hoc capite prosecuti sumus, facilè, ni fallor, intelliget solidum ex hoc Censu argumentum peti non posse ad eruendum præcisum annum Natalis Christi; & longè à vero aberrare Paulum Petavium, *in Dissertatiunculâ de Epocha annorum Incarnationis*, dum scribit, sibi *variè agitato tandem hunc sese obtulisse portum*, quod Lucas monuit genitum Christum eo anno, quo sub Præside Cyrenio descriptio Syriæ facta est. Certè quàm parùm tutus sit ille portus, ipsemet abundè ostendit patentibus suis paralogismis, & malè allegatis, ac contra certam historiæ fidem prolatis verbis velut ex Tacito desumptis, quæ illi causa naufragii fuêre, uti & nostro Malbranco, qui, *Tract.* 1 *Chronol. cap.* 14, errantem Paulum Petavium nimis incautè secutus est.

Frustra nonnulli à Josepho ad Lucam provocant. Ex dictis etiam colligere licet quàm nullâ sufficiente causâ Josephum insectentur nonnulli, quòd scribat aliquot ante Herodis mortem annis Saturninum Syriæ præfuisse, eique successisse Quinctilium Varum sub ipsum Herodis excessum, nullâ factâ Quirinii mentione: quæ quia cum Lucâ conciliare aut non possunt, aut nolunt, à Iosepho ad Lucam provocant. Sed nullus, opinor, Iudex harum rerum intelligens talibus provocatoribus *Apostolos* postulantibus, alios concessurus est quàm *refutatorios.*

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Ex eo quòd Christus natus sit ante mortem Herodis Ascalonitæ, habetur præcipuum argumentum ad determinandum annum Natalem. Quæ sint receptiores opiniones de annis Regni Herodis.

Quâ ratione annus mortis Herodis conferat ad CUM nobis ex Evangelistis constet Christum & Herode superstite natum fuisse, nec ita diu post Tyrannum hunc è vitâ excessisse, si annum mortis hujus fuerimus consecuti, fixum nancisscemur terminum & intra quem necessariò nasci

nasci debuerit Christus, & ultra quem progredi omninò sit nefas. Fatendum quidem est neque id ipsum adhuc per se sufficere ad salutiferum illum annum accuratè definiendum: si tamen alia quædam criteria in subsidium advocentur, incredibile dictu est quantas tenebras illicò fuget dissipetque hæc temporis nota; & quanto lumine totam hanc de anno Natali disceptationem collustret: adeò ut sit instar illius Stellæ quæ Magos *antecedebat*, *usquedum veniens staret suprà ubi erat Puer.* Quo majore studio nobis enitendum erit ut annum illum, qui Tyrannum immanissimum è medio sustulit, quàm accuratè investigemus; cùm ex eo tantæ litis decisio pendeat. definiẽdum annũ Christi Natalẽ.

Mirantur non pauci, sanè meritò, tam exiguam illustrissimi hujus characteris rationem à plerisque antiquis Scriptoribus habitam fuisse. Horum siquidem nonnulli, omni ejus indagatione penitùs omissâ, illud tamquam ultro datum sumpserunt, Herodem citiùs tardiùsve vitâ functum post annum illum, cui Nativitatem Christi ex præjudicatis aliunde opinionibus affixerant; interim nihil solliciti aut quot demum annis impius ille regnasset, aut quoto post Christum natum anno abivisset ad plures. Quidam alii ad id quod agebant attentiores aliquanto, cùm observassent à Josepho Historico triginta septem annos Herodiano regno tribui; eos ita retinendos putaverunt, ut non tam Chronologiam suam Josepho, quàm hunc suæ Chronologiæ malè digestæ aptandum, contra omnem rationem putarent. Non satis magna ejus ratio à variis habita.

Utrique huic Scriptorum generi fuit hoc quavis ætate solemnissimum, ut ante omnia cardinem totius Chronologiæ Christi figerent in anno Tiberii quinto decimo, quo cùm Baptizatum Christum non dubitarent, dum esset *annorum quasi triginta*; ex hac Hypothesi de anno Natali pronuntiaverunt, prout de ejus ad Baptismum accedentis ætate variè sentiebant; & prout Tiberii annos accersebant ab hoc, aut illo limite. Quo semel constituto, pro variâ explicatione Evangelistæ scribentis Infantes ab Herode occisos *à bimatu & infrà*; lanienam hanc aut ad paucos, à Christi Natali menses, aut ad unum alterumvè annum distulerunt; ac tandem jactis hisce fundamentis, de Herodiani Regni principio ac fine, aut ex peculiaribus suis ratiociniis, aut ut sors tulit, statuerunt. Methodus variorum circa Natalem.

Illustre hujus rei exemplum habemus in Eusebio Cæsariensi, cujus Epilogismi tum in serie Chronici, tum in ejus Præfatione, conferuntur aliquoties in annum 15 Tiberii, tamquam in eum quo Christus & Baptismum susceperit, & prædicandi initium fecerit: estque hoc velut centrum & cardo totius Chronici Eusebiani. Cùm igitur annum 15 Tiberii cum anno Mundi 5228, Abrahæ 2044, Olympiadis 201 anno 4, hoc est (ex methodo hujus Authoris suprà explicatâ) cum anno Juliano 73, Dionysiano 28, composuisset; aliâ autem ex parte censeret Christum ineunte ætatis suæ anno trigesimo baptizatum; hinc factum est ut ejus Natalem affixerit anno Mundi 5599, Abrahæ 2015, Juliano 44 ineunti, juxta supradicta, & ante Æram Vulgarem secundo. Similiter cùm verba illa, *à bimatu & infrà*, interpretaretur de interjecto inter Christi Natalem & Infantium cædem biennio; hanc in annum Abrahæ 2017, Julianum 46, Dionysianum primum conjecit. Quod autem contra patentem Josephi Chronologiam, mortem Herodis anno Abrahæ 2020, Iuliano 49, Dionysiano 4, adscribendam Methodus Eusebii circa annum Natalem.

ſcribendam putarit; non ex unicâ ortum eſt hallucinatione, quam non abs re fuerit hîc explicaſſe; ut planum fiat quibus ex cauſis tantopere à patentiſſimâ veritate deviarit, & innumeros, eum oculis clauſis ſecutos, in errorem induxerit.

Ejus error circa priorē Epocham Herodis.

Didicerat Euſebius ex Ioſepho, *lib.* 14 *Antiq. cap.* 25 *&* 26, *item ex lib.* 1 *de Bello*, *cap.* 11, Herodem Romæ à Senatu declaratum Regem annitentibus M. Antonio & Octavio Cæſare, tunc recenti inter ſe fœdere conjunctis. Sed quod Ioſephus Caluino & Pollione Coſſ. (hoc eſt, anno Iuliano 6) contigiſſe aſſerit, hoc Euſebius tribuit anno Iuliano 12; primúmque Herodiani Regni annum comparat (modo ſuprà explicato) cum anno inſequente. Atqui ex Hiſtoriâ Romanâ poterat nullo negotio didiciſſe, Antonium nec anno Iuliano 12, nec 13, Romæ ſub Autumnum fuiſſe, ſed in Oriente egiſſe: adeóque non potuiſſe Romæ Regnum Herodi procurare, eúmque unà cum Octavio Cæſare aliiſque deducere in Capitolium, ac denique convivio excipere; quæ omnia diſertiſſimè narrat Ioſephus, ut de certiſſimis aliis temporum notis ab eo expreſſis taceam. Nimirum Euſebio, quo minus annos Herodis ab anno Iuliano 6 ſupputaret, obſtabant antè dicta de Natali Chriſti, & ſecutâ poſt biennium (uti credebat) Infantium cæde: hæc enim exigebant ut ſaltem ad annum 46 Iulianûm inchoatum produceretur vita Herodis; ideoque non ſatis attento limite quem ſignaverat Joſephus, alium inconſideratè conſtituit; & retento triginta ſeptem annorum Regno, mortem Herodis diſtulit in annum Iulianum 49, Vulgarem 4, ex infirmâ ratiocinatione quam ſubjicio.

Hujus erroris occaſio,

Legerat *Danielis cap:* 9 celebre illud Oraculum de *interituro chriſmate* (ita enim habet Græca verſio) *poſt hebdomadas* 69; illudque accipiendum putabat de deſituro Judaicorum Pontificum, ſacro chriſmate delibutorum, principatu in medio hebdomadis 70, ſeu (ut ipſemet *in Chronico* explicat) poſt annos 486 evolutos ab inſtauratione Templi ſub Dario Hyſtaſpis inchoatâ anno 1 Olympiadis 65, Abrahæ 1497, ſeu Periodi Julianæ 4194, ante Æram Vulgarem 520. Ab hoc igitur numeratis annis illis 486, poſtremum vidit incidere in annum Abrahæ 1983, ſeu Periodi Julianæ 4680, Julianum 12, ante Æram Vulgarem 34: ideóque in eumdem conjecit & Antigoni cædem, & Judaici Pontificatûs ac Principatûs legitimi finem, quem exceperit illegitima ſucceſſio Herodis alienigenæ ad Regium faſtigium à Romanis evecti.

& refutatio.

Palpabiliores hîc ſunt Euſebii hallucinationes, quàm ut operoſâ refutatione opus habeant. Nemo enim ignorat Antigonum anno nono Juliano captum & cæſum fuiſſe; Hyrcanum Pontificem ac Principem legitimum è Parthicâ captivitate reducem ad annum uſque Julianum 15 exeuntem in Judæâ vixiſſe; Ariſtobulum Mariamnes fratrem geſſiſſe Pontificatum ſublato Antigono; ut interim taceam de Ananelo ex Pontificibus oriundo, aliiſque. Atque ita nec cum Antigono, nec aliquamdiu poſt ejus obitum, penitùs deſiit Judæorum Pontificatus, ut malè ſumit Euſebius; quem & in interpretando Daniele longè aberrare à vero, jam inter Sacrorum Codicum Interpretes ſatis convenit. Credi nihilominus vix poteſt quantam labem erronea illa Euſebii ſupputatio in antiquam Chronologiam invexerit; quàm multos ei nimium credulos in devia & præcipitia abduxerit;

quantam

quantam denique ansam tum veteribus, tum recentibus Scriptoribus præbuerit & à Josepho, & à veritate ipsâ, plus minusuè recedendi. Quod si, ut par erat, non a Natali Christi ex principiis parum solidis definito, ad mortem Herodis; sed ab hac accuratè stabilitâ fuissent ad illum investigandum progressi; næ illi nunquam in tam patentes errores incidissent. Longum foret ire per singulorum opiniones: ideóque satis habebo præcipuas strictim recensuisse.

Prima sententia de initio annorum Regni Herodis, quam amplectuntur

Prima est eorum, qui animadverso apud Josephum gemino Herodiani Regni principio, altero ab anno Iuliano 6, quo Rex primum Romæ declaratus est; altero ab anno Iuliano 9, quo post dejectum Antigonum stabilitus ei est Principatus; ubi vident suis calculis malè subductis priorem limitem convenire non posse, confugiunt ad posteriorem: ac nihilominus ab hoc annos Regni 37 numerant; quot scilicet Iosephus supputat à termino priore, solos 34 annos à dejecto Antigono Herodi concedens. Ex his sunt Severus Sulpitius, *lib.* 2 *Historiæ Sacræ*, Chronicon Alexandrinum, Malbrancus, *Tract.* 1 *Chronolog.* Grandamicus, *Quæst.* 2, *pag.* 167, Labbæus *in Concord. Chronol.* & plures alii.

Sulpitius, Chronologus Alex. Malbrãcus, Grandamicus, Labbæus.

Secunda est sectatorum Eusebii, è quibus Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 12, ejusdem sententiæ de Herodis Regno putando ab anno 13 Juliano inhæsit. Epiphanius, *Hæresi* 51, aut eumdem amplexus est annum, aut præcedentem; retentis nihilominus annis Regni 37.

Secunda Eusebii & sectatorum ejus.

Tertia est Baronii, *in Apparatu*, *num.* 116, ubi Herodis annos ab anno Iuliano 15 ordiendos existimat; quo scilicet (ut ipse credit; sed malè, ut postea dicetur) Octavius Cæsar, debellato apud Actium Antonio, Regnum Herodi denuò per Senatum confirmari curavit. Censet enim Eminentissimus Scriptor nullam priorum Regni annorum fuisse post hæc habitam rationem; eo quòd Antonii Acta (adeóque & Herodis evectio ad Regnum ab Antonio procurata) fuerint à Senatu rescissa. Quæ Baronii ratio ita Scriptoribus eo recentioribus parum est probata, vix ut pauculos, nec admodum celebres; nancisci potuerim, qui hanc sententiam amplecterentur. Ii sunt Matthias Burklehner, *To.* 1 *Thesauri Temp. lib.* 6, Lydiatus, *in suá Recensione*, *& in Chronico ad ejus calcem adjecto*, & Franciscus Haræus, *in suis Olympiadibus, ad Annum Vrbis* 723; ubi tamen Herodiani Regni annos 37 orditur ab anno demum Juliano 16. vide dicenda infrà, *cap.* 16.

Tertia Baronii, Burklehneri, Lydiati, Haræi.

Quarta est eorum qui geminam Epocham à Josepho fixam retinent omninò; sed non uno eodemque modo, nec pari omnes accuratione. In his sunt Deckerius, *in Velificatione*, *Annot.* 2 *&* 3 *ad Tabulas Chronol.* Kepplerus, *lib. de Anno Natali Christi*, *cap.* 8 *&* 9. M. Antonius Cappellus, *in Dissertat. de Cœnâ Christi supremâ*, *cap.* 5, *num.* 26. Bucherius, *lib.* 2 *Belgii*, *cap.* 6. Petavius, *lib.* 13 *Doctr. Temp.* Tirinus, *Chronici sacri cap.* 45. Usserius, *Tomo* 2 *Annalium.* Langius, *lib.* 2 *de Annis Christi*, *cap.* 18. Salianus, *To.* 6. *Annalium*; sed, more suo, adversans Josepho quoad numerum annorum Regni. Scaliger, *lib.* 6 *de Emendat. Temp. pag.* 421. Calvisius, *Prolegom. cap.* 46. Verùm hi duo postremi ita Josephum torquent, ut velint annos ab eo assignatos Herodi, numerandos dumtaxat à Vere anni Juliani 7, & 10; quâ de re infrà, *cap.* 18.

Quarta Deckeri, Keppleri, Capelli, Bucherii, Petavii, Tirini, Usseri, Langii, Saliani, Scaligeri, Calvisii.

Ex tam diversâ initiorum Regni Herodiani determinatione non minor in definiendo postremo Herodis anno varietas secuta est. Quin & illi ipsi qui & inter se,

Dissensio Chronologorum cir-

ca annum mortis Herodis. Kepplerus, Cappellus, Petavius, Billius Usserii & Livelei error,

refellitur.

se, & cum Josepho de geminâ Regni Epochâ ad annum Julianum 6, & 9 alligata consentiunt, dissentiunt in determinando mortuali illius Tyranni anno. Keplerus siquidem, Cappellus, Petavius, Billius, planè ad mentem Josephi, Herodem anno Julianô 42 ante Pascha vivis ereptum volunt. Nec ab illis, quoad annum, abit Usserius, *Tomo 2 Annalium*; sed immaniter dissentit quoad Mensem. Confert enim excessum Herodis in diem circiter 25 Novembris, seu diem 7 Mensis Casleu, quem ait ideò à Judæis ut lætum ac festivum celebrari; quòd in eo Herodes, qui Sapientes, seu Rabbinos, persecutus est, fatis concesserit; quemadmodum, inquit, ex *Megillath Tahanim*, id est, *Volumine de Ieiuniis*, in suâ Chronologiâ notavit Edoardus Liveleius. Sed utrumque falli, satis colligitur ex Josepho, cujus repetita narratio eò tendit, ut non ita diu ante solemnitatem Paschalem fatis concesserit Herodes: quâ de re infrà, *cap. seq. & 29.* Præterquam quod adeò Iudæis dies ille Casleu festus ac lætus non sit; ut è contrario sit dies afflictionis & jejunii; idque ob causam quæ disertissimis verbis in eorum Kalendario exprimitur: quòd nimirum *Ioakim combusserit volumen conscriptum à Baruch, dictante Ieremiâ*. Ex aliis qui geminam Herodiani Regni Epocham retinere conantur, Deckerius, Tirinus, & Bucherius, Herodem anno Iuliano 43 decessisse contendunt; Torniellus & Langius anno 44; Temporarius, Scaliger, & Calvisius, anno 45.

Deckerius, Tirinus, Bucherius, Torniellus, Langius, Tēporarius, Scaliger, Calvisius.

Alii qui aut solam posteriorem Ephocam Regni Herodis à detruso Antigono, aut quampiam aliam eorum arbitrio confictam attendunt, retento nihilominus numero 37 annorum Regni, in diversas opiniones scinduntur incerti. Nam Grandamicus, Labbæus, aliique, Herodem anno Iuliano 46 mortuum volunt. Pro anno insequente facit Malbrancus, ac fortè Severus Sulpitius; qui tamen ad annum præcedentem trahi posset. Eusebius apertè stat pro anno Juliano 49; Baronius pro 51; Lydiatus & Haræus pro 52, Æræ Vulgaris septimo.

Grandamicus, Labbæus, Sulpitius, Eusebius, Baronius, Lydiatus, Haræus.

Videri primâ fronte possit tantam Chronologorum dissensionem circa Herodis obitum attendenti, nihilo plus in hoc charactere nobis esse præsidii ad Christi Natalem deprehendendum, quàm in nonnullis aliis antea rejectis. Verùm longè aliter procul dubio judicabit, quisquis animadverterit dissensionem non aliunde oriri, quàm quòd illustrissima hæc temporis nota non eo, quo deberet, loco habeatur à nonnullis, aut etiam contemnatur; idque ex falsissimis & inanissimis præjudiciis. Alioqui si illam producendæ in medium veritati eo, quo par est, modo adhibuerimus; facillimè errores hanc infuscantes dissipabuntur. Tam claro siquidem jubare in unius Iosephi scriptis micat fatalis ille Herodis annus, ut ultrò in oculos incurrat; si modò quis eos sponte non claudat. Hoc tamen deprehenso (ut initio hujus capitis monebam) non continuò se prodit annus Natalis Christi, nisi alia quædam adhibeantur criteria; atque inprimis illud Lucæ, *cap.* 3, de *annis quasi* 30 ætatis Christi, dum baptismum suscepit, & prædicandi munus aggressus est; quâ de re commodiùs infrà, *Quæst.* 2. Nunc de postremo anno vitæ Herodis per aliquot capita nobis agendum erit, quàm alioqui necesse esset, si non foret habenda ratio popularium quorumdam præjudiciorum, multorum animis insidentium, quæ non nisi ægrè admodum evelli possunt.

Tanta diversitas veritati deprehendendæ non obest.

CAPUT

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Præmittuntur nonnullæ hypotheses ad deprehendendum verum mortis Herodis annum necessariæ.

VT clariùs in hac controversiâ tantoperè agitatâ procedamus, lubet in ipso aditu, ante conflictum, totam aciem explicare, productis in medium, & sub unum aspectum expositis variis hypothesibus, ex quibus hujus litis decisio dependet.

HYPOTHESIS PRIMA.

HERODES *Regium fastigium adeptus est Olympiade* 184 (volunt aliqui legendum 185, eo quod hæc anno illo inierit) *C. Domitio Calvino & C. Asinio Pollione Consulibus*; seu, anno Juliano 6, ante Æram Vulgarem 40. Ita Josephus, *lib.* 14 *Antiq. c.* 26, ubi etiam addit, Regnum Herodi tum ob ejus in Romanos studium, tum boni publici causâ, collatum Romæ allaborantibus M. Antonio & Octavio Cæsare, qui & novum Regem inter se medium deduxerunt in Capitolium, præeuntibus Consulibus, ceterisque Magistratibus. Antonius autem illum ipso primo Regni initi die convivio excepit. Vide eadem à Josepho confirmata, *lib.* 1 *de Bello, cap.* 11. Prior Epocha annorum Regni Herodis.

Ab hac Epochâ Romanâ annos Regni Herodis supputat Josephus, tum locis infrà allegandis, *Hypothesi* 3; tum *lib.* 1 *de Bello, cap.* 13, ubi agens de obsidione Hyerosolymæ, quâ subactus est Antigonus Anno Juliano 9, sic habet: *Annus tertius agebatur, ex quo Romæ Rex fuerat declaratus*; dum scilicet præparentur necessaria ad obsidendam Hierosolymam; quæ præparatio cum obsidione ipsâ confunditur hoc loco. Paulò præcisiùs loquitur *lib.* 20 *Antiq. cap.* 8, dum ait, *Antigonum post tres annos & totidem menses* (ex quo Rex à Parthis constitutus fuerat Anno Juliano sexto) *expugnatum ab Herode & Sosio.* Usus ejus apud Josephum.

Ab eâdem Regni Romæ adepti Epochâ supputari annos Regni Herodis, censent Scaliger, *lib.* 5 *de Emend. pag.* 423, Torniellus, *Anno Mundi* 4032, & alii, dum Iosephus, *lib.* 15 *Antiq. cap.* 14, ita scribit: *Decimo octavo Regni sui anno Herodes. . . . concepit animo Dei Templum rursus extruere, &c*: & sat bellè congruere videtur, quod idem scribit *lib.* 1 *de Bello, cap.* 16, & ex eo Hegesippus, *lib.* 1 *de Excidio, cap.* 35; nempe Herodem Anno 15 Regni sui Templum instaurasse: ita ut priore loco de Romanâ ac priore Regni Herodiani Epochâ sermo sit; posteriore loco de Hierosolymitanâ ac posteriore Epochâ, à devicto Antigono, de quâ mox, *Hypothesi* 2. Non pauci tamen, & in his Sigonius, Deckerius, Funccius, Mercator, Calvisius, Petavius, Salianus, etiam priorem locum explicant de Epochâ Hierosolymitanâ; posteriorem autem mendosum esse contendunt, & in textu Græco pro ιε, seu *15*, reponendum ιη, seu *18*.

Hoc paulò certiùs videtur, Iosephum *lib.* 16. *Antiq. cap.* 9, Herodis annos à Romanâ Epochâ numerare, dum sic loquitur: *Perfecta est Cæsarea decimo anno postquam*

postquam ædificari cæpta est, Regni autem Octavo supra vigesimum, Olympiade 192. *In ejus dedicatione magna celebritas fuit.* Non me latet Kepplerum, Petavium, & quosdam alios, velle etiàm hæc toto triennio seriùs contigisse, & hos Herodis annos à detruso Antigono supputari: sed pro priore opinione facit Eusebius, doctissimus illius Urbis Episcopus, qui in tantà rerum externarum peritià, non videtur satis commodè dici posse, urbis suæ Natalem ignorasse. Is autem, *in Chronico, ad Annum Abrahæ* 2005, *ac primum Olympiadis* 192 (quem Regni Herodis vigesimum secundum malè numerat) annotat *Herodem condidisse Cæsaream:* seu, ut patet ex Iosepho, absolvisse ac dedicasse. Est autem annus ille Iulianus 34, quo completur annus Regni Herodis 28 ab Epochâ Romanâ.

HYPOTHESIS SECUNDA.

Posterior Epocha.

CLades *Hierosolymorum* (quâ Herodes, dejecto Antigono, in Regno confirmatus est) *incidit in Consulatum M. Agrippæ, & Caninii Galli, Olympiade* 185, *Mense tertio*; seu Mense Sivan, qui, eo anno Iuliano 9, totus ferè concurrit cum mense Romano Iunio, *feriis quibus solemne fit jejunium*; seu quantum apparet, die 23 Sivan, quo Iejunium in Calendario Iudaico indicitur.

Ejus usus apud Josephum.

Ab hac posteriore Epochâ annos Regni Herodis sæpiùs accersit Iosephus; nominatim *lib.* 1 *de Bello*, *cap.* 14, dum ait, *septimo Regni anno, & Actiaco Bello fervente, Veris initio, terram motam fuisse.* Ex quo explicabis quod dicitur in versione Latinâ ejusdem Scriptoris, *lib.* 15 *Antiq. c.* 7, hunc terræ motum contigisse, *dum maximè apud Actium Antonius conflictatur cum Cæsare, septimo Regni Herodis anno:* non enim ibi de pugnâ ipsâ agitur; sed de præparatione, & apparatu ad illam; quem in sensum etiam verti poterat textus Græcus. Contigit hæc pugna Anno Iuliano 15, Septembri ineunte: initio autem Veris ejusdem anni, quo omnia ad illam parabantur, fluebat annus à devicto Antigono septimus, extremis dumtaxat computatis: alioqui, à momento ad momentum supputando, necdum completus erat Annus sextus; quod diligenter notandum, ut pote futurum usui infrà, *cap.* 25. *Eodem libro* 15, *cap.* 12, scribit Iudæam fame afflictam *Annò qui fuit Regni Herodis decimùs tertius*; item *cap.* 13, Cæsarem *in Syriam venisse anno Regni Herodis decimo-septimo elapso*, ut habet textus Græcus. Famem hanc incidisse in annum Iulianum 21; adventum autem Cæsaris in annum Iulianum 26, ostendit Petavius, *lib.* 11 *de Doctr. Temp. cap.* 1; & quoad profectionem in Syriam patet ex Dione, *lib.* 54.

HYPOTHESIS TERTIA.

Anni totius Regni Herodis, & vitæ

HERODES *vitâ functus est, cùm regnasset, post sublatum Antigonum, annos triginta quatuor; ex quo autem à Romanis declaratus est, septem & triginta.* Ita sonat textus Græcus, *lib.* 17 *Antiq. cap.* 10; & ferè textus, *libri* 1 *de Bello, cap. ult.* ubi etiam additur Herodem, cùm moreretur, fuisse *annorum ferè septuaginta*; quod ipsum confirmatur, *lib.* 17 *Antiq. cap.* 8, ubi dicitur fuisse tunc *circa annum septuagesimum.* Vide quæ infrà, *cap.* 32 dicturi sumus de Herodis ætate, ubi ostendemus Herodem anno 47 ante Æram Vulgarem fuisse annorum 25.

HYPO-

HYPOTHESIS QUARTA.

I*Neam noctem* (quâ Herodes, non ita diu antequam è vivis excederet, vivos comburi jussit deturbatores Aquilæ aureæ, & Sophistas eorum incentores) *defectus Lunæ incidit.* Iosephus *lib.* 17 *Antiq. cap.* 8. Herodem autem non ita diu ante Festum Paschatis obiisse, patet *ex cap.* 11 *ejusdem libri.* Eclipsis Lunæ quæ Herodis mortem præcessit.

Variè admodum à variis, à quibusdam etiam admodum imperitè, adhibetur illustrissimus & fallere nescius hic character, ad definiendum annum fatalem Herodis. Quare non abs re futurum judicavi si omnia Plenilunia Ecliptica, aut ferè Ecliptica colligerem, & sub unum aspectum ponerem, quæ ab anno Iuliano 41, cui infrà Natalem Christi tribuemus, usque ad annum Julianum 46 contigerunt, infra quem nemo ex eruditis hodie descendit, quoad mortem Herodis. Syllabus Eclipsium quæ huic rei possunt subservire.

Anno Juliano 41, ante Æram Vulgarem quinto, die 15 Septembris (attentâ formâ anni strictè Julianâ) sesquihorâ ante mediam noctem, (à quâ hîc initium diei desumo) contigit maxima Lunæ Eclipsis, ut pate digitorum 19 cum semisse, Hierosolymis conspicua. Vide quæ de hac Eclipsi dicemus infrà, *cap.* 29.

Anno Jul. 42, ante Ær. Vulg. 4, die 13 Martii, Hor. 3, Minut. 18 post mediam noctem, altera fuit Lunæ Eclipsis conspicua Hierosolymitis, plusquam sex digitorum. vide dicenda infrà, *cap.* 19 *&* 29.

Eodem anno, die 5 Septembris, uno ferè Horæ quadrante ante secundam pomeridianam, facta est Eclipsis plusquam novem digitorum; sed minimè videri potuit in Judæâ, aut vicinis Regionibus, ut per se patet.

Anno Iul. 43, ante Ær. Vulg. 3, die 2 Martii, Horâ 4 matut. Min. 40, fuit Plenilunium, quod Bucherius, *lib.* 2 *Belgii Romani*, *cap.* 6. *sect.* 4, conatur facere Eclipticum; sed frustra. Nam contrarium omnino constat ex Tabulis Astronomicis. Quod autem Despieres, *pag.* 135 *suæ Astronomiæ Aquicinctinæ*, illud inter Plenilunia Ecliptica recenset; tantum vult Lunam, spectatis motibus oppositionis mediæ, constitisse intra terminos Eclipticos: ex quo non sequitur factam reipsâ ullam Eclipsim, ut dicemus infrà, *cap.* 19.

Idem prorsus dicendum de Plenilunio quod incidit in diem 27 Iulii proximè sequentis, paulo post Horam 9 vespertinam: nam juxta motus medios, fuit Luna etiam tunc intra terminos Eclipticos, ideoque Plenilunium illud inter Ecliptica recensetur, à Despieres, *loco cit*: nulla nihilominus secuta est Eclipsis.

Anno Iul. 44, ante Æram Vulg. 2, die 20 Ianuarii, Hor. 2, Min. 30 post meridiem, respectu Hierosolymæ, fuit Eclipsis digit. 8, Min. 28, quæ tota absoluta est unâ horâ antequam Luna istic videri posset. Vide dicenda infrà, *cap.* 19, contra Langium hoc Plenilunio utentem ad asserendam huic anno mortem Herodis.

Eodem anno, die 17 Iulii, Hor. 7. Min. 20, manè, facta est Eclipsis Digit. 13; quæ Hierosolymis conspicua non fuit.

Anno Iuliano 45, ante Ær. Vulg. 1, die 10 Ianuarii, Hor. 1 post mediam noctem, contigit Eclipsis Digit. ferè 20, Hierosolymis conspicua, quâ utuntur Scaliger, Calvisius, aliique ad Herodis obitum huic anno vendicandum.

Eodem anno, die 5 Iulii, Hor. 10, Min. 37, post noctem mediam, facta est Eclipsis plusquam 18 Digitorum; sed quæ nulla ratione Hierosolymis videri potuit, ut per se patet.

Item eodem anno, die 29 Decembris, Hor. 5, Min. 20 post meridiem, contigit Eclipsis Digit. 7, cujus initium videri Hierosolymis non potuit; sed tantùm pars posterior. Hanc adhibet Grandamicus, ut anno insequenti tribuat mortem Herodis; nec incommodè, nisi aliæ Hypotheses obstarent.

Anno Iul. 46, Æræ Vulgaris primo, unica fuit & parvula Lunæ Eclipsis die 24 Iunii, sub ipsum meridiem; ac proinde non visa in Iudæâ.

HYPOTHESIS QUINTA.

Caius Cæsar præsens in disceptatione filiorum Herodis.

IN contentione filiorum Herodis jam vitâ functi, Romæ factâ de Regni successore, Augustus *Cæsar in consilium amicos advocavit, & in his Caium Agrippæ & Juliæ filiæ suæ filium jam à se adoptatum, primum ei locum in consistorio tribuens.* Iosephus, *lib.* 17 *Antiq. cap.* 11, *& lib.* 2 *de Bello, cap.* 1.

HYPOTHESIS SEXTA.

Juliæ adulteria detecta.

ADulteria Juliæ Augusti filiæ, tunc Tiberio nuptæ, & matris Caii Cæsaris ex M. Agryppâ, *detecta sunt eo ipso anno* (Juliano 44) *quo magnificentissimi gladiatorii muneris, naumachiæq; spectaculis Divus Augustus, se & Gallo Caninio Consulibus, dedicato Martis templo, animos oculósque Pop. Romani repleverat.* Velleius, *lib.* 2, & ex eo passim Chronologi. Vide nominatim Bucherium, *lib.* 2 *Belgii, cap.* 7, ubi ostendit hanc propalationem turpitudinis Juliæ, Autumno ineunte anni Iuliani 44 contigisse; ac paulo pòst secutam esse ejus relegationem in Insulam Pandatariam, ex quâ licet Iulia post quinquennium, levioribus paulò, quàm antea, conditionibus translata sit in continentem; tamen ut omninò revocaretur, exorari nunquam se permisit Augustus, etiam populo Romano sæpe deprecante, & pertinaciùs instante; cui pro concione etiam tales filias imprecatus est, ut scribit Suetonius, *in Octavio, cap.* 65. Vide paulò pòst dicenda hîc, *Hypothesi* 10.

HYPOTHESIS SEPTIMA.

Caii profectio in Orientem.

BReve ab hoc (Juliæ exilio) *intercesserat spatium, cùm Caius Cæsar* (de quo suprà) *ante aliis Provinciis ad se dandum* (seu, ut emendat Lipsius, *ad visendum*) *obitis, in Syriam missus est.* Velleius, *lib.* 2; qui ibidem addit, *Augustum voluisse M. Lollium esse velúti moderatorem juventæ filii sui Caii.* Addit & Zonaras, *Tomo* 2, *Potestatem Proconsularem & uxorem ei* (Caio) *datam*; *ut eâ quoque re dignitas ejus augeretur*; *& Consiliarios ei adjunctos.* Inter hos fuisse Quirinium, designatum etiam Lollii successorem, si quid ei humanitùs contigeret, docent Salianus, *ad Annum* 4052, *n.* 8. & alii ex, Tacito, *Annali* 3, ubi ait Quirinium, *datum Rectorem Caio Cæsari Armeniam obtinenti:* Lollio scilicet jam vitâ functo, ex veneno sponte hausto, ut testatur Plinius, *lib.* 9, *cap.* 35: quod anno Juliano 48, Dionysiano 3, accidit.

Ceterùm

Cæterùm qui totam hanc rem moraliter æstimarit, facilè sibi, contra Salianum ejúsque sequaces, persuadebit, Caium ita *brevi* post matris exilium *spatio* profectum in Orientem; ut ad talem profectionem adornandam, ductâ interim uxore, totam facilè hyemem insequentem impenderit; nec ante Ver anni Iuliani 45 Româ excedere potuerit. Hoc ipsum satis indicat Suetonius, *in Tiberio*, *cap.* 11 *&* 12, dum scribit, Tiberium, *transacto Tribunitiæ potestatis tempore* (quinquennali, expirante circa initium anni illius 45) *privignum Caium visendi gratiâ, trajecisse Samum.* Cùm autem Caius & gynecæo impediretur, & (teste Zonarâ, ex Dione) *ab omnibus ut Imperatoris nepos, ac potiùs filius, honorificè exciperetur*; vix ante anni illius 45 hyemem ineuntem potuerit Syriam tenere. Ex quibus nullo negotio intelliges, apertè falsa esse, quæ Franciscus Haræus, *in suis Olympiadibus, ad annum U. C.* 747, scribit de Caio Orienti præposito, Lælio Balbo, & Antistio Vetere Coss. seu, Anno Juliano 40: hæc enim Velleio, Suetonio, & ipsi Tacito, quem tamen pro se allegat, manifestissimè adversantur. quando suscepta.

HYPOTHESIS OCTAVA.

ARchelaus (Herodis magni filius, & ex parte Successor) *nono Principatûs sui anno in exilium pulsus est Viennam civitatem Galliæ.* Josephus, *lib.* 2 *de Bello*, *cap.* 6; ubi & somnium Archelai refert de novem spicis novem annos Principatus designantibus. Idem tamen, *lib.* 17 *Antiq. cap.* 15 (quod Opus, ut posteriùs, ita & exactiùs scripsit) relegationem hanc tribuit *decimo Principatûs Archelai anno*, narratque somnium de visis *decem spicis maturis tritico plenis*, decem Principatûs annos significantibus. Hoc posterius confirmat idem Scriptor, *libro de Vitâ suâ*, ubi asserit (quod utique ignorare non potuit tam curiosus rerum domesticarum indagator, ad retundendas suorum adversariorum obrectationes) Matthiam parentem suum natum fuisse, Archelao decimum annum imperante; & ad Tabulas publicas provocat. Archelaus in exilium pulsus.

Hunc annum, seu nonum expletum, seu decimum labentem, paulò magis explicat, *lib.* 18 *Antiq. cap.* 3, dum ait, *Quirinium vendidisse, & fisco addixisse Archelai facultates, & peregisse Censum, qui incidit in annum trigesimum septimum post victum à Cæsare in Actiacâ pugnâ Antonium.* Hunc characterem exactissimè determinat Dio, *lib.* 55, ad annum Urbis 759, & Consulatum M. Æmilii Lepidi, ac Lucii Arruntii (concurrentem cum Anno Juliano 51, Dionysiano 6) ubi ita loquitur: *Herodes Palæstinus* (ita Archelaum vocat) *à fratribus accusatus, trans Alpes est relegatus, ac pars ejus ditionis est in publicum redacta.* Josephi calculis ad unguem congruit annus ille 51; quo nimirum & completur annus 36 à pugnâ Actiacâ, & trigesimus septimus inchoatur initio Septembris: aliàs autem annus ille secundùm se, est simpliciter trigesimus septimus, comprehensis (ut sæpe fit) extremis. decimo anno sui Principatûs.

HYPOTHESIS NONA.

POst relegationem Archelai, ejúsque bona fisco addicta, Judæa in Provinciam redacta est, & Syriæ contributa à Quirinio; à quo tempore tres fuerunt Judææ Procuratores ab Augusto constituti, qui sibi invicem per intervalla successerunt; Tres Judææ Procuratores post relegatû Archelaum.

successerunt; ac primùm Coponius cum Quirinio in Judæam missus; deinde M. Ambivius, ac denique Annius Rufus. Ita Josephus, *lib.* 18 *Antiq. cap.* 3. ubi & quiddam memorabile paucis attingit, quod eorum singulis Provinciam illam procurantibus contigit; ac nominatim illud, quòd Annio Rufo Præfecturam illam gerente mortuus sit Augustus. Unde ineluctabiliter conficitur Archelaum compluribus ante Augusti excessum annis fuisse ditione suâ exutum.

HYPOTHESIS DECIMA.

Juliæ nomen à Philippo inditū Bethsaidæ.

PHilippus, alter Herodis Ascalonitæ filius, & ex parte hæres, *rebus suæ Tetrarchiæ* (quam à parente vitâ functo, Romæ ab Augusto obtinuerat) *ordinatis & compositis, vico Bethsaida, in ripâ lacûs Genesarethini, Urbis speciem addidit. . . . . quam Julia Cæsaris filia cognominem esse voluit.* Josephus, *lib.* 18 *Antiq. cap.* 3. Ex quo satis manifestè colligi videtur Philippum non exiguo temporis spatio potitum suâ Tetrarchiâ, ante Juliam ignominiâ notatam, & in exilium actam. Non enim ausus esset hunc ei honorem deferre post propalata ejus adulteria; maximè cùm Augustus (cujus gratiæ aucupandæ tum Philippus, tum alii ejus fratres unicè studebant) Juliæ, vel mentionem fieri ferret molestissimè; imò ad eam *ingemisceret.* Vide Suetonium, *in Octavio, cap.*65, ex quo disces, eum adeò in Juliam exarsisse; ut infantem ex eâ post damnationem editum agnosci, aliquo vetuerit; nec aliter eam appellare solitus sit, quàm *vomicam* & *carcinoma suum.* De Tiberii quoque odiis in Juliam, tam ante hujus relegationem, quàm postea, vide Tacitum, *Annali* 1.

HYPOTHESIA UNDECIMA.

Anni Principatûs Philippi.

IDem *Philippus, Herodis* (Antipæ) *frater, diem suum obiit anno Principatûs Tiberii vigesimo; cùm ipse præfuisset triginta septem annis Trachonitidi.* Josephus, *lib.* 18 *Antiq. cap.* 6. Vide dicenda infrà, *cap.* 30.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Refelluntur qui censent Herodem vitâ functum Anno Iuliano 52, vel 51, vel 50; seu, Æra Vulgaris septimo, vel sexto, vel quinto.

STabilitis Hypothesibus jam allatis, superest nunc ut iis debitè utamur; tum ad aliorum opiniones evertendas; tum ad nostram adstruendam. Missas autem hìc facio exoticas illas, de quibus suprà, *cap.* 2, *&* 9, quarum vel mentionem fecisse, refutasse est: & illas solas ad examen voco, quæ aliquam etiamnum obtinent authoritatem apud nonnullos, quamvis pleræque exiguâ veri specie, aut nullâ. Illud tamen antea obiter moneo, Regnum Herodi confirmatum esse ab Augusto Cæsare, non anno Juliano 15 (ut vult Baronius, de quo suprà *cap.* 14) sed 16: ut patet ex Josepho, *lib.* 1 *de Bello, cap.* 15, *& lib.* 15 *Antiq. cap.* 10; maximè si cum his testimoniis conferas ea, quæ habet Dio, aliique Historiæ Romanæ Scriptores.

Ut

Opinio Baronii & Haræi rejecta.

Ut ab iis opinionibus incipiam quæ longiùs recedunt ab Hypothesibus jam allatis, nostrâque sententiâ; satis constat ex dictis, *annos* Herodiani Regni *septem & triginta*, de quibus suprà, *Hypothesi* 3, nec posse ullo modo ab Actiacâ pugnâ, seu ab Autumno Anni Juliani 15 inchoari, ac deinde ad annum usque Jul. 51 produci, ut vult Baronius; nec ab anno Iul. 16 supputari, & ad annum 52 extendi, ut censet Franc. Haræus; nec ab anno Iul. 14, ut alii.

Novitas illius opinionis Josepho apertè repugnantis.

Et quidem quod ad Herodiani Regni principium attinet, non tantùm obstat Iosephus, tam sæpe, tam apertè, tam constanter, tam consequenter, geminum Regni initium tam ab Epochâ Romanâ, quàm ab Hierosolymitanâ, de quâ suprà, *Hypothesi* 1, 2, & 3, assignans; sed etiam ratio ipsa manifesta: cùm Herodes, saltem à dejecto Antigono, ad mortem usque, pacificè regnarit. Ut proinde mirum sit hoc demum sæculo reperiri potuisse Chronologos, qui, in tantâ Iosephi luce, Herodiani Regni exordium statuerint toti hactenus Antiquitati penitùs ignotum, & cujus nullum prorsus extet vestigium, seu in Iosepho, seu in Dione, seu in quopiam alio satis idoneo Authore.

Objectio.

At enim, inquiunt Adversarii, cùm constaret Regnum Herodi fuisse Romæ collatum Senatusconsulto edito anno Iuliano 6, ac postea iterum alio Senatusconsulto confirmatum post pugnam Actiacam; Iosephus errore deceptus, ad prius è duobus illis Senatus consultis respexit; & inde annos 37 Herodis supputavit; cùm eos à posteriore numerare deberet. Huic errori firmando, addunt, Antonii jam ab Augusto ad Actium devicti Acta fuisse à Senatu Romano rescissa: ideoque non licuisse Herodi priores illos annos numerare, quibus Antonii beneficio regnârat; sed eos solos supputare potuisse, qui posteriores erant novâ in Regno confirmatione obtentâ tum ab Augusto victore; tum à Senatu Romano, anno Juliano 15, aut 16.

Refellitur.

In primis quod spectat ad prætensam illam hallucinationem Josephi, alteram pro alterâ Epocham Regni sibi proponentis; an eodem errore seducti sunt Nicolaus Damascenus, perpetuus Herodis domesticus, aliique, qui tyranno hoc tum superstite, tum vitâ functo, ejus Acta, tamquam oculati testes, annotatis Olympiadibus, Consulibus, ac similibus temporum criteriis, conscripserunt, ut patet ex Josepho, qui ex eorum scriptis historiam suam contexuit? An perpetua illa & adamantina Annorum Regni Herodis catena, Historiæ tum Græcæ, tum Romanæ tam firmiter implexa, talem ac tantum novem, decemve annorum parachronismum pati posse credenda est? An adeò palpabilem in proavi sui Chronologiâ lapsum tacitus dissimulasset Rex Agrippa junior, aliique à quibus Opera sua fuisse & lecta & probata testatur Josephus, *lib.* 1 *contra Appionem*? An saltem id reticuissent hujus obtrectatores; contra quos *ibidem* agit, in omnem ejus traducendi occasionem intenti? An Josephus ipse emendare neglexisset in posteriore Opere *de Antiquitatibus Judaicis* (in quo idem planè confirmat, quod de Herodis annis, eorumque duplici Epochâ scripserat in priore Opere *de Bello Judaico*) si tantus error in hoc deprehendi potuisset? An fieri potuit ut tam prodigiosè falleretur in anno mortis Herodis, quæ, si Adversariis creditur, annis dumtaxat circiter triginta, contigerat, antequam nasceretur Josephus, qui se anno primo Caligulæ, hoc est, anno 37 Æræ Vulg. natum scribit, *Libro de vitâ suâ*; ac

proinde

proinde re adhuc admodum recente, & quam etiam ex innumeris testibus oculatis didicisse potuerat? Cadítne tantus stupor in hominem, cui non omninò nihil lævâ in parte mamillæ saliat; nedum in nobilissimum illum Scriptorem?

Non solus Antonius Herodem ad regnum evexit.]

Deinde scire velim ex Adversariis, quâ ratione evectio Herodis ad Regium fastigium Romæ facta totis novem annis ante pugnam Actiacam, numerari debeat inter Antonii Acta à Senatu rescissa; quandoquidem ad eam Augustus ex æquo cum Antonio operam contulerit ex causis sibi propriis; Senatus autem ita fieri decreverit, boni publici respectu. *Secundò*, in toto Herodis congressu cum Augusto jam victore (non utique anno Juliano 15, ut vult Baronius, sed insequente dumtaxat, ut ex Dione aliisque constat) ecquid factum dici potest, ex quo sufficienter eliciatur prætensa illa expunctio annorum Regni præcedentium, & novæ Epochæ institutio? Num Herodes suam cum Antonio amicitiam velo aliquo tegere conatus est? Num ad supplicationes versus fuit, aut preces adhibuit, quasi veniam rogando? Nihil horum: sed, ut scribit Josephus, *lib. 15 Antiq. cap.* 10, posito tantùm diademate, de cætero apparatu Regio nihil mutans, facti sui rationem reddidit intrepidè. Tantâ verò animi magnitudine delectatus Cæsar, teste Josepho, *lib 1 de Bello, cap. 15, Salvus esto*, inquit, *& nunc firmiùs regnato. Nam meritus es, qui plurimos regas, cùm amicitiam tantâ fide tuearis*, &c. Ex quibus omnibus non Regni interruptio, aut prioris temporis abolitio; sed mera continuatio extundi potest. Ad hæc si Augustus adeò exosum sibi esse Antonii nomen præ se tulisset in illo congressu; ausúsne asset Herodes paucis pòst annis, Antonii nomen imponere arci illi, quam ad Templi Hierosolymitani muros extruxit?

Rejicitur eadem opinio ex ætate Herodis.

Crescet non parùm hujus Paradoxi incredibilitas, si ei refellendo advocemus alias Hypotheses capite proximè præcedente explicatas. *In primis*, cùm, juxta *Hypothesim* 3, Herodes anno 47 ante Æram Vulgarem esset annorum 25; mortuus autem sit cùm esset *ferè* 70 *annorum*; evertuntur apertè tres sententiæ, contra quas nunc agimus. Ex illis enim sequitur eum obiisse cùm esset vel 76, vel 77, vel 78 annorum; adeoque octogenario propior.

Ex præsentiâ Caii in disceptatione filiorum Herodis.

Secundò, cùm Caius Cæsar, adoptivus Augusti filius, anno 4 Vulgari excesserit è vitâ, ut ex Historiâ Romanâ satis constat; imò (juxta Hypothesim 7) quinquennio antè excesserit ex Italiâ nunquam reversurus; non potuerit (ut exigit *Hypothesis* 5) interesse disceptationi Romæ habitæ de successore in Regnum Herodis; si hic anno demum 5, aut 6, aut 7 Vulgari decesserit: ut contendunt ii quos nunc impugnamus. Scio Lydiatum *sua Recensionis cap.* 14, ausum fingere, Iosephum, dum alias res agit, nominâsse Caium Augusti Nepotem, tamquam præsidem disceptationis inter Herodis filios; cùm Agrippam Caii fratrem, post illius mortem ab Augusto adoptatum, nominare aut vellet, aut deberet.

Evasio Lydiati,

cui occurritur.

Sed quænam, amabo, est inter nomina illa affinitas, ut alter pro altero facilè nominari potuerit? Deinde an non disertè testatur Suetonius, *in Octavio, cap.* 65, Augustum post adoptionem illam (peractam die 5 Cal. Iulias, Anno Dionysiano 4, ut ex Velleio constat) hunc *Agrippam brevi, ob ingenium sordidum ac ferox, abdicasse, sepofuisseq. Surrentum, sepsisse custodiâ militum, ad omnem ejus mentionem ingemuisse*, &c? Quomodo igitur toto pòst triennio disceptationi Herodiadum

præfuisse

præfuisse dici potest Augusti mandato? Hujus figmenti absurditas magis patebit ex alio Lydiati commento, de quo mox: ut interim omittam Agrippam vix tunc fuisse tredecim annorum.

Tertiò, Hypothesis sexta, decimæ juncta, de Juliâ relegatâ anno Juliano 44, ante quem necesse sit conditam, in ejus honorem, urbem Juliadem à Philippo Herodis jam demortui filio, & ex parte successore, satis manifestè declarat Herodem pluribus ante Æram Vulgarem annis obiisse. **Ex Juliæ relegatione.**

Quartò, cùm (juxta *Hypothesim* 8) & annus decimus Tetrarchiæ Archelai, & ejusdem relegatio inciderit in Annum sextum Vulgarem: clarum est annos, quos nunc impugnamus, omninò rejiciendos esse. Quolibet enim eorum admisso, sequeretur Archelaum aut eo ipso anno, quo obiit Augustus, relegatum fuisse; aut etiam uno alteróve seriùs. Hoc posterius asserere non veretur Lydiatus, *in Catalogo Chronologico ad calcem Recensionis adjecto*, ubi relegationem Archelai refertaad annum Vulgarem 16; prius illud de Archelao relegato anno 14, quo è vitâ excessit Augustus, amplectitur Baronius, *in Annalibus*: sed utrosque manifestè revincunt tum dicta superiùs; tum mox dicenda de morte Philippi Tetrarchæ; tum specialissimè *Hypothesis* 9, de tribus Judææ Procuratoribus ab Augusto successivè missis, qui necessariò fateri cogunt, Archelaum pluribus ante Augusti obitum annis abdicatum fuisse: adeoque mortem Herodis multò diutiùs ab Adversariis differri, quàm veritas ullâ ratione pati possit. **Ex relegatione Archelai.**

Quintò, potenter Adversarios revincit *Hypothesis* 11, de Philippo Tetrarchâ mortuo Anno Tiberii 20, Vulgari 34; cùm tenuisset Principatum ab Herodis morte annis 37. Nam, juxta Adversarios sequeretur eum superstite Tiberio non obiisse; sed anno Vulgari 41, aut 42, aut 43: hoc est, annis 5, aut 6, aut 7, post Tiberium vitâ functum; imò & totidem, respectivè, annis post natum Flavium Josephum; qui proinde in consignando tempore mortis Philippi non potuit adeò falli. **Ex morte Philippi.**

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

Refelluntur, qui docent Herodem mortuum Anno Iuliano 49, 48, 47, 46; *seu Dionysiano* 4, 3, 2, 1.

Retrogradum annorum ordinem observare pergo; quò clariore & faciliore methodo fatalem Herodis annum deprehendere possimus.

Prima se nobis offert Eusebii opinio de Herode vivis erepto Anno Vulgari 4; contra quem statim faciunt *tres primæ Hypotheses*, de geminâ Herodiani Regni Epochâ, à quarum priore Josephus annos 37 supputat, à posteriore 34: cùm Eusebius à priore cogatur supputare annos 43; à posteriore saltem 40. Vide quæ de ruinoso Eusebii fundamento diximus supra, *cap.* 14. Obstat & illud, quod obiter, *Hypothesi* 3, attigimus, de Herodis ætate, qui, juxtà Eusebium, non obiisset ferè septuagenarius; sed insuper quinquennio major. Obstat & *Hypothesis quinta*, de Caio Augusti Nepote præsente in altercatione filiorum Herodis pro **Opinio Eusebii rejecta de Anno 4 Vulgari.**

succeſſione in Regnum paternum; cùm omninò conſtet Caium hoc ipſo anno 4. Vulgari obiiſſe in Luciâ, & pluribus antè annis Romæ non fuiſſe. Obſtat *Hypotheſis ſexta juncta decima*, ad eum modum, quo ſuprà, *cap.* 16 dicebamus. Item *Hypotheſis* 8, de Archelao, relegato Anno 6 Vulgari, poſtquam ſuæ Tetrarchiæ præfuit novem; quos cùm ultrò concedat Euſebius, differens hanc relegationem in annum Vulgarem ſaltem 13; impingit in *Hypotheſim nonam*, de tribus Judææ Procuratoribus ſibi invicem ſuccedentibus ſuperſtite Auguſto, qui anno 14 Vulgari exceſſit è vitâ. Obſtat denique *Hypotheſis undecima*, de Philippo Tetrarchâ vitâ functo anno 20 Tiberii; quod, juxta Euſebii opinionem, ſtare non poteſt; prout *ſuperiori capite* declaratum eſt. Abſtineo ab urgendâ *Hypotheſi* 4: quamvis enim anno 4 Vul. ante Paſcha, nulla fuerit Lunæ Eclipſis conſpicua in Judæâ; proferri tamen non incommodè poſſet ea, quæ contigit anno præcedente, Horâ 1, Min. 10 poſt mediam noctem, quâ inchoabatur dies 29 Octobris, idque juxta dicenda in ſimili, *infrà*, *cap.* 29.

Rejiciuntur anni Æræ Vulg. 1, 2, & 3.

Vim etiam ſuam contra annum Dionyſianum tertium, ſecundum, ac primum obtinent Hypotheſes ſuprà allatæ, ſi, ſervatâ in ſingulis analogiâ, urgeantur; niſi quòd annum tertium ac primum non premat *Hypotheſis* 4; cùm hic Eclipſim Decembris præcedentis, ille Novembris, pro ſe allegare non incommodè poſſit. Premit tamen, Annum ſecundum Vulgarem, quo nulla ante Paſcha contigit Eclipſis Lunæ: unica autem, quæ anno præcedente contigit, fuerit Paſchate poſterior, & videri non potuerit in Judæâ. Quòd verò Malbrancus, *Tract.* 1. *Chronolog. cap.* 13 *&* 15, Eclipſim huic anno aſſignet mortis Herodis prodromam, *maximam*, *inſignem*, *legitimam*, *Februarii* 20, *Horâ unâ ante noctis medium*, *Digit.* 21. *Min.* 18, aberratio eſt, utique facilè condonanda optimo viro, Aſtronomiæ minimè perito. Alioqui evidens eſt Eclipſim hanc ad annum 7 Vulgarem pertinere; prout etiam disertè monet Hervartus, *Nova Chronol. cap.* 199, ex quo ad verbum deſcripta eſt.

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

Impugnantur qui volunt Herodem mortuum Anno Iul. 45, ſeu primo ante Æram Vulgarem.

Eclipſis pro hoc anno allegata à Temporario, Scaligero, Calviſio.

MAximam Lunæ Eclipſim Hieroſolymis hoc anno viſam ineunte die 10 Januarii, allegant pro ſe patroni hujus anni, nominatim Temporarius, *li.* 2 *Chronol. Demonſt. pag.* 168. Scaliger, *in Prolegom. ad Euſebium pag.* 4, *&* *alibi.* Calviſius, *ad annum Mundi* 3943, cujus Eclipſis calculum fusè deſcripſit Deſpierius, *in ſuâ Aſtronomiâ Aquictinctinâ*, *pag.* 151. Sed, præterquàm quod characterem hunc, *Hypotheſi* 4 reſpondentem, huic anno firmando inutilem reddant aliæ Hypotheſes, ut mox patebit; non ſatis advertunt ii quos impugnamus, deliquium hoc Lunæ incidiſſe in noctem quâ inchoabatur Sabbathum; cujus proinde religionem, apud Judæos ſacratiſſimam, nullo modo credibile ſit fuiſſe ab Herode, tam nullâ urgente causâ, funeſtatam vivicomburio Sophiſtarum, &

Minùs cōmoda.

aliorum

aliorum Aquilæ aureæ deturbatorum; imò tam fœdè violatam contra solemnia privilegia genti Judaicæ à Romanis concessa, ne Sabbathis in jus trahi posset, aut suppliciis affici.

Opinioni huic etiam è diametro repugnat Hypothesis 3: nam hic annus à priore Herodis Epochâ quadragesimus est (comprehensis extremis) à posteriore trigesimus septimus; cùm Josephus annos dumtaxat 37 à priore Epochâ Herodi concedat; à posteriore annos 34, idque iteratò. ut interim omittam eum asserere Herodem obiisse ferè septuagenarium, qui juxta Adversarios obiisset septuagenario major. Impugnatur hic annus ex durationv Regni Herodis.

Ictum hunc exire conatur Scaliger, *lib. 5 de Emend. pag.* 433; sed conatur tantùm. Asserit autem *primò*, Judæos, usque ad tempora Simonis Hyrcani, annos Regum à primo Mense Nisan putâsse; sed postea illos à Mense secundo Ijar numerâsse. *Secundò*, annum illum non venire in numerum annorum Regni, quo quis declaratus est Rex elapso jam Mense Ijar. *Tertiò*, hinc fieri ut cùm Herodes Romæ declaratus fuerit Rex anno Juliano 6, elapso jam Mense Ijar, annus ille in numerum non veniat; sed primus Regni annus initium sumat à Mense Ijar anni Juliani 7. Similiter cùm Antigonus detrusus fuerit anno Juliano 9, Mense Judaico 3; adeoque jam elapso Mense Ijar: posterior Herodis Epochâ non inde consurget; sed à Mense Ijar anni Juliani 10. *Quartò*, Josepho teste, Herodem annos solidos 37 regnâsse, ex quo declaratus est Rex Romæ; 34 verò, eosque solidos, à captis per Sosium Hierosolymis: decessisse verò ante Pascha, nondum Ijar instante; ideoque tempus decem circiter mensium, quod fluxit ab Ijar anni Juliani 44 ad mortem Herodis, non attendi à Josepho solidos tantùm annos considerante; sicut ab eodem non attenditur tempus, ab adepto titulo Regio ad Ijar anni Juliani 7; & à dejecto Antigono Ijar anni Iuliani 10. Effugium Scaligeri.

Contra totam hanc Scaligeri ratiocinationem facit *primò*, quòd illa annorum numeratio à Mense Ijar, tamquam mensium principe, sit prorsus commentitia, & (quidquid dicat Scaliger) nullum omninò fundamentum habeat, seu in Flavio Josepho (de quo infrà, *cap.* 25) seu in antiquo Judæorum usu, seu in Scripturâ Sacrâ; quâ de re videsis Petavium, *lib.* 10 *de Doctr. Temp. cap.* 53; *& lib* 11, *cap.* 4. Quin potiùs apud Judæos nihil receptiùs pronuntiato illo *Codicis Thalmudici, Rosch hasschana, cap.* 1: *In diem primum Nisan incidit initium Regni pro Regibus Israël. Quod* (inquit magnus Thalmudi volutator, & ex parte Interpres, Constantinus l'Empereur, *in Dissertatione suâ Proœmiali ad Clavim Thalmudicam*) *Thalmudici in Ghemarâ pluribus confirmant, & hoc sibi volunt; annos, cùm ad Israëlitarum Reges referuntur, principium suum in Nisan habuisse; etsi Reges post istum mensem demum regnare cœperint:* quæ postrema verba valdè notanda sunt contra Scaligerum, ac similes. vide plura, *loco citato*, ubi Constantinus usum illius Canonis Judaici commendans, ait constare ipsius utilitatem esse magnam in disponendis annis Veteris Testamenti; profertque exemplum. Vide etiam dicenda *infrà, cap.* 26, *& Quæst.* 2, *cap.* 5. Præcluditur. Canon Thalmudicus, de initio Annorum Regni.

Tantùm hîc addo, Canonem jam explicatum adeò à Thalmudicis extendi, ut non vereantur dicere: *Dies unus in Anno censetur Annus.* id est; ad hoc ut quis dicatur uno quopiam anno regnâsse, sufficit si vel uno die intra annum regnârit; Canonis illius extensio.

V. G. primo aut ultimo alicujus anni. Juxta hunc Canonem, cùm Herodes regnârit per plures menses, imò per majorem partem anni Judaici inchoati Vere anni Juliani 6 (ut patebit ex dicendis *infrà*, *cap.* 21, *&* 22) necessariò annus ille Judaicus in numerum annorum Herodiani Regni venire debebit. Eademque, imò major erit ratio de anno Iudaico ineunte anno Iuliano 9, quo tertius Mensis Iudaicus, Antigono funestus, & posterioris Epochæ Herodianæ caput, cum Mense Iunio Romano congruit. Ex quibus apertè conficitur, vitare non posse Scaligerum, quin Herodes annis saltem 39 à priore Epochâ regnârit, & 36 à posteriore: quod *Hypothesi tertiæ* repugnat. ut interim omittam *annos* illos *solidos* falsò à Scaligero affingi Iosepho, qui eorum, ne per umbram quidem, meminit: item ex Scaligeri commento sequi, dicendum esse nullo prorsus anno regnâsse Principem illum, qui postridiè ultimi diei mensis Ijar regnare cœpisset, & anno Iuliano proximè sequente, pridiè primi diei ejusdem Mensis decessisset: quod est planè absurdum.

Caluisii effugium. Ad aliud, ut omninò affine, ita & æquè inane figmentum confugit Calvisius, *Prolegom. cap.* 46, ut quâcumque demum ratione annos tantùm 37 Herodiani Regni à priore illius Epochâ, 34 à posteriore reperiat. Asserit igitur tam Sacrarum Litterarum, quàm Iosephi morem esse in numerandis Iudaicorum Regum annis, ut dicant hunc vel illum Regem tot annos imperâsse, quot Paschata, durante ejus dominatione fuerint celebrata; idque ratione initii annorum Iudaicorum à verno tempore. Hinc infert, annum sextum Iulianum in computum annorum Herodis venire non debere; eò quòd post illius anni Pascha titulum Regis à Senatu Romæ acceperit. Regni ergo Herodiani exordium à Paschate anni Iuliani 7 desumendum censet. Cumque Pascha ab hoc septimum ac trigesimum celebratum sit anno Iuliano 43; vult consequens esse, ut Herodes (juxta hunc calculum) obierit anno Iuliano 44, ante Pascha. Quod ipsum similiter conficit de Herodis annis 34 post detrusum Antigonum per Paschata numeratis; quorum Paschatum postremum itidem in annum Iulianum 43 relabitur, & anno insequenti mortem Herodis consignat. Postea tamen Calvisius, cùm anno illo Iuliano 44 celebrem illum Lunaris Eclipsis characterem non reperiret, sed tantùm anno insequente; maluit, omnibus consideratis, mortem Herodis conferre in Annum Iulianum 45; ab hoc autem discrepantes numeros 37 & 34 annorum Regni (qui planè duobus apud Iosephum locis leguntur) rejicere *in culpam alicujus scioli, qui hosce numeros ad suum sensum emendarit.*

Præcluditur. Abundè refellitur hoc commentum, tum ex jam dictis contra Scaligerum; tum ex receptissimo inter Scripturæ sacræ Interpretes more ad annos incompletos confugiendi quoad regnorum initia; ut apparentes antilogias dissolvant. Corruptiones librorum adstruere contra omnium omnis ætatis exemplarium fidem, nullâ ad id adigente manifestâ causâ, imò palàm reclamante nexu rerum, & receptam lectionem confirmante, pertinacis est; antilogiam, ubi nulla prorsus est, sibi fingere, imperiti. Facessant igitur hujusmodi effugia, quæ non nisi per præcipitia patere possunt.

Quorumdam Recentiorum cõmentum. Minùs operosè quàm Scaliger & Calvisius, pari tamen moliminum inanitate, hac se difficultate exuere conantur quidam alii. Aiunt siquidem Iosephum, cùm

in

in Historicis sui temporis legisset Herodem annis 37 à devicto Antigono regnasse, & hanc Epocham triennio differre à Romanâ; ideoque annis illis 37, alios tres addere deberet; loco Additionis Arithmeticæ fecisse Subtractionem, & ambas Epochas permutasse; Romanæ tribuendo annos dumtaxat 37, pro annis 40; Hierosolymitanæ autem annos 34, pro annis 37.

Verùm talia pro libitu, nullo prorsus fundamento, fingi contra patentissimos, sibique summè cohærentes characteres descriptos à Iosepho designante Consules, Olympiadas, aliaque hujusmodi, minimè inter viros doctos tolerari debet. Etiam à Poëtis exigit summus Artis Poëticæ Magister, ut — Rejicitur.

Ficta voluptatis causâ sint proxima veris,
Nec quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.

His contra peculiares quorundam evasiones explicatis, redeo ex hoc diverticulo in viam, & ad impugnationes omnibus hujus anni Iuliani 45 patronis communes. Illos autem non leviter impugnat profectio Caii Cæsaris in Orientem ineunte Vere hujus anni suscepta, ut ostensum est suprà, *Hypothesi* 7. Eo siquidem admisso, non potuerit Caius (quod tamen exigit *Hypothesis* 5) interesse disceptationi filiorum Herodis, quæ totam æstatem ejus morti proximè succedentem tenuit. Quod si Archelaus, ejusque fratres Caium Romæ jam accinctum ad profectionem in Syriam vidissent, haud dubiè illum istuc honoris causâ fuissent comitati. Hoc cùm Iosephus, qui accuratè fratrum controversiam describit, penitus omiserit; non exiguo est argumento Caium eâ æstate, quæ Herodis mortem proximè excepit, de Oriente adeundo necdum cogitasse; adeoque & Herodem ante annum 45 Iulianum è vivis excessisse. — Impugnatio hujus anni ex profectione Caii in Oriêtem.

Salianus de *Hypothesi* 5 *&* 7 parùm sollicitus, profectionem Caii ultrò confert in annum Iul. 44, statim à relegatione Iuliæ matris ejus; deinde apertè profitetur Caium contentioni filiorum Herodis non interfuisse: sed Iosephum, illius concilii cohonestandi gratiâ, in quo de Hebræorum Rege ac Regno agebatur, Caii præsentiam adjecisse; hoc est (si sine fuco loquendum sit) splendidè mentitum fuisse. Sed an non satis majestatis isti consessui accedebat ab ipsius Augusti præsentiâ, etiam excluso Caio, qui coram sole illo vix, ac ne vix quidem lucebat? An non satis clarè demonstrant hujusmodi solutiones, quàm nullo loco tuti consistant, qui illas adhibere non verentur, & Josephum, qui ex Nicolai Damasceni Commentariis nullo negotio revinci potuisset, tam insulsi mendacii reum facere? An non valde malam oportet esse causam, quæ nonnisi hujusmodi patrocinio defendi potest? — Saliani responsio rejicitur.

Potenter quoque Adversarios universim urget *Hypothesis* 8, de nono decimóve anno Principatûs Archelai concurrente cum anno 37 à pugnâ Actiacâ, & (quod satis inculcari non potest) cum natali Matthiæ parentis Josephi; ut interim Dionis evidentissimo testimonio idem confirmante supersedeam. Quoquò enim se vertant Adversarii, admittere debebunt aut opinionem suam falsam esse; aut Archelaum sexto aut septimo suæ Tetrarchiæ anno dejectum esse. — Impugnatio ex relegatione Archelai.

Omissâ *Hypothesi* 9, de tribus Judææ Procuratoribus, quæ vim non adeo patentem obtinet contra hunc annum, si ab ejus patronis conferatur Archelai relegatio in annum Æræ Vulg. nonum; eos saltem urget *Hypothesis* 10, de Philippo — Ex nomine Juliæ imposito Bethsaidæ.

 Tetrarchâ

Tetrarchâ urbem Juliæ cognominem adornante. Cùm enim Julia hoc anno 45 Jul. in exilii sui ærumnis contabesceret, parenti suo Augusto summè exosa; nonnisi stultissimè Philippus de eâ ornandâ & honorandâ cogitasset.

Ex duratione Principatûs Philippi.

Denique Adversarios urget *Hypothesis* 11, de 37 anno Philippi Tetrarchæ concurrente cum anno 20 Imperii Tiberii. Nam, juxta eos quos impugnamus, annus ille Philippi aut in 23 & ultimum Tiberii, aut in primum Caii Caligulæ successoris, incurrit: hoc est, in ipsum Flavii Iosephi natalem; quem proinde in his annis falli non potuisse, suprà dicebamus.

CAPUT DECIMUM-NONUM.

Refelluntur qui Herodem anno Iul. 44 *aut* 43, *seu, ante Æram Vul.* 2, *aut* 3, *vitâ functum contendunt.*

QUò propiùs à vero absunt hi duo anni, eò paucioribus impugnationibus patent; adeoque majori accuratione sunt examinandi.

Quædam argumenta suprà allata non habent hic locum.

Et quidem tres priores Hypotheses suprà, *cap.* 15; allatæ, non admodum magnam difficultatem solæ possunt creare horum annorum propugnatoribus. Nam anno Iul. 44 ineunte, completus erat annus 37 Regni Herodis ab Epochâ Romanâ, labebaturque annus 38: ab Epocha autem Hierosolymitana completus erat annus 34, fluebatque 35. Similiter anno Jul. 43 ante Pascha, labebatur annus Regni trigesimus septimus, & trigesimus quartus jam explicatus. Ætas quoque Herodis jam propè septuagenarii non incommodè potest his annis convenire: uti & præsentia Caii Cæsaris in controversiâ Romæ agitatâ inter Herodis filios pro successione in Regnum; ut patet *ex Hypothesi* 5, 6, 7. Denique neutri horum annorum satis apertè repugnat spatium temporis, quo (*juxta Hypothesim* 11) Philippus Tetrarchiam suam administravit; ob rationem de quâ infrà, *cap.* 30.

Argumentum ab Eclipsi Lunæ potentissimum.

Efficacissimè utrumque hunc annum excludit *Hypothesis* 4, de Lunari Eclipsi morti Herodis præviâ, quam neuter ullâ ratione repræsentare potest. Nam, ut patet ex dictis suprà, *cap.* 15, *ad illam Hypothesim* 4, à Paschate anni Jul. 42, ad Pascha anni Jul. 44, duæ tantùm contigerunt Lunæ Eclipses, quarum neutra Judææ habitatoribus fuit conspicua. Diceres providentiam divinam specialiter invigilâsse, ne Josephus singularem, & fallere nescium hunc characterem mortis Herodis, silentio transmitteret; quo tam apertè excludendi essent duo anni quos impugnamus; & de quibus majore veri specie controvertendum erat; ut verus mortis Herodis annus olim suo tempore ab accuratis indagatoribus deprehendi posset; & ex eo verus annus Natalis Christi. Quod autem in Eclogis Chronologicis Keppleri, *pag.* 110, ad annum Jul. 44, notetur Eclipsis Lunæ totalis, 9 Januarii (more Astronomico diem à meridie inchoando) constat esse Typothetæ mendum; & Eclipsim illam ad annum Jul. 45 pertinere; eamque esse Keppleri mentem, patet ex ejus *libro de Natali Christi*, *cap.* 9, *pag.* 83.

Gordium

Gordium hunc nodum cùm solvere nullo modo possint, qui pro anno Juliano seu 44, seu 43, decertant; scindere nituntur: sed frustra. In primis Langius anni 44 assertor, *lib. 2 de Annis Christi, cap. 18, pag. 351*, tueri se satagit oppositâ nobis Eclipsi, quæ anno Jul. 44, die 20 Januarii contigit, & quam notavimus suprà, *ad Hypothesim 4 cit.* Ultrò fatetur in Judæâ visam non fuisse; sed addit, *non dicere Iosephum Eclipsim eâ nocte in Judæa, aut Hyerosolymis visam fuisse (tunc enim superstitiosa plebs etiam hinc argumentum impietatis Herodis duxisset) sed tantum, Eclipsim eâ nocte contigisse: ubi verò visa sit, illud non indicare.* Langii responsio,

Hujus responsi vanitas, etiam me tacente, statim se prodit. *Primò* enim quis Historicorum sibi unquam tantum sumpsit otii, ut sollicitus esset de annotandis Lunaribus Eclipsibus, quæ totæ præficerentur, Lunâ adhuc valdè depressâ infra Horizontem Regionis, de quâ illi est sermo? Ecquid subesse potuit causæ cur Josephus hujus Eclipsis mentionem fecerit, si Palæstinis conspicua non fuerit? Profectò nullæ. At si visa dicatur in Palæstinâ; illico elucescit hujus observationis ratio: nimirum irati in Herodem cæli indicium ob combustos *eâ ipsâ nocte*, τῇ αὐτῇ νυκτὶ Sophistas, eorumque discipulos, patriarum Legum vindices. *Secundò*, *hinc* reipsâ *argumentum impietatis Herodis ductum fuisse*, satis apertè significat Josephus, dum commemorato illorum Zelotarum supplicio, ac Lunæ ostento, statim subdit: *Regi porrò morbus factus est gravior, pœnam impietatis exigente Numine, &c.* vide etiam de his Josephum, *lib. 1 de Bello, cap. ult.* *Tertiò*, cum ex Josepho habeamus, Sophistas eorumque complices fuisse Hierosolymis, ubi Aquilam auream deturbaverant, abductos Jerichuntem ad supplicium, idque, ut res ipsa satis indicat, vitandi tumultûs causâ; sitque omninò verosimile eos eamdem ob causam fuisse profundâ nocte exustos: sicut tunc nox erat Judææ respectu; ita & procul dubio erat, dum facta est Eclipsis. Atqui Langii Eclipsis & cœpta est pleno adhuc die apud Judææ incolas, & absoluta unâ horâ priùs, quàm Luna illis oriri posset. Ea igitur esse non potest de quâ agit Iosephus, in eamdem noctem compingens & Eclipsim hanc, & supplicium Sophistarum. rejicitur.

Ejusdem typi est, quod subdit Langius, Iosephum Eclipsim hanc desumpsisse ex Commentariis Nicolai Damasceni; hunc autem, ut refelleret vulgi opinionem de aggravato Herodis morbo post Sophistarum mortem, velut in pœnam à Numine inflictam, causam aliam ex ipsâ naturâ depromptam proposuisse; *Eclipsim nempe Lunæ eâdem nocte factam, quæ quidem non illic solum ubi visa est, sed etiam alibi, præsertim in vicinis locis, vires exserebat.* Addit, finem Eclipsis, quam nobis obtrudit, visum fuisse Arbelis, ferè per quadrantem horæ post Solis occasum; maximè adjuvante refractione Minutorum 33. Additamentum Langii,

Verùm quid necesse erat Nicolaum Damascenum (si quidem ex ejus scriptis id didicerit Iosephus, ac non potiùs ex aliorum Commentariis, aut etiam ex testibus oculatis) diu post Herodis mortem, Eclipsim à nemine in totâ Palestinâ observatam, longè accersere ad elevandam divinæ vindictæ opinionem; cùm in promptu essent patentissimæ aliæ ingravescentis mali causæ: videlicet Herodis senectus, mæror ex calamitatibus domesticis, ægritudo animi ex sui contemptu, quem in Sophistis eorumque discipulis observaverat, aliæque hujusmodi? An rejicitur.

non

non potiùs verendum ei erat ne, commemoratâ Eclipsi, de quâ nemo somniabat, Judæorum judicia de Deo vindictam exposcente confirmaret, &, ut ita dicam, tanquam sorex indicio suo periret? An tam putidam adulationem, & adeò ridiculum commentum dissimulasset Josephus in Nicolao, quem tam acriter simili ex causâ insectatur, *lib.* 16 *Antiq. cap.* 11? Præterea cuinam persuasisset Nicolaus Eclipsim illam tam longè ex Assyriâ petitam auxisse Herodis morbum: cùm semper fuerit, sitque hodie commune Genethliacorum pronuntiatum, Eclipsim nihil illis regionibus nocere, in quibus non videatur; ut post Cardanum, aliosque docet Origanus, *Tomo* 1 *Ephemeridum*, *Parte* 3, *pag.* 463 *& seq.* quidquid interim sit de *Genituris*? An non est & alterum Genethliacorum placitum, Eclipseos effectus ad ea maximè loca se porrigere, quæ subjiciuntur Signo Zodiaci, in quo fit Eclipsis? At qui Iudæa nunquam credita est subjecta Signo Cancri, in quo Luna passa est deliquium, de quo disputamus; sed Signo Arietis: ut patet tum ex Ptolemæo, *lib.* 2 *Quadripartiti*, *cap.* 3; tum ex aliis passim Astrologis. Frustra igitur Eclipsim hanc Iudæis obtrusisset Nicolaus. Ad hæc, quamvis Langio largiremur, etiam in vicinis locis, quibus conspicua non est, vires suas exerere; poteritne Iudæa censeri esse Arbelis vicina, quæ totis 250 leucis horariis inde distat? An non solent Sacræ Litteræ de Assyriis loqui, tamquam à Iudæâ remotissimis? Sed quàm lepidum illud est, quod ut Eclipsim illam Arbelis conspicuam faciat Langius, refractiones in subsidium advocet, extremumque Lunæ ex umbrâ emergentis marginem? Equidem valde lynceos esse oportet eos, qui ipsum desinentis Eclipsis finem observare possint, maximè juxta horizontem. Atque hæc contra Langium dicta sufficiant.

Responsio Deckerii & Bucherii,

Aliter hanc *Hypothesim* 4 eludere tentant patroni Anni Juliani 43, Deckerius *in Eclogis Chron. Keppleri*, *pag.* 142, & Bucherius, *lib.* 2 *Belgii*, *cap.* 6, *sect.* 4, *n.* 33, *& seqq.* Horum posterior, postquàm in omnem partem se vertit, nunc elevando fidem Tabularum Astronomicarum nostrâ demum ætate, & post tot sæcula à morte Herodis conditarum; nunc dubium movendo, an Pleni-Lunium quod Anno 43 Iuliano, die 1 Martii (Astronomico, secundo civili) contigit, non fuerit Eclipticum, eò quòd juxta motus medios (fatente ipso Kepplero), Luna fuerit intra terminos Eclipticos; nunc exaggerando connexionem Historiæ Græcæ ac Latinæ cum opinione suâ mortem Herodis conferente in annum Iul. 43: tandem relabitur in solutionem Deckerii, censentis Eclipsim, de qua *Hypothesi* 4, veram non fuisse; sed obscurationem quamdam Lunæ ex nubium interpositione ortam; quæ aliàs etiam antiquioribus Historicis subinde imposuerit, prout fatentur ipsi celebres Mathematici.

qui hic Josephum deserunt, quo præcipuè nituntur.

Ut ab hac postrema solutione ordiar, mirari satis non possum doctos hosce viros, qui suæ de Christi Natali opinionis proram & puppim fabricant ex Josephi pronuntiatis, tam subitò, tam nullâ necessariâ causâ adactos, certissimum omnium à Josepho assignatorum characterem aut rejicere, aut alio violentè torquere. An non hoc est latam januam pandere convellendæ penitùs authoritati Josephi, qui, si pro libitu dicatur hac in parte hallucinatus, aut hallucinantes temerè secutus; quid erit in potissimis ejus pronuntiatis immune à suspicione erroris? Quantò potior est eorum causa, qui, ut nullum Josephi effatum ad Herodianam Chrono-

Chronologiam spectans repudiant; ita illud de Eclipsi Lunæ inter præcipua criteria numerant, & firmissimo nexu cum cæteris cohærere demonstrant; prout sequentibus capitibus sumus demonstraturi?

Incautiores Historicos subinde caliginem aliquam à nubibus aut vaporibus inductam, Eclipsim seu Solis, seu Lunæ, interpretatos esse, non nego: sed id aliis veris Eclipsibus si fraudi esse sinatur; tollitur è medio firmissimum totius Chronologiæ fundamentum. Tentanda priùs sunt omnia; quo facto, si patens & palpabilis necessitas cogat ad illud asylum confugere, fiat sanè me volente. At ubi nihil cogit, imò dum è contrario pulcherrimè cum verâ Eclipsi connexa sunt reliqua ad rem facientia, ut hîc contingit; quis non meritò stomachetur, si negatâ Eclipsi, ad nubes & vapores provocetur? Prudentis Chronologi est Chronologiam suam gravium Scriptorum dictis, quantum fieri potest, aptare; non hæc suæ Chronologiæ. Quoad Eclipses, non temerè provocandum ad nubes.

Tabularum Astronomicarum fidem soli illi elevant, qui earum constructionem & usum ignorant. Neque verò necesse est (ut credit Bucherius) confugere ad Tabulas totis ferè bis mille annis post Herodis tempora constructas. In promptu enim sunt Ptolemaicæ, non toto post Herodis mortem sesqui sæculo elaboratæ, & præcedentibus aliquot sæculis congruentes; ut ex observationibus Eclipsium tunc factis constat, dum ad illas fides Ptolemaicarum Tabularum exploratur. Eademque est ratio de recentibus præcipuorum Astronomorum Tabulis deductis ex antiquissimis observationibus Eclipsium, quas quotidiana experientia probat ita Veterum calculis & observationibus respondere; ut nullum sit notabile discrimen. Panicus itaque est terror ille, qui hujusmodi vellicationibus incutitur talium rerum imperitis, & à peritis meritò ridetur. Tabularum Astronomicarum fides vendicata.

Nihilo plus roboris apud intelligentes habet, quòd Luna in oppositione mediâ fuerit intra terminos Eclipticos; indéque oriri suspicionem Eclipsis. Qui enim vel primis Astronomiæ elementis tincti sunt, norunt terminos illos eo dumtaxat fine ab Astronomis esse definitos; ne inutili labore fatigentur, dum Eclipses venantur. Leviore siquidem calculo erutis motibus mediis, si reperiant Lunam extra illos limites evagari; certò pronuntiant nullam fore Lunæ defectionem. Si verò limitibus illis conclusam advertant; tum subest ratio dubitandi an Plenilunium sit futurum Eclipticum. Etsi enim eo casu plerumque sequatur Eclipsis; subindè tamen nulla omninò sequitur. Tollitur autem omnis dubitatio adhibitis ex arte accuratioribus calculis, ex quibus emergit vera Luminarium oppositio, Diameter Umbræ terræ, ac Lunæ, & hujus Latitudo; ex quibus certò pronuntiat Astronomus sit nécne secutura Eclipsis, quanta, & quàm diuturna. Hoc artificio expendatur Plenilunium, de quo est quæstio, ad Tabulas seu Ptolemaicas, seu alias quasvis bonæ notæ; móxque planum fiet suspicionem Eclipsis ortam ex primâ ac leviore supputatione mediorum dumtaxat motuum, statim dissipari accedente verorum motuum calculo accuratiore. Ex Lunæ situ intra terminos Eclipticos juxta motus medios, non infertur semper Eclipsis.

Sed indiscussum abire non debet dilemma, quod torquet Bucherius, *loco cit. num.* 35; ne fortè imperito alicui sit fraudi: *Si* (Nicolaus Damascenus, aut alius, ex cujus scriptis Iosephus hanc Eclipsim desumpsit) *ex Tabulis suis eam pronuntiarit, faciliùs & audaciùs quàm Kepplerus, primâ istâ suspicione* (quam utique Bucherii dilemma.

 movet

movet primus calculus motuum mediorum) *asseruerit* (*quis enim credat eum suprà Kepplerum sapuisse*) *ut Herodis mortem illo cæli signo illustriorem redderet. Tanto etiam magis, quo illam in regionibus Judeâ Orientalioribus certò visam, à Judæis inde Hyerosolymam ad Pascha tunc venientibus intellexerit. Nam eam illic contigisse certum est. Si verò oculis usurpasse se dixerit; pronum est cum Christmanno, in Alfraganum, responsum; nomen Eclipsis non propriè semper sumi, &c.* Ita Bucherius.

Eclipsis à Bucherio allata, nulla.

Quæ inter bina illa dilemmatis hujus cornua sit oppositio, & quàm aptè singula membra cum antecedentibus cohæreant, nolo hîc curiosiùs discutere. Quod attinet ad Eclipsim impropriè dictam, ortam ex vaporum interpositione, jam antea respondi. Illud quæro, undenam certum sit Eclipsim, de quâ litem movet Bucherius, *in Regionibus Judeâ Orientalioribus contigisse, & illic à Judæis certò visam?* Id utique ex Tabulis Astronomicis, propriaque supputatione non habuit Bucherius; qui nullam unquam Astronomiæ operam dedit. Sed neque ex Kepplero aliòve perito id habere potuit; cùm Kepplerus disertissimè neget tunc ullam Eclipsim fuisse: idemque haud dubiè dicturus sit, quisquis Astronomiam vel à limine salutârit. Unde igitur tanta asseveratio? Nimirum Langium legerat Bucherius; & quod ipse de Eclipsi Anni Jul. 44 jam rejectâ dixerat; hic sibi de suâ prætensâ Eclipsi Anni 43 affirmare se posse existimavit. Atqui die illo Martii primo Astronomico, secundo civili, non tantùm certum non est contigisse Eclipsim ad Orientem Judææ habitantibus conspicuam; sed è contrario certissimum est nullam omninò toto Orbe contigisse, aut videri potuisse, seu die illo, seu totis ferè sex mensibus antè: eam autem, quæ die quinto Septembris anni Juliani 42 contigit, nonnisi remotissimis, & ultra Persas & Parthos sitis regionibus videri potuisse cùm desineret. Plus etiam dico: si Plenilunium illud quod urget Bucherius, Eclipticum fuisset; tantùm abest ut Hierosolymam fuerit nuntiandum à Judæis Orientalioribus; ut potiùs ab Occidentalioribus fuerit nuntiandum, si nuntiari debuisset. Vera enim Luminarium oppositio contigit horâ ferè quintâ matutinâ respectu Hierosolymæ, cùm jam Luna ad Occasum properaret. Verùm nullâ omninò fuisset denuntiatione opus; cùm, ut hinc patet, fuerit futura Hierosolymis conspicua, si qua fuisset Eclipsis: nullam autem fuisse, omninò constat, ut jam dicebamus.

Desumpta ex Langio, & malè aptata.

Si fuisset ea Eclipsis non in Oriente, sed in Occidente visa fuisset.

Non conficta Eclipsis, ad illustrandam mortem Herodis.

Quàm parùm credibile sit Eclipsim illam (si qua fuisse concederetur) à Nicolao Damasceno, aut alio quopiam in Commentarios relatam, ut Herodis mortem illo cœli signo redderet illustriorem; nemo non videt. Si enim hoc sibi proponebat Scriptor ille; cur adjecit, Eclipsim illam *eâ ipsâ nocte* contigisse, quâ Sophistæ cum suis discipulis combusti sunt, & exinde morbum Herodis graviorem factum; imò eò usque crevisse, ut is seipsum interimere tentârit? Quis non crederet potiùs Eclipsim hisce peristasibus comitatam irati Numinis manifestum indicium esse; quàm ostentum illustrandæ Herodis morti idoneum? Hactenus de celebri illa Eclipsi, quæ quàm torqueat Adversarios, satis superque ex jam dictis patet.

Argumentum à deci-

Molestiam quoque illis aliquam creat *Hypothesis* 8, de relegato Archelao anno sui Principatûs decimo labente, incurrente in annum Jul. 51, Vulgarem 6, à Dione

Dione signatum. Nam in sententia Langii, hic annus est tantùm annus Archelai octavus labens; in sententia Deckerii & Bucherii, nonus: unde etiam fit, ut hi duo posteriores, relegationem Archelai rejiciant in annum Æræ Vulg. 7; Dionem verò explicent de accusatione Archelai, institutâ apud Augustum anno 6: cùm tamen Dio utramque ad annum hunc 6 referat. Langius autem insuper habitis duobus Josephi locis posteriorum suorum Operum, quibus annum Archelai decimum disertè adstruit; unicum ex Opere priore de Bello locum probans, quo novem dumtaxat annos Archelao tribuit; ejus abdicationem in eumdem annum 7 Vulgarem similiter conjicit, accusationem in sextum. Quæ verborum Dionis explicatio minùs commoda videtur; præsertim cùm Herodis morte affixâ anno Jul. 42, prout exigit Eclipsis de qua suprà, & tam accusatione, quàm relegatione Archelai anno Jul. 51, Vulg. 6, pulcherrimè inter se consentiant Josephus & Dio. mo anno Archelai.

Langium quoque, aliosque mortem Herodis anno Jul. 44 addicentes, premit *Hypothesis decima sexta conjuncta*, de detectis eo anno Juliæ adulteriis, ac urbe Juliade in ejus honorem à Philippo Tetrarchâ conditâ. Quis enim credat Philippum tum maximè Juliam tanto hoc honore dignatum fuisse, cùm ipse ejus parens Augustus modis omnibus illam dehonestabat; Caius autem filius suscepto honorario exilio fugiebat? Urgetur Langius ex adulteriis Juliæ detectis.

Respondet Langius, *lib. 2 de Annis Christi, cap. 18, pag. 350, Philippum, qui statim post Pentecosten anni* (Juliani) 44, *in Judæam reversus fuerat* (post suam & fratrum contentionem coram Augusto Romæ absolutam) *in honorem Juliæ* (*quæ adhuc florebat*) *civitatem condidisse; auditoq; Juliæ infortunio anno 45 ineunte, nomen Urbis mutare non ausum esse, ne illius fortunæ insultare videretur, cujus filius* (Caius) *in Syria potens esset.* Langii responsio.

Enimverò in rebus implexissimis properè conficiendis admodum expeditum esse oportuit Langium, qui Philippum transactâ solemnitate Paschali Romam è Palæstinâ profectum (ut ipse, sed falsò existimavit) illicò Romæ sistat, & operosissimis disceptationibus de successione in Regnum (quas Egesippus *lib. 2 Excidii, cap.* 1 diuturnas fuisse testatur, alii ad unum annum extendunt) momento ibidem absolutis, statim à proximâ Pentecoste sistat in Palæstina reducem; integrasque Civitates intra pauciores dies ædificet, quàm ad honorificentiorem aliquam domum construendam requirerentur. Quid quod Archelaus è Palæstina Romam aliquamdiu post Pascha proficiscens, Regni paterni & familiæ suæ curam commiserit Philippo; qui nonnisi aliquo post fratris sui profectionem tempore, Vari Syriæ Præsidis hortatu, Romam & ipse adierit; ut constat ex Josepho, *l. 2 Antiq. cap.* 11, *& lib. 2 de Bello, cap.* 1 *&* 4? An non idem scribit, *l.* 17 *cit. cap.* 12, *& l. 2 cit. cap.* 2, antequàm Augustus quicquam Romæ statueret de Regni Herodiani successore, varios à Judæis concitatos fuisse tumultus, auctos ipso Festo Pentecostes, & consecutis deinceps diebus, & variis è Syria litteris Romam nuntiatos, ac nominatim à Varo; qui nonnisi unius saltem (quantum legenti apparet) ne dicam alterius mensis spatio, reprimi potuerunt? Quomodo igitur Philippus, de quo in illorum tumultuum narratione nulla prorsus fit mentio, Româ in suam Tetrarchiam rediisse potuit *statim post Pentecosten anni* Refellitur.

44 *Juliani?* An non potiùs ftatuet quilibet æquus rerum æftimator eum ante Septembrem ejufdem anni (fi quidem anno illo vitâ functus effet Herodes) commodè Româ difcedere non potuiffe: hoc eft, ante illud ipfum tempus, quo Juliæ dedecora jam eruperant, aut propè diem erant eruptura? An non Philippus (tefte Jofepho, *lib.* 18 *Antiq. cap.* 3) mox ubi Româ reverfus eft, primùm *Tetrarchiæ fuæ res ordinavit & compofuit* (quod utique paucis diebus perfici non potuit) deinde Urbem *Panæada fitam ad Jordanis fontes inftruxit ædificiis, indito Cæfareæ nomine*; ac denique *vico Bethfaida, in ripa Lacûs Genefarethini, Urbis fpeciem addidit, frequentato incolis, & aucto opibus, quem Juliæ Cæfaris filiæ cognominem effe voluit?* Potueritne Philippus hoc poftremum perficere, imò inchoare ante Ver anni infequentis, quo jam toti Orbi innotuerant & Juliæ probra, & fumma Augufti in eam odia, quæ non paterentur Juliam hoc honore adeò intempeftivo in gratiam parentis affici? Manet igitur allato nunc argumento fuum robur; quo licèt non tantoperè conftringantur patroni anni Juliani 43; eatenus tamen conftringuntur, quatenus non fatis vero-fimile videtur, tantis moliminibus unicam æftatem anni Jul. 44 potuiffe fufficere. Quod fi admittitur; redit tota ratiocinatio jam contra Langium inftituta.

CAPUT VIGESIMUM.

Probatur Herodem vitâ exceffiffe Anno Jul. 42, ante Æram Vulg. 4, applicatione trium priorum Hypothefeon Capitis 15, refpondeturq; duabus Adverfariorum objectionibus.

Omnes Hypothefes fuprà allatæ foli huic anno con. veniunt.

PErvenimus tandem ad annum Herodi fatalem, quem nullo folidiore modo ftabilire poffumus, quàm omnium ac fingularum Hypothefium fuprà allatarum applicatione. Cùm enim jam per aliquot capita planum fecerimus eas omnes nulli anno, qui Juliano 42 pofterior fit, quadrare poffe; de præcedentibus autem excludendis inter omnes conveniat; confequens erit, unicum hunc annum fupereffe, cui ex vero tribui poffit mors Herodis (adeoque Chriftum non feriùs, quàm anno Jul. 41 nafci potuiffe) fi demonftremus omnia criteria Hypothefibus illis expreffa ei ad amuffim convenire. Initium fumo à tribus primis ita inter fe connexis, ut commodè à fe invicem feparari nequeant.

Ei aptantur duæ primæ Hypothefes

Ex *prima & fecunda Hypothefi* habemus binas Herodiani Regni Epochas, alteram fixam in anno Juliano 6, à qua Jofephus annos computat 37; alteram in anno 9, à qua numerat annos 34, *juxta Hypothefim* 3. Et verò fi annos extremos, quantumvis incompletos, fumpferis ut completos (more, ut mox oftendam, apud antiquos Scriptores facros ac profanos, ipfumque Jofephum receptiffimo) totidem numerantur anni ab utroque limite ad annum 42 labentem, cui etiam optimè congruunt anni ferè feptuaginta vitæ Herodis, de quibus *Hypothefi* 3 *citatâ*.

Bucherii objectio prior,

Acriter adverfum nos hîc infurgunt Recentiores non pauci, omnium autem acerrimè Bucherius, *lib.* 2 *Belgii Romani cap.* 6, *Sect.* 3, Urget autem *in primis*, quòd Jofephus in textu Græco, numeris cardinalibus utatur, dicatque Herodem

dem *annos* 37, *&* 34 *regnasse*; non autem *anno trigesimo-septimo*, *& trigesimo-quarto* Regni decessisse. Priore loquendi modo contendit significari annos plenos, non item posteriore.

Secundò, ut arctiùs nodum hunc stringat, sumit (quod probâsse se putat, *sectione* 1 *ejusdem capitis*; nos autem infrà, *cap.* 21 *&* 22 refellemus) Herodem Romæ creatum Regem circa diem 18 vel 19 Decembris anni Jul. 6. Hinc ad ejus mortem, quæ, juxta nostram Chronologiam contigit ante Pascha anni 42, fluxerunt *anni tantùm* 35, *mensesq. tres*: à posteriore autem Epochâ depulsi Antigoni, tantùm *anni* 32, *& menses novem*. *Quot*, inquit, *quis in* 37 *&* 34 *absolutè supputatos rationabiliter extenderit?* Objectio posterior.

Prior objectio evidenter retorquetur in ipsummet ejus auctorem, qui, juxta suas hypotheses, non plures Herodis regnantis annos reperire potest, quàm 36 & menses tres à priore Epochâ; & 33 cum novem mensibus à posteriore. Non est igitur cur cogamur dicere, numeros cardinales significare *annos plenos*; sed eos tamquam ordinales sumere nobis licebit. Deinde, etiam eo secluso, nihil in populari sermone tritius, quàm ut quis dicatur natus annos triginta quatuor, vel triginta septem v. g. qui trigesimum quartum vel trigesimum septimum ætatis annum agit: diebus tredecim Romæ fuisse, qui decimo-tertio, ex quo illuc appulit, die discessit: sex diebus febri laborasse, qui v. g. primo die Martii, vesperi laborare cœpit, & sexto ejusdem mensis manè liberatus fuit. Conformiter huic locutioni vulgari S. Hieronymus, *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 88, dicit Sanctum Antonium *vixisse annos centum & quinque*; quem *in Chronico*, *ad annum* 19 *Constantii*, scribit, *centesimo & quinto ætatis anno mortuum*: & ita de innumeris aliis alii Scriptores. Quid quod quartanæ paroxismus post quatuor dies vulgò dicitur recurrere, qui quarto demum die redit supputatis extremis, quacumque horâ cœperit tam prior, quàm posterior paroxismus? An non similiter dicitur Christus post tres dies resurrexisse, qui feriâ sextâ mortuus, Dominicâ proximè sequente vix inchoatâ resurrexit? Sed de his plura infrà, *cap.* 24, *& seq.* vide Scaligerum, *lib.* 5 *de Emend. Temp. pag.* 423, ubi sic habet: *Sapè sibi & lectoribus imponunt Scriptores, cùm vigesimum septimum annum, vocant viginti septem annos.* Item, *ibidem*, *in Addendis*, *pag.* 747, ubi testatur hujusmodi locutionem apud Josephum, Plutarchum, Turonensem & alios veteres frequenter occurrere. Nihil igitur nostræ sententiæ officere debet priùs illud ei à Bucherio objectum. Retorsio prioris Objectionis. Ejusdem solutio.

Secundam Objectionem totis viribus ab ipso urgeri, non poterit satis mirari, qui legerit ejus Commentarium in Canonem Paschalem Victorii, *cap.* 13, *pag.* 226. Ibi enim agens de Christi Baptismo in annum 15 Tiberii, Julianum 73, Vulgarem 28, diemque Januarii sextum collato, postquam docuit annum illum 15 Tiberii (à morte Augusti supputatum) occupare partes duorum annorum Julianorum, nempe posteriorem anni Juliani 73, Vulgaris 28, & priorem anni Juliani 74, Vulgaris 29; & hinc natam dubitationem ad quem è duobus illis annis Baptismum Christi, & decimum quintum Tiberii, Evangelista Lucas retulerit, esseque DIVERSOS PATRES pro utroque anno (quod infrà, *Quæstione* 2 examinabimus) item quintum-decimum annum Tiberii, modo Posterior objectio ab ipsomet Bucherio solvitur.

jam dicto numeratum, nullum alium habuisse Januarium (cujus Mensis die sexto Baptizatum fuisse Christum, communior & verior sententia sit) quàm Anni Juliani 74; tandem subdit: *Sed cùm non constet de integrisne, an nascentibus à supputatione aliquâ communi ac politicâ* (v. g. Romanâ à Kalendis Januariis, Antiochenâ ab Autumno initium ducente) *annis, id Lucas* (utique Antiochenus) *intelligat; & ipse* ἀκριβολογῶν? *aut à Kalendis Januariis ritu Romanorum, aut Antiochenorum ab Autumno, particularem hunc Tiberii annum advocare potuerit, MORE SCRIPTORUM PLURIUM, qui privatos* (alicujus Imperatoris, Regis, &c) *annos aliquo communis anni* (v.g. Romani, Antiocheni) *mense cæptos, ab ipso communioris* (v.g. Romani, aut Antiocheni anni) *non privati* (v. g. Tiberiani, ab Augusti morte inchoati) *capite SOLENT accersere: hinc fit, ut etiam Januario anni Juliani 73* (Vulgaris 28) *Christi Baptismum PROBABILITER adscribere possimus. Quod utique Victorio nostro PLANE concedendum existimo &c. Idem quoque Prospero CÆTERISQVE PATRIBVS indulgendum, qui aut Christi Passionem Martio, aut Baptismum Januario anni Juliani 73, seu Tiberiani decimi-quinti, consignant:* hoc est (ut patebit ex dicendis infrà, *Quæst.* 2, *cap.* 2) Clementi Alexandrino, Tertulliano, Eusebio, Hieronymo, Chrysostomo, Lactantio, Severo Sulpitio, Cassiodoro, Authori Chronici Alexandrini, Hippolyto Thebano; ut interim omittam alios inferioris notæ Scriptores, qui omnes Baptismum Christi anno illi 73 incunti tribuunt. Vide & quæ dicturi sumus *Quæstione* 3, *cap.* 3, de horum nonnullis Passionem Christi consignantibus anno 15 Tiberii.

Prolepses annorum à Bucherio propugnatæ ex Lucâ, ac Patribus, aliisque Scriptoribus.

Ex jam allatis Bucherii verbis habemus, *morem* annos per prolepsin arcessendi ab initio anni alicujus Civilis, omissâ putatione à momento ad momentum, esse plurium Scriptorum, usurparique *à Patribus* suprà recensitis. *Secundò*, annum Tiberii 15, *probabiliter* à Lucâ, adeoque & ab ipso Spiritu Sancto, advocari vel à Kalendis Januariis anni Juliani 73, si annum Romanum attenderit Lucas; vel ab Octobri anni Jul. 72, si ad annum Antiochenum respexerit; idque privilegio prolepseos passim receptæ, & in eo fundatæ, quòd *annus* 15 Tiberii *privatus, in aliquo communioris illius anni* (seu Romani, seu Antiocheni) *mense cæptus fuerit. Tertiò*, hinc evidentissimè conficitur annum primum Imperii Tiberii, à Lucâ, ipsoque Spiritu Sancto, *probabiliter* inchoari vel à Calendis Januarii anni Juliani 59, quo Augustus obiit die 19 Mensis sibi cognominis; vel ab Octobri præcedentis anni Iuliani 58; ut interim omittam *Victorium, Prosperum, cæterósque Patres*, quibus id *planè concedendum & indulgendum existimat* Bucherius. *Quartò*, si à jam dictis Calendis Januariis accersatur primus annus Imperii Tiberii; manifestè admittitur prolepsis septem mensium & dierum 19; & menses dumtaxat quatuor cum diebus 12 aut 13, in unum annum, per Synecdochen imputantur. Si autem primum illum annum Tiberii advocaverit Lucas à suorum Antiochenorum capite anni Civilis, seu, ut jam dicebamus, ab Octobri anni Iuliani 58, Dionysiani 13; admittitur prolepsis decem mensium, & dierum 19: & consequenter dies universim 42, aut 43, per Synecdochen, pro uno anno computantur. *Quintò*; sequitur Tiberium die sexto Ianuarii Iuliani 73 (quo Christus Baptizatus fuisse hîc supponitur) quamvis *annos privatos* (à

Explanatio jam dictorum,

morte

morte Augusti supputatos) tantum tredecim, menses quatuor, dies 18 imperasset; nihilominus *more Scriptorum plurium*, certò à variis *Patribus*, &c, *probabiliter* à *Lucâ*, ipsoque Spiritu Sancto, rectè dici, tunc egisse annum Imperii decimumquintum, juxta geminam annos supputandi rationem jam explicatam, nixam prolepsi & Synecdoche suprà dictis.

Hæc omnia si annis Herodis applicemus, statim fiet evidentissimum, quàm nihil causæ fuerit, cur adeò in sententiam nostram insurgeret Adversarius. Ac *primùm*, cùm Herodis, à Regio fastigio Romæ adepto, *anni privati in aliquo anni communioris* (v.g. Iuliani sexti, aut ei correspondentis Iudaici in Vere inchoati) *mense cœpti* fuerint, meritò (juxta antè dicta, ac postea magis explicanda) potuerit Josephus, per prolepsin & Synecdochen sanctis *Patribus*, imò *probabiliter* Evangelistæ Lucæ, ipsique adeò Spiritui Sancto probatam, & *more Scriptorum plurium*, advocare annos Herodis absolutè vel à Kalendis Ianuariis anni Juliani sexti, tamquam capite anni politici Romani; vel à Nisan ineunte cum Vere ejusdem anni, tamquam capite anni Iudaici. Similiter cùm Herodis *anni privati* à depulso Antigono, cœpti sint anni Iuliani noni æstate; potuerit Iosephus annos Herodis secundæ ejus Epochæ arcessere vel à Kalendis Ianuariis illius anni; vel à Nisan, ineunte Vere ejusdem. *Secundò*, hinc apertè sequitur, annum primum Herodis, juxta hanc supputandi rationem, terminari vel, more Romano, cum Decembri anni Iuliani 6; vel, more Iudaico, ineunte Vere anni insequentis, quoad priorem Epocham Herodianam: at quoad posteriorem, cum Decembri anni Iuliani 9, vel ineunte Vere anni 10. *Tertiò*, ulteriùs sequitur, annum 37 Herodis à priore Epochâ, & annum 34 à posteriore, sumptum ut suprà, inchoatum esse vel ineunte Ianuario anni Iuliani 42, vel ineunte Iudaico Nisan cum Vere ejusdem anni. *Quartò*, potuisse rectissimè à Iosepho dici, Herodem vitâ functum anno trigesimo-septimo regni sui à priore Epochâ, trigesimo-quarto à posteriore; aut etiam, ut sonat textus Græcus, cùm regnasset *annis triginta septem*, & *triginta quatuor* (quandoquidem jam ostenderimus numeros cardinales sæpè cum ordinalibus confundi) idque sive obierit Herodes mense Februario anni illius 42 Iuliani, sive Martio exeunte; de quo infrà. *cap.* 29. Alia, quæ contra secundam hanc Objectionem possent hîc dici, commodiùs proferentur infrà, *cap.* 24, *& seqq.*

Eorum applicatio ad annos Regni Herodis.

CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

Pleniùs ex Historiâ Iudaicâ solvitur Objectio secunda Capitis præcedentis.

NEque est quod quemquam feriat prætensa paucitas dierum circiter 12, vel 13, quos ex anno Juliano sexto superfuisse contendit Bucherius, asserens, & operosè probare satagens, Herodem Romæ declaratum fuisse Regem circa diem 18, vel 19 Decembris illius anni. Nam totus ejus discursus nititur fundamentis, quæ nullo negotio everti possunt.

Ratiocinatio Bucherii parùm firma.

In

nititur vitiosâ interpretatione Josephi. In primis enim, quod ait Herodem hyeme solvisse ex Ægypto, ut ad Antonium, in quo præcipuas spes suas collocarat, proficisceretur; nititur vitiosâ versione verborum Josephi, quæ multis errandi occasionem dedit.

Calvisii & Keppleri opinio de tempore quo Herodes solvit ex Ægypto. Opinio Tornielli; ambæ refelluntur. Ex his Calvisius; *ad Annum Mundi* 3910, Torniellus, *ad Annum* 4014. Kepplerus, *in Eclog. Chronol. pag.* 41, *& lib. de Natali Christi, cap.* 8, censent Herodem Alexandriâ discessisse eâ parte hyemis, quæ primos anni sexti Iuliani menses occupavit; additque Kepplerus Herodem factum Regem primo quadrante, seu intra tres primos illius anni menses; Torniellus autem sub ejusdem anni Solstitium æstivum. Sed hi omnes clarissimè revincuntur ex Josepho, qui *lib.* 14 *Antiq. cap.* 24 *&* 25, *& lib.* 1 *de Bello, cap.* 11, apertè asserit Herodem eo anno Hierosolymis egisse diem Pentecostes (tunc incidentis in diem circiter tertium Iunii) aliquamdiu ibi postea hæsisse, ac deinde familiam ex Urbe in Castrum Massadam eduxisse cum validâ suorum manu; sub hæc vicinissimos Arabiæ fines adiisse, ab hac exclusum statim petiisse Ægyptum, exindeque Rhodum. Hîc aliquamdiu hæsisse, dum triremim instruit; hac instructâ tetendisse Brundusium: cumque istic Antonium (uti sperabat) non reperisset, Romam perrexisse. Cum his stare non posse opiniones jam recensitas, per se evidens est, fietque evidentius ex dicendis *capite proximè sequente.*

Opinio Saliani, Salianus, cùm illud de Pentecoste Hierosolymis actâ & de Antonio Brundusii quæsito, videret non posse conciliari cum profectione ex Ægypto susceptâ per hyemem seu ineuntis, seu exeuntis anni sexti Juliani; damnato (ut solet) Iosepho, quem hyemi favere credebat, censuit Herodem Alexandriâ Romam abiisse

improbatur. sub Autumnum: quod etsi minùs recedat à vero; verum tamen esse non posse, satis patebit ex mox dicendis.

Langii opinio, Langius, *lib.* 2 *de Annis Christi, cap.* 18, *pag.* 341, sumptâ laxiùs *hyeme*, prout etiam Autumnum complectitur, vult Herodem ex Ægypto solvisse Mense Marchesuan, post Iejunium (quod Anno Iuliano 6, ineunte Novembri celebratum est) & exeunte Marchesuan (sub 25 diem ejusdem Novembris) pervenisse Rhodum; indeque, triremi ædificatâ, Romam abiisse ineunte Mense Thebeth, qui eo anno fluere cœpit à die circiter 24 Decembris. Sed ex hoc postremo manifestè patet Herodem non potuisse Romam pervenire, ibique Regiam

rejicitur. dignitatem obtinere ante exitum anni sexti Iuliani; quod tamen necesse est dicere cum Iosepho asserente creatum Regem Calvino & Pollione Coss: adeoque apertè fallitur Langius, & cum seipso pugnat.

Bucherii opinio, Bucherius, horum errore deprehenso, nonnihil cautior, ita postremam anni Iuliani sexti partem assignat profectioni Herodis ex Ægypto; ut, quamvis aliàs hujusmodi minutiarum sectator sit, de die nihil definiat. Hoc tamen sedulò agit, ut pacem Brundusinam inter Antonium & Cæsarem, indeque pendentem diem

Quo cõsilio excogitata. collatæ Herodi dignitatis Regiæ, quàm potest maximè versus anni exitum protrudat: eo nimirum consilio, ut annus ille Julianus sextus in numerum Annorum Regni Herodis venire non possit; quod ut evincat, nullum non movet lapidem: sed, ut mox ostendam, frustra.

Origo diversitatis opinionum. Has opiniones invexit homonymia vocis χειμὼν, quæ cùm & *hybernum tempus*, & *tempestatem* significet (quæ æquivocatio etiam apud Latinos inest ipsi voci

Hyems

Hyems, ut, omissis aliis, docet Servius, in illud primi Æneidos, *Vicit hyems*, & in illud, *Emissamq́ hyemem*) priore significatione à plerisque accepta est, cùm posteriore deberet accipi, dum de Herodis ex Ægypto discessu agit Josephus, *lib.* 14 *Antiq. c.* 25, *& lib.* 1 *de Bello*, *c.* 11. Non ægrè, opinor, id fatebitur, quisquis paulò accuratiùs res ab Herode in Oriente post Pentecosten (quæ eo anno in diem circiter 6 Junii incurrit) gestas expenderit. Deprehendet siquidem eas sat parùm temporis exigere; facileque concedet Herodem vertente Junio fugisse Hierosolymis, ac Massadam, quò properabat, pervenisse. Inde cùm vicinissimæ Arabiæ dumtaxat fines adierit, & statim, exclusus ab Arabum Rege, iter Alexandriam versus accelerârit; nullo negotio illuc pervenerit ante medium mensem Julium. Post brevem istic moram, quia variis nominibus festinare cogebatur, spretâ Cleopatræ invitatione, & aurâ tunc procellosâ; navim conscenderit, & Rhodum, quamvis facto in adjacente mari naufragio, facillimè pertigerit exeunte Julio, vel Augusto ineunte. Demus totum hunc mensem instruendæ novæ triremi, & aliis, quæ narrat Josephus, perficiendis Rhodi: commodissimè inde discesserit circa Nonas Septembris Brundusium versus (quod ab Antonio obsideri jam intellexerat) & istuc citra difficultatem pervenerit circa initium Octobris. Quum verò Antonius, pace jam cum Cæsare initâ, Romam unà profectus esset, illuc Herodes patronum suum præcipuum secutus, convenire illum potuerit vixdum eò appulsum; mox que intra *septem dies* (ut observat Josephus, *lib.* 14 *Antiq. cap.* 26) insperatâ Regiâ dignitate, annitentibus Antonio & Cæsare, à Senatu auctus, properè ex Italiâ in Palæstinam reversus fuerit; ut quàm citissimè familiæ suæ intra Massadam obsessæ opem ferret, & ante acriorem hyemem patrium littus teneret, medio circiter Novembri. Quòd autem solidum dumtaxat mensem unum navigationi Herodis ex Italiâ in Palæstinam concedere possimus; locupletem vadem habemus Palladium, *cap.* 103, ubi narrat Melaniam Cæsareâ Romam venisse intra viginti dies. Vide insuper Plinium, *in Proœmio libri* 19, ubi quosdam refert, qui ex Italiâ in Ægyptum pervenêre intra sex, septem, aut novem dies.

Iter Herodis Hierosolymis in Ægyptum, & inde Romam distributum in sua tempora.

Totam hanc Chronotaxin planè confirmat, tum generatim Historiæ Romanæ consensus, de quâ mox; tum speciatim, quoad tempus fugæ Herodis ex Urbe Hierosolymitanâ; quòd Herodes noctu cum suâ familiâ numerosisque copiis discesserit (teste Josepho, *lib.* 14, *cap.* 25) quod nonnisi æstate commodè fieri posse planum est; tum quòd Massadæ obsessi, præ aquæ inopiâ (quâ utique per hyemem non facilè laborâssent) ad extrema redacti sint, absente Herode; tum denique quòd ex Josepho, *lib.* 14 *Antiq. cap.* 27, *& lib.* 1 *de Bello*, *cap.* 12, liquidò constet Herodem in Palæstinam Româ reversum fuisse ante acriorem hujus anni 6 Juliani hyemem, quæ serò admodum in eâ Regione inchoari solet. Narrat enim Josephus eum Ptolemaidem appulisse, dum Ventidius (qui statim à pace Brundusinâ fuerat ab Antonio in Orientem remissus) componendis motibus civitatum à Parthis occupatarum distineretur. Deinde, collectis copiis, properâsse per Galilæam contra Antigonum; eaque Regione penè universâ sibi conciliatâ obsedisse Joppen, adjutante Silone Romanarum in Judæa copiarum Duce; ne urbem illam hostilem relinqueret à tergo, dum Massadam tenderet,

Susceptum ab Herode in æstate.

Reditus in Palæstinam ante acriorem hyemem.

Gesta ab Herode, durante illâ hyeme.

 suos

suos (quod illi maximè cordi erat) quàm citissimè liberaturus. Captâ Joppe labore non admodum magno, properâsse Massadam, frustra per viam repugnante Antigono; indeque familiam obsidione liberatam eduxisse. Mox Hierosolymam tentasse, sed frustrà: prævaricante nimirum Silone pecuniis Antigoni corrupto, & milite Romano se in hyberna dimitti postulante; in quæ & paulò pòst dimissus est reipsâ. Herodem interea otiatum non esse; sed reliqua Galilææ loca ab Antigono stantia expugnasse, ac in iis Sephorim, *dum vehementissimè ningeret*; ibique milites suos, quos hyems fatigaverat, recreasse. Hæc & alia complura, quæ brevitatis studio prætermitto, cùm perfecerit Herodes per hyemem, quâ Romanum ejus iter proximè excepit; manifestum, ni fallor, evadit, eum Alexandriâ tempore æstivo discessisse; nec aliter tempus sufficiens reperiri posse tam longo itineri emetiendo ac remetiendo, moræque diuturniori factæ Rhodi; ita ut Herodes Ptolemaidem appelleret ineunte jam hyeme, quâ fluente omnia jam recensita & aggredi, & exequi potuerit.

Argumentũ ab hyeme retortũ in Adversarios.

Sed ut palpabilior evadat assertio nostra; scire velim ex illis temporis hyemalis propugnatoribus quoad Herodis profectionem ex Ægypto, undenam hyemem istic inchoandam existiment? Quod si in his septemtrionalibus Regionibus nemo hyemem ante exeuntem Octobrem dicturus sit populariter inchoari; nemo etiam facilè dixerit eam in Ægypto initium sumere ante Novembrem exeuntem. Imò cum scribat Josephus non tantùm Herodem solvisse Alexandriâ χειμῶνος ὄντος, seu (ut vertunt Adversarii) *cùm esset hyems*; sed etiam non extimuisse τὴν ἀκμὴν τοῦ χειμῶνος, seu (juxta Adversarios) *vigorem*, vel *asperitatem hyemis*; an non usque ad medium saltem Decembrem erit progrediendum, ut huic ἀκμῇ sit locus? Quomodo igitur Herodem Romæ sistent, ut intra annum sextum Iulianum Rex creari potuerit? Certè ne id quidem præstare poterunt, quamvis, dissimulatâ dictâ *asperitate*, concedamus Herodem medio Novembri ex Ægypto discessisse; cùm & viæ longitudo, & mora Rhodi tracta, & tempestas quæ præcessit, aliaque, non sinant Herodem ante anni illius finem Romæ repræsentari.

Aliquot eorum Objectiones.

Necdum tamen quiescunt Adversarii; sed opponunt *primò*, in Ægypto nullas esse per mensem Iulium tempestates: ac proinde vocem χειμὼν non de his; sed de hyemis tempore intelligendam esse. *Secundò*, tempestatem pauculis diebus duraturam non potuisse à Cleopatrâ Herodi allegari ut idoneam causam supersedendi profectione in Italiam: at hyemem marinis periculis obnoxiam potuisse speciosè obtendi. *Tertiò*, Iosephum, *lib.* 1 *de Bello*, *cap.* 11, scribere Herodem, antequam Hierosolymis subduceret se, jam *dudum* ab aliquibus audivisse fratrem suum Phasaëlum (qui, aliquamdiu post Pentecosten, Parthorum Satrapam adierat) comprehensum fuisse: quod indicat eum longè seriùs, quàm suprà dixerimus, Hierosolymis discessisse.

Responsio ad 1.

Sed ad *primum*, dico quotidianâ experientiâ constare de contrario; ut & ex Ptolemæi (seu cujuscumque alterius) *Tractatu de Significationibus inerrantium Stellarum*, edito à Petavio, *pag.* 98 *Vranologii*, & ab aliis.

ad 2.

Ad *secundum*, respondeo Cleopatræ moras injicere volenti facilè fuisse hujusmodi rationes speciosas magis; quàm efficaces prætexere; quas Herodes, præ ingenti

ingenti desiderio suos Massadæ obsessos quàm citissimè liberandi, suamque rem contra Antigonum urgendi, eò faciliùs duxerit contemnendas; quò magis sperabat tempestatem brevi desituram. Aliàs autem ne quidem hyems ipsa potuisset obtendi tamquam satis idonea ratio subsistendi: cùm constet hodie mercatores, aliosque, quos etiam nulla urgentissima ratio adigit ad navigationem hyberno tempore suscipiendam, passim ex Italiâ solvere hyberno tempore in Orientis Regiones.

Ad *Tertium*, nego in textu Græco illius loci, quicquam haberi, quod respondeat particulæ *dudum*, uti nec *lib.* 14 *Antiq. cap.* 25, ubi eadem narrantur: tanti est originarios textus consulere, nec nimium Interpretibus fidere. ad 3

CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

Eadem secunda Objectio retunditur etiam ex Historiâ Romanâ.

BRundusinæ pacis inter Antonium & Cæsarem tempus nobis opponit Bucherius *lib.* 2 *sui Belgii*, *cap.* 6, *sect.* 1, *num.* 9, ut evincat Regis titulum Herodi non potuisse conferri, nisi expirante Decembri Anni Juliani sexti. Huic thesi probandæ jacit hoc fundamentum; pacem illam adultiore hujus anni Octobri fuisse Tarracinæ compositam; quod stabilivisse se credit, tum ex serie historiæ Antonii ac Cæsaris; tum ex Veteri Inscriptione, quâ dicitur SIGNUM CONCORDIÆ EX S. C. AD QUARTUM IDUS OCTOBRES RESTITUTUM CN. DOMITIO ET C. ASINIO COSS. seu Anno Juliano sexto. *Nempe* (inquit Bucherius) *cùm Senatus ipse* (Romanum intelligere videtur) *Antonium inter ac Cæsarem concordiam votis omnibus expeteret, & ab isto conventu Tarracinensi speraret*; *si nondum obtinuerat.* Quibus postremis verbis satis indicat se dubitare, an die illo duodecimo Octobris jam pax illa composita non esset; dedissetque occasionem restituendo Signo Concordiæ ad publicæ lætitiæ de eâ testificationem.

Bucherii Objectio.

Ejus fundamentum ex veteri Inscriptione.

Subdit deinde, citans Dionem, Appianum, Fastos Capitolinos, *Antonium & Cæsarem in Urbem reversos, celebrasse nuptias Antonii cum Octaviâ Cæsaris sorore, paulò antè Ludos Equestres* (*notat*, inquit, *Dio*) *seu* (ut quidem interpretatur Bucherius) *Consualia*, *Idibus Decembris celebrari solita*, in honorem Neptuni. Addit *num.* 10, ex eodem Dione, quòd *licet in exitu jam annus esset*, *abrogato tamen Pratoribus Consulibusq. magistratu*, *alios eis suffecerint*, *nihil moratos quòd in paucos dies in eâ dignitate futuri essent.*

Aliud ex nuptiis Antonii, & Ludis equestribus.

Verùm in paucis hisce verbis sunt nòn pauca, quæ mihi quidem videntur à veritate aliena; & quæ ex Appiano, Dione, & Plutarcho satis clarè possint revinci.

In primis quod contendit pacem, quâ de agimus, Antonium inter & Cæsarem fuisse Tarracinæ compositam; admitti nullo modò potest; ut patet ex Appiano omnia, ad hanc rem spectantia, omnium accuratissimè describente, & pacem hanc non alibi, quàm in castris ad Brundusium, & agitatam, & stabilitam fuisse clarè ostendente. Et verò quàm ridiculum fuisset, pacis conciliatores, qui in

Pax non Tarracinæ, sed in castris Brundusinis cōposita.

 illis

illis castris versabantur, Tarracinam inde plurium dierum itinere distantem, & Cæsari tum parentem, amandare; cùm ambo Imperatores mutuò in conspectu essent, & pax ab utroque exercitu, amborumque amicis fervidissimè urgeretur.

Horatius Bucherio adversatur.

Horatius, qui velut paci Tarracinensi favens *lib.* 1 *Serm. Satyrâ* 5, allegatur à Bucherio, ei adversatur vel maximè. Ex totius enim Satyræ illius contextu patet, Coccejum, Mœcenatem, Capitonem pacis arbitros, ita Româ Tarracinam venisse, ut ibi non hæserint; sed per urbem illam transierint dumtaxat rectà Brundusium, ubi de pacificatione omninò diversâ ab eâ, de quâ nobis nunc quæstio est, agere debebant. Certè Antonium inter & Cæsarem exorta sæpè esse dissidia, sæpè amicitiam ab utriusque familiaribus resarcitam, ex variis constat; nominatim Suetonio, *in Octavio cap.* 17, in quod scribens Casaubonus, sigillatim tam dissidia, quàm reconciliationes enumerat, & in suos annos digerit. Accedit quòd Horatius Capitonem Antonii nomine colloquio interfuturum assignet, nullo facto verbo de Pollione; quem solum ex Antonianis exprimit Appianus, tacens de Capitone, dum agit de concordiâ, de quâ nobis lis est. Denique ex toto Satyræ filo fit manifestum, totam illam Regionem, quâ in dictorum Legatorum comitatu iter habuit Horatius, fuisse tum omninò pacatam, & militibus vacuam; de quibus utique non siluisset, si quos per viam reperisset: uti nec de Cæsare singulari suo patrono, si is ad Brundusium hæsisset. Acron & Porphyrion Horatii Interpretes, qui Satyram citatam explicant, de pace ad Tarracinam compositâ; de aliâ, ut jam dicebamus, quàm nos, pacificatione loqui censendi sunt: nec sunt tanti, si aliud voluissent, ut evidentiæ eorum, quæ suprà attulimus, opponi possint. Vide è recentioribus Interpretibus Chabotium, Lubinum, aliosque.

Vetus Inscriptio allata nobis non obest: prodest potiùs.

Vetus illa Inscriptio, quæ nobis objicitur, non est Tarracinæ reperta; sed in agro Casinate, ad obscurum oppidum, quod hodie S. Germani dicitur, distatque Tarracinâ unius diei itinere: atque ita nihil pro eâ, tamquam Brundusinæ concordiæ loco, facere potest. Neque in eâ Inscriptione legitur signum Concordiæ restitutum fuisse, *ex S. C.* seu *Senatus-consulto*, seu Romano, seu Tarracinensi; sed EX C. C. quod Gruterus explicat, EX CURIÆ (dicti nimirum oppidi) CONSULTO: ita ut decreverit *Curia* illa Signum istud, fortè paulò antè collapsum, restituendum, in testificationem lætitiæ publicæ de concordia recenter inita Brundusii Antonium inter & Cæsarem. Inscriptionem ipsam ne quis integram desideret, ecce illam prout apud Gruterum legitur, *Inscriptionum Romanarum pag.* 100, ex Smetii testis oculati fide.

M. PAPIUS M. F. L. MATRIUS L. F.
DUOVIRI I. D.
SIGNUM CONCORDIÆ EX C. C. RESTITUENDUM
COERAVERUNT EIDEMQ. DEDICARUNT
ET BASIM GRADUM ARAM SUA PECUNIA
FACIUNDA COER. EIDEMQ. PROBAVER.
AD IIII EID. OCT. CN. DOMIT. C. ASINIO COS.

Cum

Cùm autem molimina in curandis *Basi*, *Gradu*, *Arâ*, cæterisque huc spectantibus, tres faciò hebdomadas impleverint; hinc etiam colligi potest, pacem de qua agimus, circa Æquinoctium Autumnale conciliatam fuisse: qua de re paulò pòst fusiùs.

Dio non agit de Consualibus;

Dio, *loco citato*, nullâ ratione asserit nuptias Octaviæ cum Antonio celebratas fuisse *paulò ante Ludos Equestres*, seu *Consualia*: sed Populum Romanum, ob famem ex bello contra Sextum Pompeium ortam, & ob nova vectigalia, ita ab Antonio & Cæsare abalienatum; ut qui modò magnis honoribus eos affecerant, *Ludos* (non dicit quos; imò utitur voce generali πανηγύρεις) *ut sellis curulibus sedentes spectarent, fecerant, Octaviam Cæsaris sororem Antonio conjugem conciliaverant*; *adeò mutatos esse: ut vel coitionibus factis, vel ad quoddam spectaculum congregati, eos ad pacem cum Pompeio componendam hortati sint, multo eam rem clamore agentes. Quum nihil efficerent; abalienatos ab ipsis, ad Pompeium inclinasse.* Nihildum hinc extundi potest pro *Consualibus*, quamvis & nuptias Octaviæ & vectigalia, & abalienationes, & coitiones, & spectacula, & vociferationes, & precum rejectiones, & inclinationes ad Pompeium (quæ omnia intra tam paucos dies perfici non potuerunt) habeamus.

sed de Circensibus.

Quod autem subdit Dio, cives Romanos *Ludis Equestribus*, *Neptuni simulacrum multo plausu honorasse*; nihilominùs Bucherium juvat. Nam textus Græcus habet ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις; quâ voce communissimè significantur *Ludi Circenses*, qui & ipsi *Equestres* erant; & in quibus, uti & in aliis, complurium Deorum simulacra circumferebantur, prout fusè docet Dionysius Halicarnassæus, *lib. 7 ferè extremo*, ubi nominatim *Jovis*, *Junonis & Neptuni* meminit. Ovidius quoque Ludorum Circensium pompam describens *lib. 3. Amor. Elegiâ 2*, *Neptuni*, *Martis*, *Apollinis*, & plurium aliorum Deorum imagines illatas ostendit. Vide Lipsium, *lib. 2 Antiq. Lect. cap. 16.* Dempsterum, *in Paralipomenis ad Rosini librum 5, cap. 4 & 5. Bulengerum lib. de Circo Romano, Ludisq. Circensibus, cap. 38.*

Cur Dio meminerit simulacri Neptuni?

At, inquies, cur solius simulacri Neptuni mentionem injicit Dio, si Ludi illi Neptuno sacri non erant? Ideò nimirum quòd Romani cives ex odio in Antonium & Cæsarem, & ex suo in Pompeium tunc mari dominantem studio, Neptuni imaginem specialiter honorâssent. Alioqui simulacra alia nullo modo excludit. Vide omninò Suetonium *in Octavio cap. 16*, ex quo disces, Cæsarem *classibus tempestate perditis*, (dum bellum Pompeio infert) *exclamâsse, Etiam invito Neptuno victoriam se adepturum*; *ac die CIRCENSIUM proximo, solenni pompa simulacrum Dei* (Neptuni) *detraxisse.* En simulacrum Neptuni Ludis Circensibus illatum; utique, de more, unà cum aliorum Deorum simulacris; quamvis de his penitùs taceat Suetonius. En odium Cæsaris in Neptunum tamquam Pompeio faventem; sibi autem adversantem. Vide Philippum Beroaldum, ad illa Suetonii verba.

Consualia unico die celebrabantur.

Et ut hæc deessent, ex ipso Dione satis constat eum non agere de Ludis *Consualibus*. Hi siquidem, ut ex vetustissimis Romanorum Kalendariis apud Gruterum, Goltzium, aliosque extantibus patet, unico die durabant. At Dio expertè agit de Ludis ad plures dies protractis. Scribit enim populum Pompeio

I 3 addictum,

Dio agit de Ludis plurium dierum.

addictum, cùm *per aliquot dies* insequentes *non inferretur* illud Neptuni simulacrum (vetantibus scilicet Antonio ac Cæsare ob rationem jam allatam) *lapidatione in Magistratus factâ, eos è foro ejecisse, Cæsaris & Antonii statuas dejecisse*, &c. Atque ita nihil in his Ludis potest esse præsidii seu contra nos, seu pro *Consualibus*, de quibus suprà actum est.

An annus esset tunc in exitu?

Denique quod ex Dione addit Bucherius, annum in exitu fuisse, & suffectos novos Prætores & Consules ad paucos dies; omittere non debuisset alia complura, quæ ante hanc periocham memorat Dio ibidem. Ea hîc sub unum aspectum ponere, additis nonnullis ex Appiano & Josepho, operæ pretium erit: ut appareat quàm parùm vero-simile sit tam multa mense Decembri peragi potuisse, ante cujus initium vix Antonium ac Cæsarem Romam potuisse pervenire contendit Bucherius.

Gesta inter pacis fœdus & anni exitum.

Omnium plausu Romæ excepti Imperatores nuptias Octaviæ celebrârunt, consultis antè Magistratibus, an eam prægnantem ducere Antonio per Leges liceret. Secuta haud dubiè reciproca convivia per aliquot dies, & Ludi omnis generis, aliaque id genus. Aqua Julia canalibus in Urbem deducta; quod opus & non parùm temporis exigit, & ridiculum sit mense Decembri vel inchoatum fuisse. Herodis querimoniæ apud Antonium & Cæsarem, commendatio ejusdem in Senatu, Regia dignitas ei collata, aliquot dies absumpserunt; uti & deliberationes ac decreta de imponendis novis & multis vectigalibus. Inde, ex fame crescente, odia in authores belli cõtra Pompeiũ, coïtiones populi secretæ, Ludi novi in quibus postulatũ magnis clamoribus ut pax cum Pompeio iniretur, omnium animi ad hunc conversi, iterum novi plurium dierum Ludi, in quibus simulacrum Neptuni favore magno exceptum in gratiam Pompeji, ira plebis in furorem versa, ex quo Magistratus lapidibus appetiti, ac postea ipsimet Imperatores, horumque statuæ dejectæ, utrimque cædes, cadavera in Tiberim projecta, & à variis spoliata, coactio Antonii & Cæsaris ad mittendos qui de pace cum Pompeio agerent. Rursus Ludi, quos Consules pro bello contra Julii Cæsaris percussores voverant, novi Prætores & Consules, saltem ad aliquot dies: quibus recensitis, tandem subdit Dio; *Hæc eo anno acta sunt.* Appianus paulò fusiùs explicans illum pacis cum Pompeio tractatum, scribit Antonium tumultu populi adactum, curâsse evocari è Siciliâ Libonem (Cæsaris sororium, & Pompeii socerum) futurum hujus pacis interpretem; hunc in Ænariam Insulam appulsum ibi substitisse. Populum, ubi id cognovit, denuò coïisse, rogasseque cum lamentis Cæsarem, ut Liboni litteras fidei mitteret; minis autem Mutiam Pompeii matrem adegisse, ut Legationem ad eum susciperet. Libonem postulâsse Ducum congressum, populum id ab Antonio & Cæsare violentis precibus obtinuisse. Hos cum Pompeio congressos ad maris, ad quod Puteolos usque profecti erant, littus; sed post varia agitata, re infectâ rediisse. An autem quæ subdit Appianus de pace tandem cum Pompeio compositâ post varias ultrò citroque perlatas conditiones, hoc anno Juliano sexto desinente perfecta sint, ut censent Salianus, Gordonus, Goltzius, aliique; an ineunte sequente, ut insinuat Dio; non habeo affirmare. Saltem initio anni Juliani septimi initam fuisse hanc pacem oportet; ut & iterato reditui Antonii in Urbem, & ipsius in hac ali-

quantæ

quantæ commorationi, ludicrisque concertationibus cum Cæsare (de quibus Plutarchus *in Antonio*) ac deinde profectioni in Græciam cum uxore Octaviâ, & hibernis utriusque Athenis, spatium reperire possimus.

Ex his omnibus, nisi fallor vehementissimè, satis manifestum evadit, non posse ullo modo reditum Antonii & Cæsaris in Urbem, post pacem Brundusinam, differri seu in finem Novembris, seu in Decembris initium. Certè cùm Bucherius fateatur pacem illam adultiore Octobri fuisse initam, imò dubitet an ad diem 12 ejusdem mensis, ac fortè paulò antè, jam non coaluisset; nulla satis idonea potest adferri causa tantæ comperendinationis; plurimæ autem pro accelerando reditu: atque in primis expectatio Populi Romani ærumnarum suarum finem sibi pollicentis ex hac concordiâ; fames in dies crescens, Pompeii Classe commeatum omnem intercludente: pecuniarum defectus, ob quem exactiones suprà explicatæ fuerunt indictæ; nuptiæ cum Octaviâ, quibus fœderi recèns inito velut sigillum apponendum erat, & aliæ hujus generis. Vide Plutarchum, *in M. Antonio*, ubi postquàm egit de Octaviæ desponsatione, statim subdit: *Ubi placuit utrique conditio, Romam profecti sunt, ad Octaviæ nuptias celebrandas.* utique satis innuens Antonium ac Cæsarem mox ab inito fœdere Romam esse profectos.

Adventus Antonii Romam non potest differri in Novembrem exeuntem.

Ut autem manifestiùs fiat & pacem ad Brundusium facillimè sub Æquinoctium Autumnale stabiliri potuisse, & reditum Antonii ac Cæsaris in Urbem in primos dies Octobris conjici posse, en succinctissimam maximeque veri-similem Chronotaxin eorum, quæ ab utroque ante hanc reconciliationem gesta fuisse constat hoc anno sexto Juliano.

Res ab Antonio & Octavio gestæ Anno Jul 6, in sua tempora distributæ.

Mense Martio ineunte Cæsar Perusiâ potitur; Idibus ejusdem mensis ibidem ad aram Julii Cæsaris varios ex Antonianis mactat: reliquis diebus varias Italiæ urbes, nemine resistente, sibi vendicat. Antonius *Vere ineunte*, seu sub finem Martii (si non antea) Alexandriâ solvit Tyrum versus.

Aprili ineunte Cæsar Romam revertitur; sub Mensis medium, audit Calenum, cujus Legionibus Antonio addictis, uti & Galliæ Hispaniæque sibi adjungendis jam antea studebat, obiisse. Illuc accurrens, statim meditata exequitur, *Fusio Caleni filio omnia per metum dedente sine certamine.* Antonius primis Aprilis diebus Tyrum appulsus, post brevissimam istic moram, navigat in Græciam; mox in itinere discit belli Perusini eventum, Athenas venit, ibique Fulviam uxorem Brundusio profugam reperit sub finem mensis.

Maium integrum, & totum ferè *Junium* impendit Cæsar in occupandis & ordinandis Galliâ Hispaniaque, nemine sese opponente. Antonius totos hosce menses, ac insuper Julii partem colligendæ suæ ducentarum navium Classi.

Sub initium *Julii* Sextus Pompeius audito Agrippam Romæ totum esse in apparandis Ludis Apollinaribus die ejusdem mensis sextâ edendis; invadit & diripit oram Italiæ maritimam. Agrippa statim à Ludis editis adversus Sextum proficiscitur, eumque in Siciliam redire cogit. Paulò post Agrippæ discessum Cæsar è Galliâ Romam redux, & anxius quid ab Antonio responsi accepissent Legati ad eum Athenas missi à Pompeio; ne hunc haberet hostem, per Mecœnatem sibi à Libone Pompeii socero in Siciliâ tunc agente postulat Scriboniam, ejus sororem Romæ degentem in uxorem. Libo illicò amicis scribit, ut eam *incunctanter*

stanter Cæsari tradant; nuptiæ extremo Julio celebrantur. Antonius circa Idus Julias in Italiam navigat.

Initio *Augusti* Antonius Brundusium obsidet; Pompeius, mandante Antonio, Italiam invadit, & Thurium Consentiamque aggreditur. Eo audito Cæsar Agrippam contra eos mittit, moxque subsequitur ipse.

Septembri ineunte Cæsar castra sua Antonianis opponit. Agrippa Sipuntem ab amicis Antonii captam recuperat, Thuriosque liberat obsidione. Dum leviora nonnulla utrimque geruntur, ecce nuntiatur Fulviam, belli incentricem, obiisse. Arreptâ hâc occasione Cocceius Nerva utrique Imperatori peramicus è castris Antonianis ad Cæsarem illicò profectus, eum ad pacem invitat; redeunti statim ad Antonium Centuriones milites que eam se omninò velle testantur. Non refugiente Antonio, designantur ab utroque exercitu pacis interpretes, quibus adjunguntur Pollio Antonianus, Mecœnas Cæsarianus, Cocceius velut sequester, utpote utrique parti gratus. Pax sine morâ circa Autumnale Æquinoctium componitur, Octaviâ Cæsaris sorore tum prægnante ex Marcello recenter mortuo, desponsatâ Antonio. Fit nova inter Imperatores Provinciarum partitio, qui post mutua convivia, militesque in varia loca distributos, iter Romam versus arripiunt, quò facilè pervenerint *circa Nonas Octobris*. Iis vix Brundusio digressis, eòdem appulsus Herodes, non invento Antonio, statim Romam tendit; rerum suarum statum ei ac Cæsari exponit; utroque annitente dignitatem Regiam à Senatu præter spem obtinet, sub Idus Octobres; non ultra *septem dies* Romæ commoratus, iter in Palæstinam festinanter relegit; ibique gerit ea, quæ *suprà*, *cap.* 21, explicuimus.

Variè confirmatur hæc distributio temporis.

Aptissimæ huic, & minimè coactæ rerum dispositioni, ac nominatim tempori pacis initæ à nobis signato, favere potest Natalis dies Cæsaris in vigesimumtertium Septembris incurrens, qui & occasionem rei accelerandæ præbere potuerit, & conviviorum lætitiam augere: sed apertè favet vetus Inscriptio suprà allata, & ratio ibidem adjuncta; maximè autem & multitudo & moles eorum, quæ tempore inter pacem illam & anni exitum medio facta fuisse jam dicebamus: ut interim omittam quæ per hyemem insequentem egit Herodes; & quod Bucherius, post res in longum extractas, quantum potest, nonnisi tribus circiter hebdomadis serius concordiam illam conciliatam significet.

Objectio.

Unus tamen adhuc superest scrupulus eximendus, quem idem injicit, dum ex Appiano observat Cocceium Nervam fuisse *priore æstate* hujus anni missum à Cæsare in Phœnicen ad Antonium; ex quibus verbis colligit congressum arbitrorum pacis Autumno contigisse, nimirum jam per aliquod tempus inchoato.

Responsio.

Sed facilè respondetur, *primò*, nos in ipso Autumni initio Concordiam illam figere, eoque respexisse Appianum. *Secundò*, per *priorem æstatem* intelligi posse priorem partem æstatis. *Tertiò*, nihil receptius esse, quàm ut Autumnus, non ab ipso Solis in Libram ingressu inchoetur; sed vel ab initio Septembris, ut inchoant Ausonius, *in Eclogario*, aliique; vel etiam à tempore medio inter Solstitium æstivum, & Æquinoctium Autumnale; prout sumitur in Fragmento veteris Kalendarii, *apud Gruterum*, *in Inscriptionibus Romanis*, *pag.* 136, ex quo habetur olim Autumnum, populari acceptione, initium duxisse à IX Kal. Augusti, & de-

& desiisse IX. Kal. Novembris. Neque verò à postremâ hâc acceptione abire potest Bucherius, qui Herodis ex Ægypto discessum tribuit *hyemi*; cùm tamen ex suis hypothesibus cogatur fateri, eum inde solvisse saltem sub finem Octobris.

Ex iis quæ toto hoc & præcedenti capite dicta sunt, credo non ægrè intelligi posse, quo merito Bucherius, *suprà num.* 11, totam suam de jam dictis disputationem clauserit his verbis: *Parcat Lector, si hac tam fusè, tam operosè pertexui. Diem quo Herodes Romæ Rex à Senatu dictus est, detegere aliter haud potui. Nunc res plana est. Nam ex Romanâ quidem Historiâ clarè pervidemus, Antonium vix ante Decembrem hujus anni Romam pervenire potuisse.* Corollari.

CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

Solvitur objectio petita ex prætenso die Natali Regni Herodis.

DEcembrem, satis à nobis rejectum *superioribus capitibus*, non contentus Bucherius assignasse inaugurationi Herodis in Regem; etiam diem ipsum definire conatur, *Sectione cit. num.* 12. Ita autem ratiocinatur: Josephus, *Antiquitatum libro* 15 *planè finiente*, notat, *in celebritatem seu Dedicationem Templi ab hoc Herode absoluti, Natalem quoque Regni incidisse, quem Herodes anniversariâ hilaritate solebat colere: ut hoc pacto lætitia publica duplicaretur.* Subjungit, nulla illo ævo legi fuisse Templi Hierosolymitani Encænia, quàm ea quæ à Judâ Machabæo fuerunt instituta, & affixa diei 25 Mensis Casleu, qui anno Juliano hoc sexto, ferè in decimum nonum Decembris incidit. Encænia Herodis eodem die fuisse celebrata; cùm Judaicum Kalendarium alia non agnoscat diversa à Machabaicis; idque factum, ne ejusdem festi solemnitas, plebeculæ damno multiplicaretur. De utrisque Encæniis capiendum illud *Ioannis* 10, *V.* 22: *Facta sunt Encænia Hierosolymis; & hyems erat.* Hoc apprimè convenire & Herodianæ navigationi hibernæ, & Antonii Romam post pacem Brundusinam reditui triumphali. Bucherii ratiocinatio pro designando die inaugurationis Herodis.

Verùm contra hæc facit, *Primò* quod sicut nullum fuit Templum à Judâ Machabæo constructum: ita nulla fuerunt Templi Encænia ab eo instituta; sed tantum *Altaris*: ut patet ex *lib.* 1 *Machabæorum*, *cap.* 4; ubi iteratò dicitur facta & statuta *Dedicatio* (Græcè, ἐγκαινισμὸς) *Altaris*, agenda quot annis *per dies octo*, *à quintâ & vigesimâ die mensis Casleu.* *Secundò*, quòd Josephus nullam *Dedicationis Templi* Herodiani mentionem faciat in textu Græco, qui ita sonat: *Contigit ut dies complendo Templi operi præstituta coïncideret cum die principatûs Regis, quam celebrare solebat; & festum hoc propter illa duo illustrissimum fieri.* Ex quibus verbis hoc dumtaxat habemus, diem illam, quâ Templum absolutum est, fuisse eo anno solemnissimam ex conjunctione cum Natali Regni Herodis; at indicti in singulos annos Festi Encæniorum novi Templi nullum prorsus in Josepho vestigium apparet. *Tertiò*, cùm hinc etiam habeamus Herodem jam antea Regni sui Natalem celebrare solitum; præstitutum autem ædificationi tempus in illum incidisse, seu casu, seu potiùs studiosè id agentibus Præfectis operum, aut etiam Rege ipso: erit potiùs ex Natali Regni definiendus dies absoluti Templi, quàm Evertitur.

ille ex hoc; suppositâ pari utriusque incertitudine. *Quartò*, Quis prudenter diem absolvendo tam magnifico operi præfigat, quæ in acriorem hyemem, ferias latomis aliisque hujusmodi fabris indicere solitam, incurrat? Quis non potius æstatem, aut saltem (quod supradictis apprimè quadrat) Autumnum deligat ultimæ manui tanto ædificio imponédæ? *Quintò*, an Josephus, qui accutatè, *lib.* 14 *Antiq. cap. ult.* observarat expugnationem Hierosolimæ tam per Pompeium, quàm per Sosium ac Herodem factam, in eumdem Mensis tertii diem incidisse, omissurus fuisset tam singularem hanc peristasin concursus Natalis Regni, & completi Templi Herodiani, à se tantopere prædicati, cum Enceniis Machabaicis; si verè hæc omnia in eundem diem incidissent.

Objectio, Si Josephum Gorionidem legisset Bucherius, non dubito quin ex eo stabiliturus fuerit prætensa illa annua Templi Herodiani Encænia. Is siquidem *pag.* 148 *& seq.* disertè asserit & templum illud dedicatum fuisse, & Regem disposuisse ut ejus ædificatio consummaretur eo die, quo magnum convivium facere solebat Principibus Regni; jussisseque ut per Provincias *omnes idem facerent in ipso die per singulos annos.*

Rejicitur. Sed facilè nobis fuisset exceptione uti adversus Scriptorem hunc non adeò antiquum, & multa pro libitu, nominatim in iis quæ Flavio Josepho addit de suo, fingentem, nec ullius apud eruditos auctoritatis. Unde fit ut Maldonatus, in caput 16 *Matthæi*, *num.* 14 eum *fabulosissimum* vocet; Casaubonus, *Exercit.* 16, *cap.* 108, *planum & fœdissimum impostorem*; ut missa faciam similia de eo elogia Riberæ, *in caput* 1 *Habdiæ*, Serarii, *lib.* 1 *Trihæresii*, *cap.* 9, & complurium aliorum. Saltem ex eo habemus, id quod jam dicebamus, Herodem *disposuisse* ut templi ædificatio consummaretur eo die, quo magnum convivium (nempe, ob Natalem suum Regni) facere solebat.

Solvitur objectio ex Kalendario Judaico, Non extare hodie in Kalendario Judaico mentionem Encæniorum Herodis diversorum à Machabaicis; nullo modo arguit utraque fuisse confusa: sed potiùs nulla fuisse Herodiana, & præsertim singulis annis recurrentia: sicut nulla fuerunt Salomonica, aut Zorobabeliana. Deinde potuerunt Herodiana (si illa gratis admittere lubeat) Kalendario adscribi; ac nihilominus postea, aut ex odio Judaicæ gentis in Herodem expungi, aut inter tot rerum Judaicarum vicissitudines excidere: sicut ex eodem Kalendario excidit causa jejunii, quod ad diem 9 mensis Thebet notatum est; uti & Festum *Xylophorion*, de quo liber 2 Esdræ, *cap.* 10, *v.* 34, & Josephus, *lib.* 2 *de Bello*, *cap.* 17. Vide & Scaligerum, *de Emendat. pag.* 609.

& ex novi Festi oner., De novo diei Festi onere plebi imponendo (si casus ita tulisset) non admodum sollicitum futurum fuisse Herodem, satis ostendit tum generatim trux ejus ingenium suis dumtaxat commodis studens; tum speciatim ingens multitudo vectigalium, quibus passim subditos opprimebat.

itē ex verbis Joannis. Verba Joannis citata explicat Kepplerus, *in Eclogis Chronol. pag.* 73, non de *hyeme*, sed de *pluviâ*; ratione cujus se subducere debuerit Christus in Porticum Salomonis: de hujus enim Encæniis istic agi existimat. Et verò, ut suprà dicebamus, eò etiam trahi posset vox χειμών. Sed præterquàm, quòd, ut modò significabam, Encænia Salomonica annua nulla fuerint; fateor non gravatè, Joannem agere de Machabaicis: nego tamen inde posse ullum duci argumentum pro Herodianis;

Herodianis; quæ licèt admitterentur, in illud tempus congruere non posse, satis clarè suprà declaravimus. Addi potest, quòd cùm Herodes propriè in Regni possessionem missus sit detruso Antigono, ideoque Josephus ab hac posteriore Epochâ plerumque annos Herodiani Regni advocet; si quis contendere voluerit Josephum *lib.* 15 *Antiq. cit.* loqui de illo Regni Natali, in quem desierit absoluta Templi structura; omnes Bucherii rationes conturbabit, nec de illo gradu poterit facilè dejici.

Hibernam Herodis navigationem abundè confutavimus suprà, *cap.* 21; serum autem illum Antonii reditum in Urbem, *cap.* 22.

Contra paulò antè dicta instat Bucherius: *Quis credat, avidissimum gloriæ Herodem, tanto opere Templi, tanto sumptu laboreq; peracto, nullam Encæniorum suorum diem annuè recolendam instituisse?* Alia Bucherii objectio.

Respondeo: credent facillimè omnes illi, nec pauci, qui docent Salomonem ipsum, quantumvis gloriæ avidum, nulla Templi sui Encænia annua instituisse; uti nec Zorobabelem, Templi à se instaurati. Potuit geminum hoc exemplum persuadere Herodi, ut ab indicendis novis Encæniis abstineret potiùs, quàm permitteret sua confundi cum Machabaicis eodem die (ut vult Bucherius) celebratis, & illa obscurantibus. Quod si Hadrianus Imperator, licet gloriæ avidissimus, *titulos* (teste Spartiano) *in operibus non amarit; & cùm opera ubique infinita fecisset, nunquam, nisi in Trajani patris Templo, nomen suum scripserit:* quid adeò mirum esset, si Herodes, solâ nominis sui adscriptione (quam agnoscit Bucherius) contentus, cætera neglexisset; maximè cùm gloriam ædificati Templi cum Romanis communicaret, impositâ portæ ejus Aquilâ aureâ, de quâ suprà? Sed demus Herodiana Encænia fuisse: jam satis superque ostendimus non probari ea cum Machabaicis concurrisse, aut cum iis fuisse confusa; imò clarè ostendimus illa cum istis nullo modo concurrere potuisse. Solvitur.

CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

Ostenditur extremos Herodiani Regni annos, licèt incompletos, potuisse variis titulis à Iosepho exprimi ut completos.

PRimus titulus, est *Prolepsis*, quâ initium Regni Herodis ab eâ dignitate illi Romæ collatâ mense Octobri Anno Iuliano sexto, & ab aditâ pacificâ ejus possessione Anno nono, mense Junio, quo depulsus est Antigonus, ad caput illorum annorum civilium Romanorum potuisse meritò à Josepho revocari, jam suprà, *cap.* 20, satis declaravimus, & statim *capitibus proximè sequentibus*, ex omni Scriptorum genere, fusiùs ostensuri sumus. Eademque est ratio de eodem initio ad caput anni Judaici revocando. Prolepsis.

Speciatim verò potest hæc annorum Herodianorum prolepsis præclarè confirmari ex receptâ apud Sinas consuetudine, de quâ noster Martinus Martinius, *lib.* 2 *Historiæ Sinicæ, ipso ferè initio*, ubi asserit quod *si transferatur Imperium in* Ejus usus apud Sinas quoad annos Imperatorum.

aliam familiam, *tunc* successor *quo die Imperium auspicatur*, *nomen suum anno tribuit*; toti scilicet: itaut annus ille absolutè ei imputetur. In casu planè simili versimur; cùm Regnum Judaicum ab Hasamonæorum familiâ ad Herodem alienigenam translatum sit: atque ita eo etiam nomine potuerit tam annus Julianus sextus, quàm nonus, licèt labens, totus Herodi, per *Prolepsin* adjudicari à Josepho annos Regni ejus numerante: adeò hujusmodi supputatio ab usu etiam civili & populari non abhorret.

Metalepsis. *Secundus*, quoad postremum Regni Herodiani annum, est *Metalepsis*, cujus beneficio is, qui initio alicujus anni (ac multò magis qui post aliquot priores ejus menses) regnare desiit, censetur etiam mensibus mortem secutis regnâsse. Unde cùm Herodes circa initium Aprilis anni Juliani 42 è vitâ excesserit, ut infrà, *cap.* 29 declarâbitur; potuerit eo nomine Josephus annum illum Romanum Herodis annis annumerare, imò & Judaicum tunc per aliquot dies inchoatum. Eademque, quoad annum Romanum, erit ratio; si quis Herodem, juxta ibidem dicenda, Mense Februario defunctum malit. Junctâ hâc *Metalepsi*, cum *Prolepsi* jam explicatâ; clarum est Herodem annis 37. à priore Epochâ, 34 à posteriore dici posse regnâsse. Eò autem faciliùs hujusmodi Metalepsin hîc potuerit Josephus usurpare, quòd Herodis mortem exceperit quoddam inter-regnum, filiis ejus Romam profectis, & de paternâ hæreditate apud Cæsarem litigantibus. Hanc anni extensionem, præter dicenda paulò pòst, egregiè illustrat id quod de Sinarum Imperatorum annis scribit noster Martinus Martinius, *lib.* 2 *Historiæ Sinicæ*

Ejus usus in numerâdis annis Imperatorum apud Sinas. *citato*, in hæc verba: *Intelligendum est autem*, *ut plus lucis habeat in Annalibus nostris ratio temporum*, *Imperatorum annos omnes*, *eorum gubernationi attributos*, *quocumque mense moriantur*, *pro completis haberi*. *Quamvis enim Sinæ mox eodem anno*, *quo quis ex Imperatoribus diem obiit*, *alium in vicem substituant*, *is tamen honor demortuo usque ad finem anni fatalis habetur*, *ut ejus nomine omnia gerantur*, *diplomatis quoque*, *litterisq́*, *publicis*, *velut viventis adhuc auctoritate signatis*. Habemus hîc egregium prorsus Metalepseos exemplum, & quidem ordinariæ, publiceque receptæ. Quò minùs mirum videri debebit, si accedente præsertim sex circiter mensium inter-regno Herodis mortem secuto, & ejus dominationi imputato, annus Julianus 42 ei sit à Josepho attributus, aut annus Judaicus sub exitum Martii eodem anno Romano inchoatus. Neque huic supputationi obesse potest, quod ex Josephi calculo (de quo suprà, *cap.* 15, *Hypothesi* 8, & *infrà*, *cap.* 30) idem annus Archelao Herodis successori tribuendus sit; aut saltem ejus pars. Novum siquidem non est apud Chronologos, ut idem annus duobus Principibus simpliciter assignetur: uni ratione prioris partis anni, quam regnando delibârit; alteri ratione partis posterioris, quâ regnare cœperit: sicut idem annus Romanus, quo labente Imperator aliquis è vivis excessit, & postremus est Tribunitiæ potestatis ejus; & primus similis potestatis, respectu successoris, qui deinde anno proximè insequente numerat absolutè secundum; ut passim in Nummis & Inscriptionibus antiquis videre est.

Synecdoche. *Tertius*, est *Synecdoche partis anni pro toto*; quam usque adeò extendunt Judæi; ut receptissimus apud illos sit Canon (de quo *suprà*, *cap.* 18, *& infrà*, *cap.* 26, *& Quæst.* 2, *cap.* 5) *Dies unus in anno est annus*, seu *in annum unum imputatur*.

Longè

Longè igitur potiori jure, potuerit Josephus duos menses Romanos cum medio, ex anno Juliano sexto, item sex menses ex anno nono, ac denique aliquot menses ex anno 42, tamquam annos integros, Herodi tribuere, dum annorum Regni ejus calculum iniret. Quod si annos Judaicos spectâsse dicatur; prior Herodiani Regni Epocha dabit ex anno Judaico residuos menses quinque; posterior menses novê, & ampliùs, quod spatium etiam secluso Canone illo Judaico, abundè sufficit primo utriusvis Epochæ anno velut integro sumendo. Quod verò ad postremum Herodiani Regni annum attinet, exiguam, fateor, anni Judaici partem nobis relinquit Chronotaxis nostra, quâ (juxta dicenda infrà, *cap.* 29) mense Nisan vix delibato, Herodem decessisse censemus. Unde ut hi in annum unum per Synecdochen excrescant faciliùs; vel in subsidium advocandus erit Canon Judaicus antea explicatus; vel jungendum diebus illis pauculis erit inter-regnum, quod Herodis mortem excepit. Si verò mense Februario decesserit (juxta dicenda *eodem capite*) dicendus erit Josephus annos dumtaxat Romanos spectâsse; sistendo in Synecdoche.

Quartus, est *supputatio annorum per Collegia, seu paria Consulum*; ita ut tot annis censeatur quis v. g. regnâsse, quot hujusmodi paria Magistratum eo regnante tenuerint. Eo respexisse Josephum, vel inde fit vero-simile, quòd primæ inaugurationi Herodis in Regem, assignet *Consules C. Domitium Calvinum, & C. Asinium Pollionem*; anno utique Juliano sexto congruentes; alteri autem pacificæ possessioni Regni, anno Juliano nono, Consules *M. Agrippam, & Caninium Gallum*: eodemque charactere sæpiùs aliàs utitur in consignandis aliarum rerum gestarum temporibus. Jam verò si numerentur Collegia Consulum, quibus Magistratum illum administrantibus imperavit Herodes, reperientur 37 à priore Epochâ, 34 à posteriore, utràque desinente in annum Julianum 42, Herodi fatalem, quo Consules fuêre, *C. Calvisius Sabinus II, & L. Passienus Rufus*. Collegia Consulum.

Ad titulos jam recensitos cùm facilè reduci possit *Comprehensio annorum extremorum*, quâ anni illi, quantumvis incompleti, in numerum veniunt velut completi; non est, quòd ei immoremur. Comprehensio extremorum.

Superest nunc, ut quoniam plerique plurimum laborant in admittendis hujusmodi annorum incompletorum velut completorum supputationibus, eas ex omni Scriptorum genere, ac nominatim ex Flavio Josepho, stabiliamus, in gratiam eorum, qui hisce calculis assueti non sunt: peritioribus enim supervacaneus videbitur omnis hic labor.

CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM.

Annorum incompletorum ut completorum sumptio variis Josephi testimoniis comprobatur.

PRimus, isque celeberrimus, locus occurrit, *lib.* 14 *Antiq. cap. ult.* collato cum *capite* 8 *ejusdem libri*. Hoc enim capite scribit Josephus expugnatam à Pompeio Hierosolymam *mense tertio, die Jejunii*, *C. Antonio, & M. Tullio Cicerone Coss.* seu anno Periodi Julianæ 4651. Priore illo capite asserit Urbem ab Herode & Sosio expugnatam *Agrippâ & Gallo Coss.* seu anno Per. Jul. 4677, eo- Primus locus Josephi.

 dem

dem mense tertio, eodemque die jejunii solemnis, additque similem calamitatem jam dictam *ante annos viginti septem* contigisse: cùm tamen manifestissimum sit ab unâ ad alteram nonnisi viginti sex annos Judaicos fluxisse, vel, ut summum, unicum insuper diem. Josephus igitur annos illos 27 aut per Consulum Collegia supputavit; aut annos Judaicos incompletos sumpsit ut completos, usus Prolepsi, Metalepsi, Synecdoche, & extremorum comprehensione jam explicatis.

Secundus. *Secundus*, habetur *lib.* 1 *de Bello c.* 14, ubi ait, *septimo Regni* (Herodis) *anno & Actiaco bello* (seu apparatu ad illud) *fervente, Veris initio, terræmotum contigisse*. Agit manifestè de anno septimo ab Epochâ Hierosolymitanâ, depulso Antigono, quæ, rigidè loquendo, init sub diem 22 Junii Anni Juliani 9, ut suprà dicebamus. Atqui ab eâ Epochâ ineunte usque ad initium Veris anni Juliani 15, quo fervebat apparatus ad bellum Actiacum eodem anno patratum, nequidem anni sex completi numerantur. Annos igitur illos septem supputat Josephus aliquo ex modis antea recensitis.

Tertius. *Tertius*, sumitur *ex libro* 18 *Antiq. cap.* 3, ubi scribit Augustum vixisse annis 77; quem tamen ex Dione, Suetonio, aliisque constat non omninò explevisse annum ætatis 76. Recurrendum igitur est necessariò ad supputationes jam dictas.

Quartus. *Quartum* suggerit idem caput, quo scribit Josephus Antonium fuisse cum Augusto Imperii consortem annis 14: quod utique verum esse non potest, nisi aliquo ex titulis superiore capite recensitis, si Imperium illud supputetur à Triumviratu, quem uterque cum Lepido invasit sub finem tertii anni Juliani; cùm Antonius æstate anni Juliani 16 perierit.

Quintus. *Quintus*, petitur ex *libro* 2 *de Bello*, *cap.* 13, ubi refert Josephus bellum Judaicum sumpsisse exordium Anno 12 Imperii Neronis, mense Artemisio, seu Ijar. Satis constat ex totius historiæ contextu, quadrare id in mensem Maium Anni Vulgaris 65, quo Nero per decem dumtaxat annos solidos, & sex circiter menses imperaverat à morte Claudii, hoc est, à die 13 Octobris anni Vulgaris 54. Reliquos igitur hujus anni menses duos cum dimidio Neroni in annum unum imputat Josephus, beneficio prolepseos, aut supputationis per Collegia Consulum, &c: eodémque res redibit, si annum Judaicum credatur attendisse. Confirmantur autem hæc ex *capite* 24 *ejusdem libri*, ubi postquam narravit congressum Judæorum cum Cestio, qui eodem anno contigit, die octavo mensis Dii, seu Marchesuan, seu (ut tunc se habebat annus Judaicus ad Romanum) die circiter 27 Octobris, subdit: *Hac gesta sunt duodecimo anno Neronis*. Cùm igitur & mense Maio labente Anni Vulgaris 65; & desinente Octobri insequente, in cursu esset annus Neronis duodecimus; manifestum est Josephum non attendisse Neronis annos à particulari eorum capite, hoc est, à die 13 Octobris, inchoatos, sed annum Romanum civilem, aut paria Consulum spectasse: nec enim aliter hic haberi potest annus ille duodecimus utroque loco jam citato.

Confirmatio ex modo loquẽdi de diebus. Finem congerendis similibus Josephi testimonii impono, ubi priùs tribus verbis observavero eum pari ratione loqui de diebus incompletis tanquam completis. Sacerdotum siquidem classes, quas *lib.* 2 *contra Appionem*, *pag.* 1066 *editionis Græco-Latinæ*, asserit meridie Sabbathi ministerium suum inchoare, & meridie sequentis Sabbathi absolvere, scribit, *lib.* 7 *Antiq. cap.* 11, *per octo dies* ministrare.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

Eadem annorum putatio confirmatur testimoniis Scripturæ Sacræ, ejusq; Interpretum.

QUam pleni sint Sacri Codices hujusmodi exemplis, soli illi ignorant, qui nec illos, nec Interpretum aut Chronologorum sacrorum Commentarios unquam attigerunt. Unde Augustinus, *lib.* 3 *de Consensu Evangelistarum*, *cap.* 13, generatim pronuntiat: *habent istum MOREM Scripturæ, ut à parte totum ponant, MAXIME IN TEMPORIBVS.* Augustinus de Synecdoche in Scripturâ.

In re immensâ nobis sufficiat in præsens paucula delibasse ex summo Temporum Doctore Petavio, *lib.* 9, *cap.* 5, ubi postquàm dixit, *ex annis in utrâque successione* (Regum Judæ & Israëlis) *cum expansis, tum invicem comparatis, multa oriri ἄπορα & insolubilia*, tres modos communius receptos subjungit, pugnantia in speciem loca conciliandi. Primus est, *ut anni labentes & inchoati pro completis in numerum procedant*; tertius autem, *ut Regum initia ad popularis anni Epocham accommodentur*, seu, ad ejus caput revocentur. Ad tertii verò hujus Canonis declarationem, subdit celebre Thalmudicorum Decretum, de quo suprà, *cap.* 18; nempe Annos Regum Judaicorum, undecumque tandem inceperint, censeri incipere à primo Judæorum mense verno Nisan, ab eóque procedere: at Regum externorum, v. g. Babiloniorum, Ægyptiorum, &c, advocari ab Autumnali mense Tisri. Item anni partem (etiam diem unicum) pro anno integro computari. Declarat deinde utrumque hoc Decretum exemplis, ad hunc modum: *Si eodem die, puta* 29 *Adar* (hoc est ultimo ultimi mensis Judaici) *fingamus Joachim Hierosolymis, Nabuchodonosorem Babilone, creari Reges, postridie* (primo die mensis Nisan) *Joachimi secundus annus putari incipiet, labente adhuc Nabuchodonosoris primo:* qui nimirum sicut à præcedente Tisri fingitur initium ducere; ita & sequente post sex menses Tisri censebitur compleri. Modi conciliandi loca Scripturæ in speciem pugnantia. Canon Thalmudicus explicatus.

Eodem libro, cap. 55, summatim perstringit Petavius aliquot difficultates Chronologicas Regum Judæ & Israëlis, & ex jam dictis Canonibus earum solutionem indicat. V. G. quod *lib.* 3 *Regum, cap.* 14, *v.* 20, dicitur Jeroboam regnasse annis 22; sic interpretatur, ut expleverit annos 21, & libaverit paucos dies ex anno 22. Item, quod *eodem libro, cap* 15, *v.* 25, dicitur Nadab regnasse duobus annis; explicat de anno uno cum parente, & altero incompleto; ita ut alteram ejus partem vendicet sibi Baasa filius ejus, & annus ille tribus Regibus tribuatur; nempe Jeroboamo, qui paucis diebus intra illum regnarit, Nadabo, qui aliquot mensibus, Baasæ qui reliquis imperarit. En ad quas angustias redactam crediderit Chronologiam Sacram Vir in eâ versatissimus; quo minus mirum videri debet si Josephus Sacris Codicibus lectitandis innutritus, eorum loquendi modum subinde imitetur in sumendis annis incompletis tamquam completis. Vide Richardum de S. Victore, *in Concordiâ temporum*, Petrum Comestorem, *ad calcem Historiæ Regum*, Liranum, *in lib.* 3 *Regum, cap.* 15 *cit.* Aliquot apparentes antilogiæ sublatæ. Richardus à S. Victore, Comestor, Liranus.

ubi

ubi inter quinque modos conciliandi loca in speciem pugnantia, hos duos recenset; ut vel admittatur Synecdoche in annis Regum, sicut admittitur in diebus, quibus Christus jacuit in sepulchro (quâ de re paulò pòst agemus) vel, si interregnum ponatur, ut ejus duratio quandoque sequenti Regi accrescat, quandoque præcedenti: quibus postremis verbis egregiè confirmat id, quod suprà dicebamus de aliquot mensium interregno mortem Herodis secuto, ad Herodem referendo. Vide & Harvillæum, *in Isagoge Chronologicâ, l. 1. pag. 66, & seqq. nominatim columnâ* 699, *&* 700, ubi docet credibile esse, *Scripturam, cùm tradit annos Regum, tradere nobis omnes tamquam completos, absorbentes alios incompletos.* Item Henricum Philippi, *in Chronologiâ Veteris Test. Quæst.* 11 *in lib.* 3 *Regum*, ubi, *quod ad Chronologiam in genere spectat, eos minimè redarguendos putat, qui in re aliquâ singulari octodecim menses ad tertium annum* (malè excudit Typographus, *ad tertium mensem*) *civiliter extendunt, v. g. ad aliquam obsidionem, quæ tres ultimos menses unius anni, tum annum integrum duodecim mensium, & sequens trimestre tenuerit.* En ut, hujus viri doctissimi judicio, menses octodecim in triennium, quod duplo pluribus constat, imputari possint, privilegio Synecdoches, de quâ ibi loquitur. Quòd autem hanc speciatim non censeat admittendam in Libris Regum & Judicum; non debet obesse causæ nostræ de morte Herodis; cùm ibi peculiarem adferat dicti sui rationem. Saltem habemus hìc præclaram ejus, quòd suprà dicebamus, expressionem, dum contendebamus tres postremos menses anni Juliani 6, & tres primos anni Juliani 42, posse pro duobus annis Regni Herodis à nobis accipi.

Harvillæus, Henricus Philippi.

Si ad Judæos etiam Sacræ Scripturæ Interpretes attendere cuipiam lubeat in re practicâ & de se adiaphorâ, nec ad eorum errores spectante, asserunt triennium impuritatis arborum, de quo agitur *Deuteron. cap.* 19, ita olim à suis majoribus supputatum fuisse; ut primum impuritatis annum explesse censeretur arbor illa, quæ plantata fuisset uno etiam, vel altero mense ante Tisri, à quo initium ducebat annus civilis frugum & arborum, ut habetur *cap.* 1 *Codicis Thalmudici Rosch haschana.* Vide Buxtorfium, *cap.* 12 *Synagogæ Judaicæ.*

Judæi Interpretes.

Synecdochen annorum non parum stabilit Synecdoche dierum, ut paulò ante monebat Lyranus. Hac autem utitur Christus ipse, *Matthæi cap.* 12, *v.* 40, dum ait: *Erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Imò quiddam ampliùs videri possit promittere *Marci cap.* 8, *v.* 31: *Oportet Filium hominis. . . . . . occidi, & post tres dies resurgere*; cui conforme est illud, Matthæi *cap.* 27, *v.* 63: *Post tres dies resurgam.* Numeretur omne tempus à Christi sepulturâ ad ejus Resurrectionem; vix plusquam triginta sex horæ reperientur in dies tres totidemque noctes distribuendæ per Synecdochen, quæ nonnullis, etiam Catholicis, adeò incredibilis visa est; ut, contra perpetuum Ecclesiæ sensum, censuerint mortem Christi conferendam esse in Feriam quintam; ut de Hervarto dicetur infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 7, *&* 14. Suppositâ Ecclesiæ traditione indubitatâ: cùm Synecdoche jam dicta sit omninò in diebus admittenda; nullo satis solido fundamento rejici poterit etiam quoad annos, si quando peculiari ex causâ videatur adhibenda. Vide aliud similis Synecdoches exemplum apud Epiphanium, *lib.* 2 *adversus Hæreses, Tô:* 2, *num.* 77, *pag.* 805 *Editionis Petavianæ*,

Synecdoche annorum confirmatur ex Synecdoche dierum.

& Au-

& Augustinum, *lib.* 3, *de Consensu Evang. cap.* 13, dum conferunt inter se loca *Matthæi cap.* 17, *v.* 1, *& Marci cap.* 9. *v.* 1, ubi dicitur Transfiguratio facta *post dies sex* à prius narratis; & *Lucæ cap.* 9, *v.* 28, quo dicitur: *Factum est autem post hæc verba ferè dies octo*: quo loco videntur Epiphanius & Augustinus non legisse particulam, *ferè*, etsi hodie in omnibus textibus legatur, Latino, Græco, Syriaco, Arabico, Persico, Æthiopico.

Circumcisio ut fuerit peragenda octavo die.

Per hujusmodi Synecdochen & Prolepsin passim explicant Rabbini legem de Circumcisione peragendâ *die octavo*; adeò ut si quis v. g. natus sit die Sabbathi, dimidiatâ horâ ante Solis occasum, circumcidi debeat Sabbatho sequente, manè; dum scilicet à nativitate numerat sex dumtaxat dies naturales cum dimidio, additâ dimidiatâ illâ horâ, & in unum diem imputatâ; ut ex Rabbinis observat Valentinus Schindlerus, *in Lexico Pentaglotto*, *Verbo Iom*, *col.* 747, & Grotius, *ad Matthæi cap.* 12, *v.* 3. Hanc dierum acceptionem etiam illustrat, quod ait Paulus Jurisconsultus, *Lib.* 2. *Pandectarum*, *Tit.* 12, *L.* 8: *More Romano dies à media nocte incipit; & sequentis noctis mediâ parte finitur. Itaque quidquid in his viginti quatuor horis, id est duabus dimidiatis noctibus & luce mediâ, actum est, perinde est, quasi quavis horâ lucis actum esset.*

Bucherii responsio,

Quæ hoc capite ex sacris litteris, earumque Interpretibus protuli pro adstruendâ Annorum Synecdoche, cùm olim Bucherio nostro per litteras objecissem, illis ad hunc modum respondendum putavit *lib.* 2 *sui Belgii Romani*, *cap.* 6, *num.* 33: *Repono*: *ad id* (ad sumptionem partis pro toto) *me ex aliorum* (nempe Hagiographorum Scriptorum) *scriptione cogi*; *cujus ego causam nec scio, nec inquiro*; *tantùm legitimam suppono, ex quâ quantum licet, me extrico. Josephum hic* (in numeratione Annorum Regni Herodis) *ad similia nihil adigebat*; *ad simplicem nudamq. veritatem Lectori proponendam liberrimum adhuc, imò etiam obstrictum.*

rejecta.

Verùm per hæc non eliditur vis argumenti nostri. Non enim quæritur quid quis *sciat*, aut *inquirat*: sed an sumptio partis anni pro toto non possit meritò in Josepho annos Herodis signantè admitti; cùm necessariò admitti debeat in ipsis Scriptoribus Hagiographis Chronologiam suam populari ratione pertexentibus; & ab eo qui id negare volet, exigitur ratio disparitatis. Deinde quemadmodum Josephus, dum historiam suam scriberet, ad veritatem nudè proponendam liberrimus fuit, imò etiam obstrictus; ita etiam fuere Hagiographi, dum scriberent. Item sicut ad horum dicta inter se concilianda se cogi fatetur Vir doctus; ita etiam cogitur ad concilianda inter se Josephi pronuntiata ad Herodis Chronologiam pertinentia; cùm ejus opinio de Anno Natali Christi tota uni Josepho innitatur. Cùm igitur Josephus mortem Herodis evidentissimis characteribus, & inter se firmissimè connexis, affigat anno Julianò 42, nec alia supersit ratio eum ab antilogiâ vendicandi, quàm adhibitâ Synecdoche tum in omni Scriptorum genere, tum nominatim in Hagiographis passim receptâ; nemini absonum jure videri debet, si ad illam confugiendum dicamus.

CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM.

Suprà explicatæ annorum incompletorum supputandorum rationes stabiliuntur ex scriptoribus tum antiquis, tum recentioribus, sacris ac prophanis.

Prolepses ac Metalepses adstructæ ex Eusebio, & Chronologo Alex.

FAmiliares Eusebio Cæsariensi prolepses ac metalepses, jam satis probavimus suprà, *Lemmate* 5, *&* 9; De Chronologo Alexandrino annos Tiberii accersente à die 21 Martii, dicemus infrà, *Quæst*. 3, *cap*. 4, *parag*. 2, *vers*. *Ad quartum*. Alios sparsim toto hoc Opere, variis locis observamus aliquâ ex supradictis methodis computandorum annorum uti, quibus ex innumeris paucos velut ad specimen hîc adjungo.

ex antiquo Canone Mathematico.

Antiquus Canon Mathematicus successionis & annorum variorum Principum, Regum, & Imperatorum, quo sæpe utitur Ptolemæus, *in suâ magnâ Syntaxi*, sicut annos eorum semper inchoat à Thoth mobili anni Ægyptiaci; ita illustrissimas & patentissimas adhibet tum prolepses tum metalepses: quas dum non attendunt nonnulli, in Canonem illum imperitè invehuntur, cujus methodum non intelligunt. En aliquot hujus rei exempla, ut de aliis fieri possit conjecturà. Tribuit Canon ille Tiberio annos Imperii 22 præcisè à morte Augusti supputatos, & desinentes die 13 Mensis Augusti, Anni Vulgaris 36; ita ut postridie ineat Imperium Caligulæ cum novo anno Ægyptiaco; cùm tamen è vivis excesserit Tiberius die 17 Martii Anni Vulgaris 37, eique tunc successerit Caligula. Ad septimestre igitur spatium decurtatur Imperium Tiberii, eodemque temporis spatio antevertitur Principatus Caligulæ. Tito tres anni solidi tribuuntur in illo Canone: cùm tamen, præter tres menses non integros, per biennium dumtaxat imperarit. Obiit Nerva die 27 Ianuarii, Anni Dionysiani 98. Traiani tamen successoris immediati annos orditur cum illo Canone Ptolemæus à die 30 Iulii, Anni 97; prolepsi Mensium ferè sex. Decessit Hadrianus die 10 Iulii, anni Vulgaris 138; Antonini tamen successoris Imperium istîc inchoatur à die 20 Iulii, Anni 137: utique per prolepsin anni integri, demptis diebus decem, ratione quorum totus ille annus Antonino adscribitur. Plura hujusmodi reperies in illo Canone, apud Calvisium, Petavium, aliosque extante.

ex Annis Nervæ Imperatoris,

Scribit Baronius, *ad Annum* 171, *num*. 2, *Ex numero Tribuniciæ Potestatis certam ac firmam stabiliri Chronographiam annorum cujusque Imperatoris*. Atqui Nerva, qui ex privato ad Imperium evectus est Mense Octobri Anni Vulgaris 96, & vitâ functus die 27 Ianuarii Anni 98, adeoque sedecim dumtaxat Mensibus regnavit, in Nummis antiquis adscriptam habet Tribunitiam Potestatem tertiò repetitam; imò & in quibusdam Nummis Græcis ita legitur: ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΝΕΡΟΥΑ ΚΑΙϹΑΡΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΕΤΟΥϹ ΤΡΙΤΟΥ. *Imperatoris Nervæ Augusti Germanici Anno tertio*.

Tres

Tres igitur, nec integri, Menses postremi Anni Vulgaris 96 in unum Annum seu Imperii, seu Tribunitiæ Potestatis computantur. His non absimilia reperies, si annos quibus imperarunt Antoninus Elagabalus, Gordianus tertius, Trebonianus Gallus, & Volusianus, conferas cum Annis Tribunitiæ Potestatis, quos eorum Nummi adscriptos habent.

ex Olympiadibus,

Olympiadas solido dumtaxat quadriennio constitisse, eóque evoluto Ludos Olympicos repeti solitos fuisse, notissimum est, frustráque eâ de re dubium movet Jacobus Pontanus, *Comment. in lib. 4 de Ponto, Eleg. 6.* Et tamen, *eo loco*, ab Ovidio dicitur *quinquennis Olympias.* A Phlegonte, eodem sensu πενταέτης vocatur, *in Fragmentis à Meursio editis*; & ab aliis dicitur διὰ πέντε ἐτῶν ἀγόμενα: quo de loquendi modo videndus Erycius Puteanus, *Opusc. de Olympiadibus, cap. 5.* Quadriennium illud Olympiadicum à Juliano Imperatore, *Epistolâ* 35, appellatur πενταετηρίς, seu, *quinquennium*; & Censorinus, *lib. de Die Natali, cap.* 18, sic habet: Πενταετηρίδας *maximè notandis temporibus Græci observant, id est, quaternûm annorum circuitus, quas vocant Olympiadas.* Quæ sibi constare non possunt, nisi anni extremi in numerum veniant. Vide Petavium, *in Notis ad illam Juliani Epistolam.*

ex Annis Galbæ Imp.

Dio, *in Xiphilini Excerptis*, Galbæ tribuit annos vitæ septuaginta duos (ubi notandi numeri Cardinales) cùm tamen, teste Suetonio, natus sit die 24 Decembris, Messalâ & Lentulo Coss. id est, Anno Juliano 43, perieritque circa medium Januarium anni Juliani 114. Dies igitur octo ex anno 43, & dies circiter 15 ex anno 114 pro binis annis habentur à Dione. Vide plura his non absimilia apud Hervartum, *cap.* 251 *Nova Chronologia.* Hic obiter tantùm observo, Chronologos annis Julianis aptantes annos Olympiadum, aut Urbis conditæ, hos à Veris, illos ab Æstatis initio ineuntes, sæpè per Prolepsin hujusmodi annos ad caput Anni Juliani revocare. Unicus in præsens nobis sufficiat Salianus, qui ad Annum Mundi 4012, ita loquitur: *Secundus Octaviani annus, secundus est Triumviratûs; sed utrobique inchoatus dumtaxat: à decimo Calendas Octobris prior; posterior à quinto Cal. Decembris. Sic enim oportet nos annos numerare, qui eos à Calendis Januariis auspicamur.*

Anni Urbis & Olympiadum revocati ad caput Anni Juliani.

Supputatio per Consulum Collegia.

Pro calculo per Consulum Collegia inito, computatis ambobus extremis, facit Velleius, *lib.* 2, dum Tiberium ab Augusto adoptatum ait V Kal. Julias, Ælio Cato, & Sentio Coss. (seu Anno 4 Æræ Vulg.) *abhinc* (scribebat Anno 30 Vulgari) *annis* 27. Paria igitur Consulum numerare videtur, & extrema comprehendit. Censorinus, *cap.* 21, ab Antonino Pio II & Brutio Præsente Coss. (seu Anno Æræ Vulg. 139) ad Ulpium & Pontianum Coss. (seu Annum Vulg. 238) numerat annos centum. Quod utique stare non potest, nisi extrema Collegia includantur. Zozimus, *lib.* 2, à Consulatu Chilonis & Libonis (seu, Anno 204) ad Diocletianum IX, & Maximinianum VIII Coss. (seu Annum 304) dicit elapsos (nota τὸ *elapsos*) annos centum & unum. Item ab eodem Chilonis & Libonis Consulatu ad Constantinum III & Licinium III Coss. (anno 313) dicit completos fuisse (iterum nota τὸ *completos*) annos centum & decem. Eâdem igitur cum prioribus jam citatis utitur supputandi ratione.

Recentiorum suffra-

Inter recentiores Scriptores, Salmeron *To.* 12 *Tract.* 60: *Una*, inquit, compu-

gium; Salmeronis. tandorum annorum *est ratio communis & expedita* (nota τὸ *communis*) *quæ omnes annos quos Imperatores sive transegerunt, sive attigerunt, numerat integros, ut, minutiis parvis omissis, numerus rotundetur.* Paulò pòst autem subdit, rotundam illam & communem computandi rationem, & humanis & divinis litteris familiarem esse ac frequentem. Baronii, Baronius, *ad Annum Christi* 34, *num.* 151, ita explicat dictum Phlegontis (ut quidem vulgò legitur) de Eclipsi maximâ visâ Anno 4 Olympiadis 202, ut dicat eam ad Annum 32 Æræ Vulgaris, cui ipse Christi Passionem alligat, referri posse: eò quòd anni illius Romani æstate inchoetur annus quartus dictæ Olympiadis. Rectè igitur, ex Baronii sententiâ, dicitur Christus passus anno illo quarto, qui nonnisi quarto post Christi Passionem mense fluere cœpit: quia, si per Prolepsin ad caput Anni Romani revocetur, complecti poterit tempus Passionis in Martium incidentis. Vide eumdem *num.* 152, *in fine*, ubi addit: *Sic consuevisse Majores ab Anni exordio ipsum integrum denominare, multis exemplis esse facile demonstrare.* Serarii, Serarius *Parte* 2 *Thesium de S. Paulo, & Judâ proditore, num.* 1, admittit S. Pauli Conversionem contigisse Mense Januario Christi Ascensionem proximè secuto: ac nihilominus rectè ab Antiquis dici, anno post illam secundo contigisse; ita nimirum ut menses ab Ascensione ad exeuntem Decembrem lapsi pro primo anno computentur. Saliani, Salianus, *Anno Mundi* 4053, *Juliano* 45, cui mortem Herodis affigit, numerat annum Regni ejus quadragesimum à priore Epochâ fixâ in anno Juliano 6 labente; & trigesimum-septimum à posteriore fixâ in anno Juliano 9 jam adulto: cùm tamen à priore non fluxerint anni integri 39, à posteriore non toti 36. Riberæ, Ribera, *in caput* 1 *Zachariæ, num.* 23 *&* 24: *Verum*, inquit, *& non Scripturæ modò, sed omnibus etiam Historiis utile documentum observandum est, annos vitæ aut Regni alicujus interdum integros solùm numerari, interdum etiam imperfectos . . . . . Quare cùm uno tantùm anno differunt Scriptores de eodem loquentes, aut duobus* (nota τὸ *duobus*) *nequaquam differre putandi sunt.* Equidem illud de *duorum annorum* discrimine verum esse non potest, nisi duo anni imperfecti ab uno Scriptore numerentur, ab altero penitùs omittantur. Henrici Philippi. Consule de his Henricum Philippi, *Introduct. Chronolog. cap.* 18, *num.* 18 *& seqq.* Certè sic semper existimavi, similium observationum neglectum esse unum ex præcipuis fontibus errorum, qui in variorum, præsertim Recentiorum Chronologias irrepserunt. Ignoscat eruditus Lector importunæ tot testium coacervationi, quâ minimè opus foret, si Adversarios aliquantò æquiores nacti essemus.

CAPUT VIGESIMUM-OCTAVUM.

Occurritur cuidam exceptioni adversus suprà dicta.

Bucherii exceptio. Finem fusiori huic disceptationi de numero Annorum Regni Herodis statueram hîc imponere: sed ecce manum injicit Bucherius, *lib.* 2 *Belgii Romani, cap.* 6, *num.* 27, ubi vehementissimè contendit Josephum ex monumentis, Actisque publicis, certò & exactè annos illos didicisse. ita autem loquitur: *Tot adhuc Herodis*

Herodis supererant Edicta, tot Leges, tot Contractus, tot Sculpta saxis & ædificiis illius Inscriptiones, certis Regni & filiorum ejus annis signata, ipsum denique Regis ipsius Epitaphium, in Regio castello Herodio, Hierosolymis ferè contiguo, omnium oculis expositum, non anno modò, sed & mense diéque mortis insculptum, centies à Josepho quoque ipso perlectum, & in codicillos haud dubiè pro Historiâ suâ relatum (quis enim non faceret?) & in re tantâ tantus Vir deviâsset? Historiam ille suam è Nicolai Damasceni scriptis tum publicis compilavit; Nicolaus Herodi morienti tamquam intimus præsens adfuit: diem hic mortis, cui interfuit, ignorâsset, malè transcripsisset, aut Josepho cæterisq; imposuisset? &c. Homines novi, Josepho Nicolaoq; annis ferè 1500 posteriores, clariùs in Herodis morte, quàm testes oculati vidissent? Credat Judæus Apella. Non ego. Hactenus Bucherius.

Sed nullo negotio totus hic impetus retunditur. Damus ultro Nicolaum Damascenum, &, ex eo aliisque, Iosephum probè calluisse Annos, Menses dies Regni Herodis, imò, si lubet, etiam horam ac momentum mortis; neque aut ego, aut *novorum* aliorum *hominum* ullus, unquam cum illis eâ de re contendemus. Quin etiam dolemus universi Commentarios Nicolai, temporum injuriâ, periisse; ex quibus non dubitamus quin tota hæc lis facillimè potuisset componi. Quod verò ad Josephum spectat, si quam ille diligentiam adhibuit in consignandis Annis, Mensibus, ac diebus Imperii tum Augusti, tum Tiberii; eamdem in designando exactè tempore Regni Herodis attulisset: cessaret etiam haud dubiè nunc tota hæc controversia. Verùm quia id non præstitit, solosque Annos, nec eos (etiam ex Bucherii sententiâ) integros expressit; cogimur conquisitis ex ejus Operibus adminiculis variis, ipsius mentem exquirere. Quod igitur unicè nunc agitur, est; An Anni septem & triginta Regni Herodis ab Epochâ Romanâ, quatuor & triginta ab Hierosolymitanâ, quos Josephus suis scriptis ad nos transmisit, ita sumi debeant; ut extremi, quantumvis imperfecti, in numerum veniant; An non. Hoc posterius amplectitur Bucherius (& si parum consequenter, juxta dicta suprà, *cap.* 20.) nos illud prius; ad id nos cogente tum Eclipsi, de quâ suprà, *cap.* 15, *Hypothesi* 4, *& iterum infrà*, *cap.* 29; tum relegatione Archelai, de quâ suprà, *cap.* 15 *cit. Hypoth.* 8, *& iterum infrà*, *cap.* 30; ut alia hîc omittam: quem supputandi modum jam fusè stabilivimus tam ex sacris litteris, quàm ex aliis Scriptoribus omnis generis ac ætatis, ipsóque Bucherio. Frustra itaque in nos torquentur omnia jam allata. rejicitur.

Indiscussa tamen abire non debent ex iis nonnulla, nominatim quod tantâ asseveratione dicitur de *tot Edictis*, *tot legibus*, *tot Contractibus*, *tot Inscriptionibus ædificiorum* Herodiani Regni anno signatis, & de *Epitaphio*, cui Annus Mensis, Dies mortis Herodis fuerint insculpti: quæ unde Viro docto innotuerint, cum hodie nihil ejusmodi extet, quæsierunt nonnulli, antequam librum suum prælo committeret. His ille ad hunc modum, *cap.* 6 *cit. num.* 33, respondendum duxit: *Peto vicissim, An de Francorum, Hispanorum, Germanorum, Romanorum, ac cæterorum omnium Regum operibus & edictis petere audeant? Quid hoc aliud esset, quàm rebus desperatis experiri ultima? Herodem nempe hominem aliàs corruptissimum vanissimumq;, faciunt sanctissimum, solâ virtute, nullâ gloriolâ, ad similia concitatum, potiùs quàm expansis tot Edictorum, Inscriptionum, Contractuum publicorum,* Bucherii responsio,

publicorum, ipsius etiam Epitaphii annis convinci se sinant. Quid est victoriæ desperatio, si hac non est? Ita ille.

improbatur. Missis retortionibus & retaliationibus, quibus nihil foret facilius; nihildum in illis verbis video, quo postulationi fiat satis. Universim de *omnium Regum*, aut Principum Operibus, Edictis, Epitaphiis, ac similibus litem movere, hominis esset indocti; imò, si lubet, etiam audacis: at de quibusdam, de quorum annis ac morte disputant eruditi viri, nullis extantibus monumentis publicis certum annum, mensem, diem mortis significantibus, aut præcisam Regni durationem definientibus, meritò, omnium judicio, quæreretur ex eo, qui talia allegaret; neque à quoquam censeretur aut *de victoriâ desperare*, aut *ultima experiri* velle, aut *convinci* nolle, qui de talibus interrogaret quempiam, qui illis niteretur. Fateor igitur esse quàm plurima apud omnes nationes hujusmodi monumenta certis Principum annis insignita: at ex illis ad omnia, aut ad unum aliquod de quo dubitetur, argumentum sumere; esset, ut mollissimè loquar, hominis non rectè ratiocinantis.

Leges carentes fuerunt Authorum Annis; In Codice tum Theodosiano, tum Iustinianæo prostant *Leges & Edicta* complurium Imperatorum, in quibus nulla prorsus de horum annis fit mentio; sed soli leguntur Consules, sub quibus emanarunt. Primus inter Imperatores Justinianus horum annos Actis publicis addendos edixit, *suâ Novellâ Constitutione* 47, anno secundo post Belisarii Consulatum editâ; hoc est, anno Æræ Vulgaris 537.

item opera publica, *Opera publica* Regum & Imperatorum aut nullis Inscriptionibus notata, aut, si quæ adscribantur, nullis eorum annis distincta passim reperire est: eademque est ratio de Operibus in eorum honorem erectis. Ex quo Stemmata gentilitia invaluerunt, iis solis contenti fuerunt varii; alii adjecto dumtaxat suo nomine.

Epitaphia, *Epitaphia* Imperatorum, Regum, ac Principum, omni prorsus temporum charactere destituta suggerunt Scriptores quàm plurimi: nominatim Diodorus Siculus, *lib.* 2, recitans Sardanapali Epitaphium. Vrnæ Caii Cæsaris ab Augusto adoptati, & in spem Imperii educati, id solum adscriptum est: *Ossa C. Cæsaris, Augusti F. Principis Juventutis.* Eamdem simplicitatem sapit Epitaphium tum Neronis, tum Agrippinæ Matris Caii, *apud Gruterum*; tum Gordiani tertii, *apud Julium Capitolinum*; tum Probi, *apud Vopiscum.* Francorum aliquot Regum & Reginarum sepulchra, apud Jacobum Doublet, *in Historiâ Abbatiæ S. Dionysii, l* 4, *cap.* 2 *& seqq.* has præferunt simplicissimas Inscriptiones: *Peipinus Rex, Pater Karoli Magni. Berta Regina, Vxor Peipini Regis*; & ita de pluribus aliis ibidem descriptis. Ante paucos annos repertum est Tornaci sepulchrum Childerici primi, Francorum Regis (de quo eruditissimè Chiffletius, Opere singulari) adeo omni carens Inscriptione; ut, absque sigillo aureo & faciem & nomen Regis præferente fuisset, quis eo conderetur fuerimus in hanc usque diem ignoraturi. Visuntur hodieque Hierosolymis Epitaphia Regum Godefridi & Balduini, in quibus ne verbum quidem de annis seu Regni, seu vitæ, seu Mortis eorum.

Cōtractus. *Contractibus* ne nostris quidem moribus adduntur Regum anni. Olim apud Romanos, etiam sub Imperatoribus, communissimè solorum Consulum nomina adscribebantur. Apud Judæos celebris olim fuit Æra Seleucidarum, quam hodieque *Æram Contractuum* appellant. Ejus initium in anno Periodi Julianæ.

Æra Contractuum.

4402,

4402, ante Æram Vulgarem 312, fixum est; ut declarat Petavius, *l.* 10 *Doct. Temp. cap.* 40, *& seqq.* fuisseque usurpatam etiam post tempora Simonis Pontificis, cujus annos gestis publicis cœpisse adscribi testatur Scriptor *libri 1 Machab. cap.* 13, *v.*41, non malè ex Thalmudicis colligit Petavius, *ibid. cap.* 53. Quid verò sublatis Hasamonæis observatum sit; an scilicet nudi illius Æræ jam receptæ anni, an etiam summi Pontificis, an insuper Regis Judæorum, aut Romani Imperatoris anni fuerint contractibus adjecti; quis prudens, in tantâ rerum caligine tantoque Josephi silentio, certò affirmare audeat? Equidem Lucas, *cap.* 3, solius Tiberii annum 15 assignat; non Pontificum, aut Tetrarcharum: Matthæus, *cap.* 2, & Lucas, *cap.* 1, phrasi hac generalissimâ utuntur: *In diebus Herodis Regis.*

Illud saltem ex hactenus dictis habemus, non sine causâ dubitari de annorum Herodis adscriptione in Ædificiis, Edictis, Epitaphio, & Contractibus: adeóque ex eo, qui adscriptos asserat, jure quæri unde id hauserit, nullo hujusmodi monumento comparente. Nam, ut habet Jurisconsultorum Axioma: *Affirmantis est probare*; &, *Paria sunt rem non esse, & per legitimas probationes non apparere.* Dubia probari debet.

Ad posteriorem responsi partem, non video quo ex capite *Herodem sanctissimum*, aut *nulla gloriola concitatum* facere dici posset, qui Opera ejus publica nullis ejus annis prænotata vellet; cùm ad ejus vanitatem explendam satis esse potuerit hæc, aut similis Epigraphe: *Herodes Rex hoc Templum, hanc Civitatem, &c, construxit.* Equidem Hadrianus Imperator (aliàs *corruptissimus vanissimusq.*) *Titulos*, teste Spartiano, *in Operibus non amavit. Et quum Opera ubique infinita fecisset, nunquam ipse, nisi in Traiani patris Templo, nomen suum scripsit*; ut suprà, *cap.* 23, dicebamus. Etiam vanissimi abstinent ab apponendis suis nominibus Operi alicui.

Sed age (quandoquidem hæc omnia eo tantùm fine sint allata, ne quis imperitus verbis suprà recitatis terreretur) gratis demus Herodis Annos, Menses, Dies, Operibus ejus appositos fuisse: semper redibit quæstio ab initio instituta, quânam ratione sumi debeant anni illi, quos solos expressit Josephus: an scilicet completi; an potiùs incompleti quoad ambos extremos; an quoad solum postremum: eritque hujus nodi solutio aliunde, quàm ex hujusmodi prætensis Inscriptionibus petenda, prout nos tanto molimine petimus ex Josepho. Etiam dato eo, quod quæritur, manet dubium.

Urget quidem Bucherius Chronologiæ suæ cum Historiâ Græcâ ac Latinâ connexionem: sed eam nos longè potiori jure urgere possumus, ac insuper Josephi (quo potissimùm & Bucherius & nos nitimur) cum seipso consensionem; quam nec ipse nec ullus alius ex Deckerii sequacibus tueri poterit; tum aliis, tum maximè Eclipsi, de quâ suprà *cap.* 15, *& iterum mox capite sequenti*, apertè eorum Chronologiæ repugnantibus. Major connexio Chronologiæ nostræ cum Historiâ, quàm Bucherianæ.

Similiter quòd sex Pharisæorum millia, occasione descriptionis Universi Orbis, de quâ Lucas, *cap.* 2, jusjurandum in verba Cæsaris ac Herodis detrectâsse contendit, totis circiter quindecim mensibus ante mortem Herodis: eâdem facilitate negatur, quâ asseritur; & jam suprà, *cap.* 13, diximus id aliâ occasione, quàm Census universalis, qui sub Christi Natalem institutus est, contigisse. Quo fundamento subruto, profectio Antipatri Romam suscepta, & dilatus in septimum mensem ejus reditus (quæ duo nobis à Bucherio objiciuntur) nullam habent Duplex remora sublata.

bent difficultatem. Sed jam tempus est, ut post tantam moram in tribus primis Hypothesibus capitis 15 positam, ad sequentes instituto nostro applicandas pergamus.

CAPUT VIGESIMUM-NONUM.

Applicatur nostræ sententiæ Hypothesis quarta Capitis decimi-quinti.

Invictus character Eclipseos Lunaris.

PAlmaris, &, si aliis jungatur, invictus est hic character Lunæ eâ nocte deficientis, quâ Herodes non ita diu ante mortem suam Sophistas seditionis authores vivos igni tradi jussit, ut suprà *cap.* 15, *Hypoth.* 4, *& cap.* 19 dicebamus. Nam tam qui Herodem anno Juliano 43, quàm qui 44 mortuum volunt (qui duo anni majore veri specie revocari possent in dubium) nullam omnino Lunæ Eclipsim proferre possunt illi Hypothesi congruentem. At qui nobiscum censent mortuum anno Juliano 42, duas Lunæ Eclipses in promptu habent, ex quibus Hypothesi illi quartæ faciant satis; alteram Digitorum sex, quæ Hierosolymis contigit anno illo 42, unico Mense ante Pascha, die nimirum 13 Martii strictè Juliani, Horâ 3, Min. 18, cujus calculum exhibent Kepplerus *pag.* 102 *Tabul. Rudolph.* & Petavius, *To.* 1 *Doctr. Temp. pag.* 820: alteram ferè 20 digitorum, anno præcedente Hierosolymis conspicuam die 15 Septembris, sesqui horâ ante mediam noctem. Priorem illam, quâ nituntur Kepplerus, Petavius, & Billius, vult Malbrancus *non mereri nomen defectûs simpliciter:* sed Astronomi totis decempedis non metiuntur Eclipses.

Duæ Eclipses pro nostrâ opinione de Herode mortuo Anno Iul. 42.

Prior Eclipsis impugnata à Calvisio & Langio.

Alio ex capite adversus eam insurgunt Calvisius, *in Epistolâ, quæ in Eclogis Chronologicis Keppleri habetur, pag.* 10 *&* 11, & Langius, *lib.* 2 *de Annis Christi, cap.* 18. Illud porrò maximè urgent communibus viribus, non potuisse intra unum præcisè mensem, qui ab hâc Eclipsi fluxit usque ad Pascha, confici ea omnia, quæ narrat Josephus, *lib.* 17 *Antiq. cap.* 8, 9, 10, 11. Speciatim verò urget Langius pompæ funebris moram, quam scilicet ad totos 25 dies extendit; eò quòd Herodium Castrum, quò Herodis cadaver illatum est, Jerichunte, ubi is decessit, distet stadiis ducentis, quod etiam confirmat Hegesippus, *lib.* 1 *Excidii, in fine.* Quovis autem die ad octo dumtaxat stadia processisse pompam illam, contendit colligi *ex libro* 17 *Antiq. cit. cap.* 10, *collato cum ultimo libri primi de Bello.* Addit Archelaum ex officio funeris reversum Hierosolymam, per septem alios dies parentem luxisse; deinde plebi funebre epulum præbuisse, ac postea in Templum ascendisse, benignè allocutum esse populum, & sacrificâsse. Exortum interea esse tumultum, quem Archelaus lenibus verbis sedare conatus, plebem magis irritârit, ac denique secutum esse festum Paschatis, &c. Ex quibus omnibus tandem vult Langius confici, *manifestum esse, Herodem* 40, *aut ad minimum* 33 *diebus ante Pascha decessisse*: atque ita Eclipsim, quâ de agimus, non posse esse eam, quam testatur Josephus præcessisse obitum Herodis.

Enimverò

Enimverò quod ad tam lentam funeris pompam attinet, testudines planè fuisse oportet, quotquot Herodis funus prosecuti sunt; si totos 25 dies impenderint conficiendo itineri, quod (etiam admissâ Hypothesi Langii de distantiâ stadiorum 200) intra diem unicum, aut, ut summùm & commodissimè, intra biduum confici potuit: cùm ducenta illa stadia nonnisi octo leucas horarias complectantur. Imposuit haud dubiè Langio non satis penetratus Josephi sensus, qui, *capite illo* 10 *cit.* aliud non vult, quàm ingentem pompæ apparatum ibi descriptum, Jerichunte *progressum esse ad octo stadia Herodium versus*; quibus verbis insinuat reliquum iter minore comitatu peractum fuisse: quanto autem temporis spatio, non exprimit. Quod si Adrichomio Sanctorum Locorum inspectori credimus; distat Herodium quatuor tantùm leucis horariis ab Jerichunte. Et verò si quis Herodis Hierosolymâ fugientis iter Massadam versus, & Maris mortui extremitatem Australem (de quo Josephus, *lib.* 1 *de Bello*, *cap.* 31, *& lib.* 14 *Antiq. cap.* 25) attentè consideret; manifestè cognoscet fieri nullo modo posse, ut Herodium ducentis stadiis Jerichunte distet, si quidem ab Hierosolymis remotum sit stadiis dumtaxat sexaginta, quod Josephus locis citatis iteratò affirmat; adeoque locum illum de ducentis stadiis esse meritò de mendo suspectum; etsi solutio illa minimè nobis sit necessaria. propugnata.

Cætera quæ nobis opponit Langius, varieque exaggerat Calvisius; quasi inter allatam à nobis Lunæ Eclipsim, & proximè secutum Pascha, peragi non potuerint ea omnia, quæ Josephus medio illo tempore contigisse scribit; carent difficultate, si rectè in sua tempora distribuantur: quod ad hunc modum, præter propter, non incommodè fieri posse videtur, rerum serie altiùs paulò repetitâ, servataque Anni strictè Iuliani formâ. Distributio temporis ab illa Eclipsi ad sequens Pascha.

Exeunte Februario fuerit Herodes morbo correptus, eaque occasione testamentum condiderit. Aliquot pòst diebus sparsus fuerit rumor de morbo ingravescente, factoque jam incurabili: ideoque Iudas & Matthias Legis Doctores consilia cum juvenibus sibi addictis agitare cœperint de deturbandâ aquilâ aureâ, præcipuæ Templi portæ à Rege impositâ. Mox supervenerit alius rumor de eo animam agente, aut etiam extincto; pronosque ad facinus juvenes perpulerit ad meditata consilia executioni mandanda, die v. g. octavâ Martii. Seditiosi illicò comprehensi & ad Regem perducti sint; postridie Herodes, convocatis Iudæorum primoribus, quotquot Hierosolymis tunc erant, orationem habuerit, quâ sua in Iudæos beneficia exprobravit: missisque per omnem ditionem nuntiis Optimates omnes minaci Edicto Ierichuntem convenire jusserit. Die 11 seditiosi eò missi fuerint, & vespere diei insequentis partim rogo addicti, partim obtruncati, eaque nocte Luna deliquium, de quo suprà, passa sit. Eodem tempore Regi morbus factus sit gravior, conquisitique medici. Die 15 delatus fuerit Jerichuntem versus, ac postridie ad vicinam Callıroën, ibique se thermis foverit triduo insequente. Die 20 immissus in solium oleo plenum, penè animam exhalârit; moxque ad se reversus, nullam ampliùs salutis spem superesse intelligens, multa militibus, Ducibus, amicis largitus sit. Die 22 Jerichuntem reversus, ibi Judæorum Optimates repererit, de quibus statim ab obitu suo trucidandis feralia mandata sorori suæ Salome, ejusque marito Alexæ clàm dederit. Quod dum facit,

Falsus rumor de Herode extincto; Aquila aurea deturbata.

Optimates Judæorum convocati.

Supplicium de seditiosis. Lunæ Eclipsis.

facit, supervenientibus ab Româ litteris potestatem concedentibus de Antipatro filio suo, prout vellet, statuendi; eo nuntio tantisper per diem illum se recreârit: Die 23, per speciem pomi perpurgandi, cultellum popoſcerit, eoque se occidere tentârit. Hinc exorto luctu & strepitu, Antipater parentem obiisse ratus se vinculis solvi postulârit, eoque pacto sibi necem accersiverit. Die 23 testamentum mutârit, & exinde sensim tetenderit ad mortem; quam denique obierit die 27 Martii, quinto à nece Antipatri, & (juxta Epiphanianas Bucherii Tabulas) secundo Paschalis mensis Nisan, qui etiam primus fuerit dies septiduani luctûs apud Judæos recepti; ut patet *ex Ecclesiastici cap. 22, v. 13. aliisq́. Sacræ Scripturæ locis*, adstipulante insuper, quoad præsens negotium, Josepho ipso.

Mors Antipatri.

Mors Herodis.

Funus.

Statim à Regis obitu, & antequàm is vulgaretur, Optimates domos suas repetere jussi sint à Salome & Alexâ. Eodem die, interim dum Regia supellex pretiosior Hierosolymâ accersitur ornandæ pompæ funebri, lectæ fuerint Herodis litteræ ad milites, & recitatum ejus testamentum, quo Archelaus Rex designabatur. Omnibus per sex dies ad pompam funebrem raptim comparatis, delatum sit Herodis corpus in Castrum Herodium, & ibidem sepultum die 2 Aprilis, & 8 Nisan. Postridie Archelaus, expleto jam luctûs septiduo, profectus sit Hierosolymam, sacrificia obtulerit, epulum funebre populo præbuerit. Die 4 Aprilis, dum Archelaus convivia cum amicis celebrare incipit, & plebis postulatis annuere ad captandam ejus gratiam; varii qui Aquilæ aureæ deturbatores supplicio affectos lugere antea prohibiti erant Herodis metu, seditionem *instante jam Paschate* concitârint. Eam blandis primùm verbis reprimere conatus sit Archelaus; deinde vi etiam adhibitâ, & cum multorum cæde, jussis reliquis domum redire, & Festum Paschale deserere. Hoc transacto, cum matre & multis ex amicis ad mare descenderit, properè Romam profecturus ad Cæsarem, à cujus voluntate voluerat Herodes sui testamenti confirmationem pendere; quæ præcipua fuit Archelao causa tantopere & paternum funus, & Romanum iter urgendi.

Archelai gesta Hierosolymis.

Potuissent quædam ex suprà dictis magis laxari.

Poterant ex jam dictis nonnulla paulò magis laxari, ac nominatim mors Herodis ad aliquot dies differri; uti & tumultus postremus lugentium Aquilæ aureæ demotores conferri in ipsam septiduanam Paschatis celebritatem; id omninò patiente voce ἐνςάσης, apud Josephum, quæ non tantùm mox *instantem*, sed etiam *præsentem* celebritatem potest significare: & hoc posterius fortassis ei loco magis quadrat. Malui tamen priori significationi ibi apud plerosque receptiori, allatum suprà distributionis temporis specimen aptare; ut ostenderem tantas non esse angustias illas, ad quas nos ex superiori Eclipsi redigi quidam exaggeratiùs pronuntiant. Fiet hoc aliquantò faciliùs, si posteriorem vocis ἐνςάσης significationem amplecti velimus, & Archelaum à parentis funere reducem octavâ demum die Aprilis, decimâ-quartâ Nisan Hierosolymis sistere, servatâ in Antipatri ac deinde Herodis morte, hujusque funere, analogiâ, & habitâ diei Sabbathini ratione. Vide Kepplerum *in Commentatiunculâ de Anno Natali Christi, cap. 9*, ubi & paulò aliam temporis rationem suggerit, & variis Calvisii objectiunculis respondet, quibus nos immorari non est operæ pretium.

Quidam plures Men-

Quàm diversa sint hominum judicia ex iisdem etiam rebus, vel ex hoc intelligi

ligi poteſt; quòd non pauci ab eâ temporis partitione quam modò inſtituebamus, alieniores, omninò ſibi perſuadeant pluſquam bimeſtri, aut etiam trimeſtri, neceſſariò à Paſchate diſtare debere illam Lunæ Eclipſim, quâ Sophiſtæ aliique ſeditioſi ſupplicio, Herodis juſſu, affecti ſunt Jerichunte. Quin etiam noſter Henricus Philippi, *in Quæſt. Chronol. de Annis Nati & Paſſi Salvatoris*, *cap.* 5, poſtquàm conatus eſt oſtendere omnia, quæ de Herodis morbo, morte, ac funere ſcribit Joſephus, intra unius menſis ſpatium compingi commodè non poſſe; tandem ſubdit: *Nonne ſatiùs foret annum ipſum interponere* (inter Eclipſim à Joſepho ſignatam, & Paſcha proximè inſecutum mortem Herodis) *ſi alterutrum è duobus* (nimirum vel de menſe unico, vel de anno ſolido interjecto) *affirmandum eſſet?* Sed cùm tantam laxitatem nemo præter illum, quod quidem ſciam, hactenus probârit, eique ſatis apertè repugnare videatur tota Joſephi narratio; poſſumus, mediam inter extremas viam tenendo, aliam Eclipſim maximam, non toto ſeptimeſtri à Paſchate illo diſtantem, noſtræ ſententiæ aptare, quæ Anno Juliano 41, die 15 Septembris, ſeſqui-horâ ante mediam noctem contigit, ut initio hujus capitis, & ſuprà, *cap.* 15, *Hypotheſi* 4, dicebamus. Ab eo ſiquidem tempore poſſunt quælibet Herodiani morbi ſymptomata, aliaque eò pertinentia ità extendi; ut mors Herodis commodiſſimè in medium circiter Februarium Anni Juliani 42 incurrat. Quo dato, nec curando per otium magnificentiſſimo ejus funeri, nec aliis illud ſecutis poterit ſpatium laxiſſimum deeſſe. Hâc ſolutione, ſanè non improbabili, ſi uti velimus; evaneſcent illicò omnes Adverſariorum impetitiones contra temporis anguſtias, quibus priorem noſtram ſolutionem urgent: ſtabuntque Anni 37, & 34 Regni Herodis, ſi per Conſulum Collegia, aut annos Romanos, imperfectos quoad extremos, modo ſuprà explicato, numerentur.

ſex volunt interpoſitos inter Eclipſim & Paſcha; etiam annũ interponi non vetat Henricus Philippi

Eclipſis altera, quæ mediæ ſententiæ poteſt ſubſervire.

CAPUT TRIGESIMUM.

Oſtenditur reliquas Hypotheſes Capitis 15 apprimè noſtræ ſententiæ congruere.

CUM Herodis obitum jam ſatis firmiter, ni fallor, affixerimus Anno Juliano 42, clarum eſt Caium Cæſarem, qui (*juxta Hypotheſim* 7) nonniſi circiter triennio pòſt Româ diſceſſit, potuiſſe (*juxta Hypotheſim* 5) intereſſe diſceptationi filiorum Herodis coram Auguſto Romæ habitæ; & cum his optimè convenire *Hypotheſim* 6, de Juliæ flagitiis Anno 44 Juliano detectis.

Applicatio Hypotheſis 5, 6, 7.

Hypotheſis octava, quæ eſt de Archelai relegatione Anno ſui Principatûs ſeu nono expleto, ſeu decimo inchoato, incidente in Annum Julianum 51, quæque exactiſſimâ Joſephi ac Dionis conſenſione firmatur, ſoli opinioni noſtræ convenire poteſt: & cùm tot characteribus, quos ſupra protulimus, ſtabiliatur; inter invicta pro nobis argumenta numerari poteſt. Quin & hinc manifeſtum evadit, cur Joſephus Archelaum jam nono, jam decimo anno relegatum ſcribat. Erat

item Octavæ,

enim annus ille 51, quo complebatur annus nonus Principatûs, & decimus inchoabatur. Eodem insuper anno inchoatus fuit, Mense Septembri, annus 37 à pugnâ Actiacâ, quem disertè signat Josephus; si quidem lubeat, ut passim faciunt Adversarii, à momento ad momentum annos illos supputare. Denique quidquid hîc ambigui esse posset, tollitur à Dione, assignatis iis Consulibus, qui certissimè anno Juliano 51 Magistratum gesserunt.

Nonæ, *Nona Hypothesis* commodissimum in nostrâ sententiâ locum habet; cùm tribus Procuratoribus Judææ sibi invicem succedentibus octennium tribuamus, quod ab Archelai exauctoratione ad Augusti obitum fluxit.

Decimæ, *Decima Hypothesis* de urbis specie à Philippo, jam Tetrarchâ, additâ vico Bethsaidæ, impositoque illi nomine Juliæ filiæ Augusti, cujus flagitia sub Autumnum anni Juliani 44 erupisse antea dicebamus, in solâ nostrâ sententiâ de morte Herodis, veri speciem habet. Nam ea sola solidum biennium reperire potest inter collatam Philippo Tetrarchiam & manifestationem adulteriorum Juliæ; quod saltem temporis spatium necessarium omnino fuit Philippo, primùm ad *res sua Tetrarchia ordinandas*; deinde ad illud novæ Urbis opus perficiendum, antequam Juliæ crimina in publicum proferrentur. Etenim ultra evulgatam Juliæ infamiam differri Urbis illius dedicationem, nullo modò patitur Augusti animus usque adeò à filiâ tantis probris fœdatâ abalienatus; ut ne minimam quidem ejus mentionem ferre posset. Non potuit haud dubiè tantum Augustæ familiæ dedecus latêre Philippum; qui proinde non adeò desipuerit, ut honore tanto prosecutus sit filiam tam exosam parenti, cujus ipse gratiam potissimùm ambiebat.

Undecimæ. Denique *undecima Hypothesis*, quâ mors Philippi conjicitur in annum 20 Tiberii, cùm jam annis 37 præfuisset Trachonitidi &c; aptissimè in opinionem nostram quadrat. Anno siquidem Juliano 79, Æræ Vulgaris 34, completur tum vigesimus Tiberii annus ab Augusti morte, tum Philippi trigesimus septimus à morte Herodis alligatâ anno Juliano 42. Numerum illum vigesimi anni Tiberii Zonaras, *Tomo 1 Annalium*, ante 500 anno scribens confirmat, Josephi verba transcribens; quod omnino est notandum, propter mox dicenda.

Objectio. At enim, inquies, ex Tacito, *Annali 6*, & ex Consulatu quem gessit Lucius Vitellius illo ipso anno 79, constare videtur Vitellium nonnisi in Paschate Anni Juliani 80 potuisse venire Hierosolymam, ut venisse scribit Josephus, *lib. 18 Antiq. c. 6*, ad cujus calcem narrat Philippi mortem: quæ proinde in annum illum 80, aut etiam 81 differenda sit. Favet Rufini versio, quæ postremum ac fatalem Philippi annum alligat anno 22 Tiberii. Ita ferè Scaliger, *lib. 5 Emend. pag.* 433.

Responsio. Respondeo per hæc non satis everti annum 79, nixum constanti lectione Græcorum Iosephi Codicum nunc extantium, & confirmatâ à Zonarâ. Neque contra illam satis præsidii esse potest in versione Rufini, quam loco illo vitiatam certò constat; quandoquidem annum Tiberii vigesimum secundum cum anno etiam vigesimo secundo Philippi componat; quod ab omni veri specie est alienissimum. Mortem Philippi à Iosepho narrari post descriptum Vitellii adventum in Iudæam; non satis efficaciter probat hunc illâ priorem fuisse. Facilè enim reponi potest, rerum gestarum ordinem non semper eumdem esse ac narrationis ipsius.

Et-

Et verò Josephus, *extremo capite 5 ejusdem libri*, antequam de Vitellii in Iudæam profectione, & pace cum Artabano initâ, morteque Philippi agat, refert Pilatum à Vitellio amotum ab illius Provinciæ administratione, jussumque Romam proficisci, quò priusquam perveniret, vitâ excesserit Tiberius. Contigit hoc postremum anno Iuliano 82, quo Tiberius obiit; pax autem cum Artabano, Anno 80 composita est. Ordinem igitur rerum gestarum ibi nequaquam observavit Iosephus.

Neque est quod quisquam vim in eo faciendam putet, quod Iosephus post descriptam cum Artabano pacem, subjiciat: *Tunc etiam Philippus Herodis frater diem suum obiit &c.* Notum enim est particulam *Tunc* non perpetuò referri ad immediatè præcedentia; sed non rarò ad remotiora: aut etiam idem significare ac, *circa illud tempus*; ut communissimè observant Sancti Patres, sacrorumque voluminum Interpretes: qua de re vide nominatim Ioannem de Payvâ *l. 21 doctrinalis Sacræ Scripturæ, cap.* 34. Scrupulus sublatus.

Cùm igitur tot ac tam singularibus characteribus, nexu adamantino inter se colligatis, planum fecerimus, Herodem Anno Iuliano 42 vivis ereptum fuisse, Iosepho ac Dione ita in illum annum conspirantibus; ut nisi impensissimè, & deditissimâ operâ decipiendæ posteritati studuisse dicantur (quod perridiculum sit vel somniare) fieri non possit, ut inter tot ac tam varios eventus tanta temporum consensio reperiatur: dicendum omnino est nulli seu præcedentium, seu consequentium annorum tribui posse Herodis mortem. Quæ contra hæc à variis congeruntur, adeo nullius (quod paulò pòst videbimus) sunt momenti; ut si quis illa æquâ lance, & animo minimè occupato præjudiciis popularibus nullo solido fundamento nixis, expendat; conferatque cum hypotheseon suprà allatarum catenâ firmissimâ; facilè veritati à nobis traditæ, sese in dies magis exerenti, daturus sit manus. Et fortassis varia quæ hîc explicatiora reddidimus, non omnino nihil conferre poterunt ad complanandas difficultates, quarum inani specie deterriti permulti, in opiniones à veritate sejunctissimas abduci se sinunt. Corollarium.

CAPUT TRIGESIMUM-PRIMUM.

Elicitur ex dictis Verus Annus Natalis Christi; & ex Ministerio Zachariæ Sacerdotis in Templo confirmatur.

HErodis morte in annum Iulianum 42 collatâ, patenter quidem evicimus Christum seriùs, quàm Anno 41 exeunte nasci non potuisse; necdum tamen (ibi sistendo) evicimus, eo præcisè anno natum esse. Disquirendum igitur superest quanto, ab Herodis excessu, temporis intervallo per anticipationem sejunctus fuerit divinus ille Natalis: nec enim eâ de re satis convenit inter omnes. Quid hactenus evicerimus.

Omissis iis, qui, nullo satis apparente fundamento, quinquennium, sexennium, imò & septennium inter Christi ortum & Herodis excessum fluxisse volunt; seu quia tot annos Ægyptiaco divini Infantis exilio tribuunt ex aliorum autho- Ambiguitas verborum Matthæi cap. 2, v. 16,

authoritate quorum diversitas in divinando seipsam perimit; seu quia ab initio malè materiata eorum Chronologia illos ad tantum intervallum adigit; sunt non pauci, qui solidum biennium, & aliquanto amplius interjiciendum putent ex eo, quòd Herodis jussu necati sint Infantes *à bimatu & infrà, secundùm tempus quod exquisierat à Magis*, *Matth. c. 2, v. 16.*

quæ varias admittunt explicationes.

Sed verba hæc longè alias admittunt explicationes (ut apud Evangeliorum Interpretes videre est) quæ cædem non nisi bimestri à divino Natali disjungant; neç quicquam est quod fatalem Herodis diem longè ultrà proferre cogat. Certè Ecclesia *Magos ad præsepium* à stella deductos canit; nec ulla satis idonea potest adferri causa diu post eorum adventum dilati Infanticidii.

Qui menses 15 statuant inter Christi Natalem & mortem Herodis?

Alii, tam qui nobiscum sentiunt Herodem è vivis sublatum Anno Jul. 42, ut Kepplerus & Cappellus; quàm qui id in annum insequentem rejiciunt, ut Deckerius & Bucherius (ut nunc de aliorum opinionibus taceam ad rem nostram non ita facientibus) menses circiter quindecim intercurrisse existimant; sed ex diversissimis principiis. Cappellus enim id facit ideò, quòd Christum statuat passum Geminis Coss. seu Anno vulgari 29, dum annum ageret 34: quo jacto fundamento, Christi Nativitatem ad annum usque 40 Julianum desinentem debet velut necessariò evehere. Quæ ratio statim imbecillitatem suam prodit, si attendatur debilitas basis, cui tota incumbit; ut infrà, *Quæst.* 3 ostensuri sumus. Kepplerus spatium illud ideò interponit; quia sibi persuadet Censum, cui adscriptus est Christus, tanto intervallo præcessisse exitum Herodis ex hac vitâ. Verùm hoc ejus, uti & Deckerii ac Bucherii argumentum evertimus suprà, *cap.* 13, dum de Quirinii Censu ageremus; ubi ostendimus recusatum à Pharisæis jusjurandum, quo fides Cæsari ac Herodi obstringebatur, ad tempus Christi nati non necessariò pertinere.

Sufficiunt duo circiter menses.

Cùm igitur, ut censent permulti, non tantùm qui nobiscum de anno Natalis Christi, & mortis Herodis consentiunt; sed etiam qui in alias omnino sententias abeunt, majore inter illa duo intercapedine opus non sit, quàm duorum circiter mensium; ea nobis sententia omnino est amplectenda: tum ut Christi ortus quàm fieri potest proximè ad eos annos accedat, quos Antiquitas nobis signavit; tum ut, quoad licebit, quàm minimùm recedamus ab eâ ætate, quæ communiùs tribuitur Christo, seu Baptismum suscipienti, seu Crucem subeunti.

Christus Natus Anno 41. Juliano desinente.

Habemus igitur, quod tanto hactenus molimine investigavimus, Verbum divinum carnem nostram induisse, eâque indutum ex intemeratæ Virginis utero prodiisse Anno Juliano 41, & quidem (ut postea ostensuri sumus) die 25 Decembris, Augusto Cæsare XII, & L. Cornelio Sullâ Coss. Anno 4. Olympiadis 193 jam à semestri labente, Urbis conditæ Varroniano 749, Regni Herodis à priore Epochâ, 36; à posteriore, 33: ac denique anno quinto ante Æram Vulgarem.

Cõfirmatur ex Chronico Judæorum.

Præclarè confirmatur Annus ille ex majore Judæorum Chronico, *Seder Olam Rabba* dicto, cujus Author creditur R. Jose ben Chilpetha, & vixisse dicitur circa Annum Vulgaris Æræ 130, ut scribit Buxtorfius *in sua Bibliothecâ Rabbinicâ:* quique adeò potuerit vidisse excidium Templi secundi sub Tito Imperatore. Illud autem Chronicon, *cap. ultimo*, sic habet: *Quando Templum primò destructum est* (à Na-

(à Nabuzardan juſſu Nabuchodonoſori) *dies ille erat veſpera* quâ inchoandus erat dies *Sabbathi*, & erat *extremum anni ſeptimi. Erat autem cuſtodia*, ſeu hebdomas, *Joaribi*; *itemq; dies nonus menſis Ab: ſimiliter quãdo ſecũdò everſum eſt*, ſub Tito. De Menſe ac die, conſonat Calendarium Judaicum, in quo ad diem nonam mẽſis quinti *Ab*, legitur: *Deſolatio Templi prioris ac poſterioris*; indiciturque eam ob rem *Jejunium*. De Menſe item, tam Chronico, quàm Calendario conſonat Jeremias, *c.52, v.12 & 13*; ſed non de die: nam decimum aſſignat, quoad incendium Templi prioris; Joſephus autem, *lib. 7 de Bello*, *cap. 9*, conflagrationi utriusque deputat decimum diem Loi, qui apud illum ſcriptorem idem eſt ac Lunaris quintus Judæorum Menſis *Ab*. Fallitur enim Scaliger, & cum eo plures alii, qui menſes Macedonicos quibus utitur Joſephus, cum noſtris menſibus Julianis adæquatè componunt, & Templum die decima Auguſti, aut Julii incenſum eſſe aſſerunt; quod vel ex hoc Joſephi loco falſum eſſe liquidò conſtat; ut alia ejuſdem teſtimonia omittam, quæ congeremus infrà, *Quæſt. 3*, *cap. 21*. Porrò diei unius diſcrimen, quo Traditio Judaica differt à Jeremiâ, inde oriri potuit; vel quòd nocte inter nonum ac decimum mediâ, ignis in Templum fuerit injectus; ita ut, pro ratione dies numerandi jam ab ortu, jam ab occaſu Solis, poſſit id ad utrumque diem referri: vel quòd pars una Templi nono die arſerit, decimo autem Sanctuarium; quod in tam vaſto ædificio contingere proniſſimum fuit, ac reipsâ contigiſſe in Templi ſecundi deflagratione narrat Joſephus, *lib. 7 de Bello*, *cap. 9 & 10*. Vide apud Scaligerum, *in Appendice Operis de Emendat. Temp.* Carmen lugubre Judæorum de Templi deſolatione ſub Nabuchodonozore, quod ſic ſonat:

& eorum Kalendario.

Apparens diſſenſio de uno die.

tollitur.

Judæorum, Carmen lugubre de Templi deſolatione.

Die nonâ Menſis (Ab) *horâ veſpertini temporis*,
Quum eſſem in vigiliâ meâ, vigilia Joarib,
Introiit hoſtis, & ſacrificia ſua obtulit.
Ingreſſus eſt in Sanctuarium meum injuſſu Domini.

Vide etiam Interpretes, *ad lib. 2 Regum cap. 25, v. 8*. Porrò ut clarior fiat tum mens Chronici Judaici, tum ejus applicatio ad rem noſtram;

Primò notandum, *ex libro 1 Paralip. cap. 24*, Sacerdotes Summo Pontifice inferiores, tam de Eleazari, quàm de Ithamari ſtirpe, fuiſſe à Davide diſtributos in claſſes 24, quarum prima à Ioaribo familiæ capite nomen accepit; octava autem ab Abiâ. Ex hac fuit Zacharias Sancti Joannis Baptiſtæ parens, ut dicitur *Luca cap. 1, v. 5*.

Sacerdotes diſtributi in Claſſes 24.

Secundò, ſingulas Claſſes, ſeu (ut Lucas vocat) *Ephemerias*, per ſeptem dies, à Sabbatho ad Sabbathum miniſteria ſacerdotalia in Templo obiviſſe eo ordine, quem David ſorte ductâ inſtituerat. Cenſet Scaliger, *in Appendice ad libros de Emendat. pag. 50*, & Menochius, *l. 2. de Rep. Hebr. c. 2*, ſingulas claſſes miniſtrare cœpiſſe à matutinâ incenſi oblatione, quæ ante ſolis ortum peragebatur: ſed teſtis oculatus, & propriâ experientiâ fretus Joſephus *lib. 2 contra Apionem*, *pag. 1066 editionis Græcolat.* claré docet eos functiones ſacerdotales inchoaſſe à meridie prioris Sabbathi, & concluſiſſe meridie poſterioris. In totidem claſſes diſtributos fuiſſe Levitas Cantores, aſſerit, *Liber 1 Paralip. c. 25*; de Levitis etiam reliquis idem aſſerit Joſephus, *lib. 7 Ant. c. 11*. Quin & univerſos Iſraëlitas fuiſſe

Claſſium ſingularum vices.

incipiebant à meridie Sabbathi.

Totidem Claſſes Levitarum.

fuisse eâdem ratione in 24 ordines divisos, è quibus ii, qui viciniores erant Hierosolymis, eò se conferrent, & suâ hebdomade sacrificiis interessent, aliisque pietatis officiis speciali studio vacarent; alii remotiores, convenirent in Synagogas sui Domicilii, daturi operam orationi ac piæ lectioni, testatur liber Thalmud, *Massechet Tahanijoth*, *c.* 4; & *ibi* Mosesben Majemon, Obadias Bartenora, & alii.

Quæ ministeria sortirentur Sacerdotes?

Tertiò, fuisse Sacerdotum ministeria quatuor, quæ sorte inter ipsos dividebantur; videlicet, expurgare altare à cineribus, mactare juge sacrificium, offerre suffitum seu thymiama, deferre partes Agni à gradibus ad altare; ut docet Thalmudicus liber Ioma, *cap.* 2, & *ibi* Bartenora. Hinc est quod Zacharias, *Lucæ cap.* 1, dicitur, *secundùm ordinem Sacerdotii, sorte exiisse ut incensum poneret*; idque, *cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis* (seu Classis, vel Ephemeriæ) *suæ, ante Deum*.

Rigor in servando Classium ordine.

Quartò hunc Ephemeriarum ordinem, à repurgato per Judam Macchabæum templo, ad postremum ejus excidium, adeò rigidè & sine interruptione fuisse servatum; ut cùm, Tito Hierosolymam obsidente, nemo ex quadam Classe reperiretur qui Sacrificia offerret, eâ hebdomade fuerint intermissa; ut testatur Josephus, *lib.* 7 *de Bello*, *c.* 4. Rigorem illum sapit Lex ex antiquo Judæorum Jure relata à Scaligero, *lib.* 3, *Canon. Isagog. pag.* 298, quâ decernitur *pœna capitis in omnem sive Sacerdotem, sive Levitam, qui se functioni alterius immiscuerit.* Excipiebantur tamen festa Paschatis, Pentecostes, & Scenopegiæ, quibus omnes Classes simul & promiscuè ministrare poterant; exceptâ oblatione votivorum, spontaneorum, & jugis sacrificii, quæ soli illi Classi permittebatur, cujus eo tempore vices recurrebant, ut patet ex testimoniis allegatis à Scaligero *suprà*. Quæ omnia ita intelligenda sunt; ut non excludatur Summus Pontifex. Hic enim sicut suprà omnes Classes erat; ita ad singulas pertinere censebatur.

Neomenia Ab Anno Vulg. 70.

Quintò, ex dictâ Traditione Judaicâ cum Tabulis Astronomicis collatâ, Calendarium Judaicum ita se habuisse, dum Jerusalem à Tito obsideretur; ut Civilis Neomenia Mensis *Ab* inciderit in diem circiter 26 Julii; dies autem ejusdem Mensis nonus in diem circiter tertium Augusti, ac Feriam 6. Unde si dixerimus, sub vesperam hujus diei cœpisse incendium Templi, ac sequenti die, qui Sabbathinus erat, continuatum; & satisfaciemus Traditioni Judaicæ, & cum eâ Josephum conciliabimus, quoad tempus incendii.

Vices Classis Joaribeo Anno.

Ex hactenus allatis formo hujusmodi argumentum: Si Joaribi Classe vices suas obeunte incensum sit Templum Anno Vulgari 70, die nonô *Ab*, incidente in tertium Augusti, ac Feriam 6; iniverit Classis illa Sabbatho tunc incidente in diem 28 Julii. Ab hoc die si sursum retrogradè ascendamus ad annum usque Julianum 40, servato Classium Sacerdotalium ordine, de quo, *l.* 1 *Paral. c.* 24 *cit*; deprehendemus tandem Classem Abiæ, adeoque & Zachariam Joannis Baptistæ parentem, ministerium suum anno illo exercuisse in Templo à die 25 Septembris (formâ anni strictè Julianâ) ad diem 2 Octobris; quod spatium ferè totum concurrit cum festivitate Scenopegiæ: quâ expletâ potuerit Zacharias domum reverti, & Joannem generare circa diem quartum Octobris. Unde colliges paulò laxiùs accipiendum esse, quod scribunt varii, Joannem conceptum esse in Æquinoctio

Vices Classis Abiæ Anno Juliano 40.

noctio

noctio autumnali: præterquàm quod ex illis non pauci crediderint Zachariam ejus parentem fuisse summum Pontificem (quod jam passim rejicitur) & nuntium ab Angelo de nasciturο sibi filio accepisse die 10 Mensis Tisri, solemnisque apud Judæos Jejunii, dum in Sancta Sanctorum ingressus esset; quo etiam die conceptum Joannem existimarunt: quod postremum de se statim apparet parum verosimile.

Tempus à nobis Joannis conceptioni jam assignatum apprimè convenit cum historiâ Evangelicâ, ex quâ constat eum ita conceptum postquàm Zacharias recentissimè suas vices obiisset in Templo; ut Elizabethâ sextum jam mensem (utique Judaicum, seu Lunarem) gravidâ, missus fuerit Gabriel ad B. Virginem die (ut habet Ecclesiæ Traditio) 25 Martii. Ad hos menses Lunares dum non satis animum advertunt varii, qui Ioannis conceptionem affigunt diei 23, aut 24 Septembris; coguntur fateri Elizabetham septimum jam mensem à conceptione egisse, dum Gabriel B. Virginem salutavit: quod Evangelio adversatur. Joannes cōceptus sexto mense Lunari ante Christum.

Chronotaxin hanc nostram confirmat non parum quod nullo ex annis proximè sequentibus, nempe Iuliano 41, 42, 43, 44, vices Classis Abiæ tam oportuno tempore recurrerint, juxta hypotheses hoc ipso capite suprà allatas; ut & Annuntiatio sexto post conceptum Ioannem mense peragi potuerit; & Ioannes, post ordinariam in materno utero moram, natus fuerit in Solstitio æstivo, ut Ecclesiæ Traditione constat. Classium distributio singulariter cōvenit nostræ Chronotaxi.

Ex dictis hactenus colliges, quàm infeliciter hac Classium Sacerdotalium distributione usus sit Iosephus Scaliger, qui primus eas adhibuit. Dum enim anno divini Natalis minus rectè à se electo, Iuliano nimirum 43, Classes illas aptare studet; eò denique rem deduxit, ut statueret Ioannem mense Iulio anni Iuliani 42 conceptum fuisse, Verbum divinum sequente Decembri carnem nostram induisse, Nativitatem Christi sub finem Septembris anni Iuliani 43 contigisse: quæ omnia receptissimo verissimoque Ecclesiæ sensui apertè repugnant, de quo infrà, *cap.* 34. Hac distributione infeliciter usus Scaliger.

CAPUT TRIGESIMUM-SECUNDUM.

Respondetur quibusdam Recentioribus, ex eo nos impugnantibus, quod potissimùm nitamur Flavio Iosepho, cui nullam fidem adhibendam contendunt.

EXorta est pronuper nescio quæ Anti-Josephorum factio, cui nihil antiquius, quàm ut qualibet occasione seu oblatâ, seu quæsitâ, quo jure, quâve injuriâ, in Josephum involvent, omnemque, quibuscumque possunt modis, ei authoritatem adimere conentur. Diceres nobilissimum illum Scriptorem damnatum ad bestias, & unicuique jus direptionis in ejus famam esse Prætoris sententiâ concessum: tot convitia velut è plaustro passim in illum devolvunt nonnulli. Nihil crebriùs in recentibus hisce Scriptoribus occurrit, quàm hujusmodi criminatic- Anti-Josephorum factio nupera.

aculei in Josephum.

nes ad nauseam usque legentium inculcatæ: *Josephus mendax*, *Josephus in Chronologiâ Dux cæcus*, *fide indignus*, *sibi ipsi contrarius*. *Josephus immaniter hallucinatur*, *errat*, *somniat*, *fingit*, *quadriennio*, *sexennio solido aberrat à vero*, *Evangelio adversatur*, & alia hujus generis sexcenta. Si vel ipsos horum scriptorum Indices consulas, totas paginas implet Josephus, ubique conculcatus, ubique consputus; verbo, multo pejùs habitus, quàm ab istis recentibus Scriptoribus habeatur Herodotus, aut quilibet alius patentium figmentorum nundinator, qui minùs eorum luminibus officiat, nec tamen apertè illorum afferta revincat. Hoc nimirum est quod illos urit, stante Josepho stare non posse malè digestam eorum chronologiam. Idcirco traducendus est, idcirco modis omnibus dehonestandus; ut his verborum tonitruis deterriti imperitiores, veritatem ex Josepho petere non ausint.

Quibus non moventur qui Josephum accuratè examinarunt.

Firmitas Chronologiæ Herodis in Josepho, nec Evangelistis repugnans.

Verùm his non moventur, quibus exploratum est, quàm immeritò, quamque nullo fundamento (si de Herodis ac posterorum ejus chronologiâ agatur, in quâ modò versamur) talia probra in præclarissimum Historicum jactentur; quæ dudum in suos Authores doctè & nervosè retorta sunt à Petavio aliisque. Norunt illi quàm firmo nexu Herodis & Herodiadum Chronotaxis secum ipsa consentiat. Norunt eam Evangelistis ne minimâ quidem in re adversari; cum Historiâ autem prophanâ Græcâ ac Latinâ pulcherrimè convenire: unde fit, ut planè persuasum habeant fieri nullo modo posse, ut quod ex Chronologiâ tam aptè, tam solidè coagmentatâ, legitimè deductum fuerit, ullo unquam tempore, prolatis solidis rationibus, falsi à quoquam redarguatur.

Confidentia Josephi adversus suos obtrectatores.

Testes veracitatis ejus. Vespasianus & Titus Impp.

Honores ab utroque ei delati.

Agrippa Herodis pronepos etiam testis veracitatis ejus.

Item primores ex Romanis & Judæis.

Quæ subsidia ad suã Historiam habuerit.

Norunt insuper quantâ fiduciâ, quàm nullo ab suis æmulis metu, Josephus palàm Historiæ suæ veritatem adstruat *l.* 7. *de bello*, *cap. ult. Lib. de vitâ suâ*, *pag.* 1026, 1027, *Lib.* 1. *contra Apionem*, *pag.* 1037. Ut veracitatis suæ testes allegare non vereatur Imperatores Vespasianum & Titum, à quibus singularissimis beneficiis affectus sit, quæ recenset pluribus locis. Ut ab illis, propter Historiam ex fide conscriptam, statuâ publicè erectâ fuerit honoratus, teste Hieronymo, aliisque plurimis. Ut Titus libros ejus, manu propriâ exaratos, in Bibliothecam publicam inferri jusserit, & ex iis solis rerum, quæ ibi narrantur, notitiam peti ab omnibus. Ut Rex Agrippa junior, Herodis pronepos, duas & sexaginta Epistolas ad Josephum dederit veritatis narratæ testes, quarum binæ recitantur *pag.* 1027 *citatâ*. Ut eosdem libros approbarint non tantùm primores Romani, sed etiam Judæorum præcipui; quos utique res Herodis omnium sermonibus in Judæâ celebratæ, plurium libris explicatæ, non poterant latere. Ut Josephus necessariis ad Historiam suam præsidiis fuerit instructissimus; utpote fultus ope & opibus & authoritate Imperatorum nihil illi deesse patientium, imò impensè faventium, specintim Titi, qui & sacros libros Hierosolymis repertos ei dono dedit. Ut inter alia monumenta illorum temporum, ad manum habuerit ipsa Herodis Acta, & Commentaria Nicolai Damasceni (qui Herodi fuit ab intimis consiliis & secretis, soloque adulandi, & Regis sui turpitudinem tegendi studio peccavit) eáque, quantum ex Josephi libris apparet, per Consules, Olympiadas, annos Herodis, aliosque hujusmodi Chronologicos characteres digesta.

Ut

Ut ſtatim fiat incredibile hominem domi nobiliſſimum, ex primâ familiâ Sacerdotali per patrem, per matrem verò ex Regio Haſamonæorum ſanguine ortum, nominis claritate, propriis facinoribus bellicis, aliiſque comparatâ, doctrinâ, eloquentiâ, prudentiâ eximium, intimâ cum pluribus Imperatoribus familiaritate ſpectabilem, inter tot æmulorum inſidias, in tantâ rerum recentiſſimè geſtarum luce, quæ tum ex famâ publicâ, tum ex libris tunc paſſim extantibus & omnium lectioni expoſitis, faciliimè ab omnibus hauriri poterant, non tantùm nullo ſuo emolumento, ſed etiam ſuo ſummo cum dedecore, & laborum à ſe ſuſceptorum æterno probro, aut voluiſſe de annis Herodis ſplendidè mentiri; aut potuiſſe nemine redarguente, quin & toties ejus Hiſtoriam probante Rege Agrippâ, geſtorum proavi ſui non ignaro, tantopere aberrare. Quàm incredibile ſit eum falſa ſcribere voluiſſe.

Hoc poſtremùm eò creditu difficilius eſt, quòd libri Antiquitatum diu poſt editos de Bello Iudaico libros ſcripti fuerint; adeoque ſatis ſuperque ſpatii fuerit ut auditis variorum de priori Opere judiciis, ſi quid in eo improbari potuiſſet, caſtigaretur; quod cùm factum non ſit, niſi in poſtremo Archelai anno preſſiùs explicando, aliiſque minimi momenti recuſis, ſua reliquis manere debet fides. Libri Antiquitatum diu poſt libros de Bello ſcripti.

Norunt præterea qualis, quamque conſtans fuerit totius Antiquitatis de Ioſepho ſenſus, ſummo nimirum cum ejus honore conjunctus. Ut is à Tertulliano, Origene, Euſebio, Hieronymo, innumeriſque aliis omnium ætatum Scriptoribus maximo in pretio ſemper habitus ſit, & paſſim, tamquam ferendo de incertis teſtimonio maximè idoneus, allegatus. Ut ſpeciatim Euſebius *lib.* 3 *Eccl. Hiſt. c.* 9. ingenuè agnoſcat Ioſephi Hiſtoriam magna & multa ſubſidia ſuæ attuliſſe, illique de *rebus veriſſimè ſcriptis* ſuffragetur. Ut Hieronymus, *in Epiſt. ad Euſtochium, de cuſtodienda Virginitate, Græcum Livium* eſſe dicat. Ut Iſodorus Peluſiota miretur in illo ſcriptore *amorem veritatis*, τὸ φιλάληθες, aliaque addat in ejus commendationem. Ut à Suidâ, *in Lexico*, vocetur etiam φιλαλήθης, & à Nicephoro Calliſto, *libro* 1 *Hiſtor. c.* 15; qui & *l.* 2, *c.* 13, *&* 18, item *l.* 3, *c.* 11, varia conglobans elogia, teſtetur inter alia Ioſephum, tamquam præclarum virum, ſummo in honore fuiſſe apud Titum; confirmetque varia quæ ſuprà protulimus de ejus libris Imperatoris manu deſcriptis &c. Ut à Caſſiodoro, qui partem Operum ejus latinè verti curavit, *lib.* 1. *divin. Inſtitut. c.* 17. appelletur *penè ſecundus Livius*; & à Chronologo Alexandrino *Vir ſapientiſſimus*. Ut ab innumeris aliis, qualibet, ad noſtram uſque, ætate, maximis laudibus celebratus ſit; ac proinde nuperi illi contra totius Antiquitatis torrentem nitantur, dum tot moliminibus, tantoque ſtrepitu, hoc unum agunt, ut illuſtriſſimo Scriptori afflictis abſque ſufficienti fundamento mendacii authoritatem abrogent, quam jure ſuo ac merito jam per ſedecim circiter ſæcula ſemper obtinuit ſummam, & porrò apud æquos Judices ſemper obtinebit. Antiquitatis de Joſepho ſenſus.

Norunt quantum Joſepho debeant litterati omnes, & quot ei nominibus ſint obſtricti; abſque quo eſſet, innumeris in rebus palpare cogeremur velut cæci in meridie. Vident paſſim capitaliſſimos Ioſephi hoſtes, dum ipſis commodum eſt, ejus teſtimoniis & ſuas ſtabilire opiniones, & alienas refellere; nec ei obſiſtere, niſi dum adverſantem experiuntur. Qui agendi modus ſi ſemel obtinere cœperit, jam rejectis pro libitu, jam admiſſis optimis quibuſque Scriptoribus antiquis; fruſtra eſt omnis Chronologorum labor revincendis Quantum ei debeat Reſp. literaria.

cendis inolitis erroribus impensus, possuntque res alias agere.

Sunt tamē in Josepho sui nævi; sed & in ejus obtrectatoribus: imò plures in quibusdam illorum.

Cæterùm non ita desipio, ut universim Josephum ab omni prorsus nævo immunem esse contendam. Habet procul dubio hinc inde suos, nec leves: sed quis non? An illis carent acerrimi quique ejus obtrectatores? Nimis duram in caput suum cudent fabam, si velint ex aliquot hallucinationibus, imò & erratis manifestis, de toto aliquo Opere pronuntiari. Nolo hîc quemquam de nomine appellare; hoc unum dico, unicuique vel mediocriter erudito facillimum esse, invictis rationibus demonstrare, libris non admodum magnis nonnullorum ex fervidioribus Iosephi impugnatoribus, tot ac tantos inesse errores Chronologicos ex suorum Authorum seu imperitiâ, seu incogitantia profectos; nihil ut simile in toto Iosephi Opere de Bello, aut in Antiquitatum libris 14, 15, 16, 17, 18, 19, quibus res Herodis, ac filiorum, nepotumque ejus prosequitur, sint ostensuri. Seipsos igitur curent illi alienorum; errorum medici & priùs totas trabes ejiciant ex oculis suis; quàm festucam ex Iosephi oculis tentent in Chronologiâ Herodianâ ejicere. Sinant interim alios judicio suo frui; desinantque illos, qui ex celeberrimo scriptore limpidam de annis Herodis veritatem haurire se putant, impietatis arguere; quod nonnullos importuno zelo abreptos fecisse recentissimè, non caret admiratione. Quod autem paulò antè monebam, me de solâ Herodis & filiorum ejus Chronologiâ agere; iterum iterumque hîc repeto: ne quis me de manifestis Iosephi erroribus, aliisque quibuscumque sacræ Scripturæ contrariis vel cogitare existimet: etsi in Catholico Scriptore hujusmodi cautio sit supervacanea.

Petavius aliique Josephum à variis prætensis hallucinationibus vendicarunt.

Sed jam tempus est manum tollendi de hac tabulâ, & nos ad eorum argumentorum solutionem convertendi, quæ contra nos congeruntur ex prætensis Iosephi antilogiis. Luculentè id dudum præstitum à variis, nominatim à Petavio, *in suis doctissimis Animad. ad Epiphanium, pag.* 121, *& plurimis locis Operis de Doctrinâ Temporum*; & nos ipsi suprà sparsim jam varia huc spectantia expliquimus. Iuvat tamen, majoris lucis gratiâ, præcipua quæ in Iosephum ab Adversariis torquenter argumenta ad Herodianam Chronologiam pertinentia hîc in unum velut fascem colligere; ut ex solutionum facilitate manifestum fiat, quàm debilibus armis impetatur vir tantus.

Objectio prima contra Josephum.

Objiciunt igitur primò: Josephus *l.* 14. *Antiq. c.* 17, scribit Antipatrum Herodi filio suo, *commisisse curandam Galilæam*, νέῳ παντάπασιν ὄντι, ιέ γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη: *existenti omnino juveni*; *quindecim enim dumtaxat illi anni erant*: & *l.* 1 *de Bello*, *c.* 8, eadem repetens, ait Herodem κομιδῇ νέον, *admodum juvenem*, fuisse Galilææ præfectum. Hæc si quis conferat cum totius Historiæ contextu, ea deprehendet contigisse anno 47 ante Æram Vulgarem, Periodi Iulianæ 4667. Cùm igitur Iosephus *l.* 1 *de Bello*, *c.* 21, *& l.* 17 *Antiq. c.* 8, asserat Herodem obiisse dum esset *septuaginta ferè annorum*, seu, dum ageret *circiter septuagesimum annum*; aut sibi apertè contradicit, si anno Iuliano 42, ante Æram Vulgarem quarto, Periodi Iulianæ 4710 mortuus sit; cùm ex illâ hypothesi agere tunc non posset nisi annum 59: aut certè mors Herodis in annum Periodi Iulianæ 4720, Iulianum 52, Æræ Vulgaris septimum conjicienda erit; si verum utrobique scripsisse dicatur; quod Iosephi calculos omnes penitùs evertit. Credi vix potest quàm sæpe, quàm odiosè hoc Iosepho opponant Adversarii; quasi unico

lilo

illo argumento bellum tam contra eum, quàm contra nos, patratum foret: quo magis enitendum erit ut quàm accuratissimè ostendamus nihil illi virium inesse.

Prima responsio Deckerii, Keppleri, Scaligeri, Tornielli, Casauboni, Bucherii, & aliorum, est, isti Josephi textui mendum jam olim obrepsisse, & pro ιε, seu 15, reponendum κε, seu 25. Hæc autem gratis non fingi, & suadet ingens depravatio Operum Josephi, quam se ex Manuscriptis exemplaribus deprehendisse testatur Casaubonus, *Exercit.* 1. *extremâ*; & evidentissimè convincit tum generatim tota Iosephi de Herode narratio, & ætas septuagenaria, bis in diversis Operibus, plenis verbis expressa; cùm ætas quindecim annorum non nisi semel expressa sit, & quidem per compendiarias numerorum notas, in quibus pronissimum est librarios labi; tum speciatim, quòd Iosephus *lib.* 14 *Antiq. c.* 12, scribat Antipatrum Herodis parentem, dum bellum contra Aristobulum gereret (Anno ante Æram Vulg. 63, Per. Iul. 4651) apud Arabum Regem deposuisse proles suas; inter quas haud dubiè numerabatur Herodes, secundo loco genitus, cui & duo insuper erant fratres, ac soror una, ibidem recensiti. Ab aliquot igitur annis jam tum genitus erat Herodes, verbi gratiâ novem; quos si addideris ad sedecim, qui ab Anno illo 4651, Periodi Iul. ad 4667 fluxerunt; annos vicenos quinos reperies. Idipsum clamant, tum gesta Herodis Galilæam administrantis fusè exposita *cap.* 17. *citato*, quæ in puerum quindecim annorum non cadant: tum quòd Sextus Cæsar Præses Syriæ, & Romanarum in eâ Provinciâ Legionum Dux, Herodem Cœlesyriæ præfecerit, & belli Ducem constituerit eo ipso anno; nunquam tantum munus tantulæ quindecim annorum ætati impositurus; cùm id à moribus Romanis nimiùm abhorreret: ut patet vel in Caio Cæsare, cui in Orientem proficiscenti Rectorem assignavit Augustus, licet conjugato, & octodecim annos nato, & proximè Consulatum gesturo. Enimverò ut in Comœdiâ, ita & in Reipublicæ administratione providendum est (quod monet Horatius, *de Arte Poëticâ*)

——— ——— ne fortè seniles
Mandentur juveni partes, pueróque viriles.

Manifestum igitur est mendum illi Iosephi loco inesse, uti & pluribus aliis, quæ varii Scriptores datâ occasione suggerunt. Asserit Gassendus, *lib.* 5 *Vitæ Peirescî*, *pag.* 457, Samuelem Petit parasse novam Iosephi editionem, & in eum Notas: sed eam nusquam reperire potui; ac nescio an lucem hactenus viderit.

Atenim, inquiunt, si annos 25 tunc natus erat Herodes; cur Iosephus tantopere virtutem ejus exaggerat, dicitque ætatem illi non obfuisse? Certè annorum 25 ætas rebus agendis idonea est; nec locutiones illas, *omninò juvenis*, *admodum juvenis*, facilè admittit.

Facilè reponitur, ætatem sæpè non tam in se attendi; quàm respectu muneris de quo agitur, & ætatis, quâ similibus præfecturis solent alii admoveri. Si quis nunc, exempli causâ, annos duntaxat quinque & viginti natus, alicujus Ordinis Religiosi Provinciæ regendæ præficeretur; nemo non diceret, eum ad munus illud evectum, cùm esset *omninò*, sive; *admodum juvenis*; nec ætatem obfuisse, quo minùs egregiè Provinciam administraret; si quidem eam egregiè administrasset. Suprà allatas Iosephi locutiones, aut similes, etiam de provectioribus

Prior ad eã responsio.

Scrupulus injectus,

eximitur.

Etiam provectiores à variis dicti pueri, juvenes, admodum juvenes, &c.

bus usurpari ab Antiquis Scriptoribus, jam pridem demonstrarunt Casaubonus, *Exercit.* 1, *pag.* 153, Serarius, *in cap.* 6 *Iosue*, *Quæst.* 1, Bonfrerius, *in Exodi cap.* 33, *v.* 11, aliique, ex quibus, & ex meis observationibus, paucula subjicio. Josue, *Exodi cap. cit.* in nostrâ Vulgatâ versione vocatur *Puer*, in textu Hebraico *Nahar*, *Iuvenis*; in Græco 70 Interpretum, Νέ☉. Et tamen tunc præfectus fuerat difficili bello contra Amalecitas; erátque, juxta Abulensem, annorum 39; juxta Augustinum, 43; juxta Bonfrerium, *in caput ultimum Iosue*, quinquagenario major. Absalom, jam trium filiorum pater, sæpiùs *lib.* 2 *Reg. cap.* 18, vocatur *Puer*, in nostrâ Versione; παιδάριον, seu, *Puerulus*, à septuaginta Interpretibus. Polybius, *lib.* 1., Hieronem vocat κομιδῇ νέον, *admodum Iuvenem*; cùm esset, ut testatur Causabonus, annorum 35. Idem *lib.* 17, de Tito Flaminio, Duce adversus Philippum Macedonem designato, ita loquitur: Καίτοι καὶ νέ☉ ἦν κομιδῇ. πλείω γὰρ τῶν τριάκοντα ἐτῶν οὐκ εἶχε. *Quamvis adhuc admodum juvenis esset: plures enim quàm triginta annos non habebat.* En ut Polybius viros jam 30, imo & 35 annos natos eodem prorsus afficiat epitheto, quo Josephus Herodem, significétque ætatem illis toto quinquennio, aut etiam decennio majorem, quàm nos Herodi tribuamus, non obfuisse ad rem benè gerendam: attentâ nimirum Imperatorii muneris magnitudine ac momento; item attentâ eâ ætate, quâ solent alii hisce præfecturis applicari.

Pueritia & juventus olim magis extensæ quàm hodie.

Accedit quod Veteres generatim paulò longiùs *Pueritiam* ac *Iuventutem* extenderent, quàm moribus nostris soleat extendi. *Adolescentiam* usque ad trigesimum, *Iuventutem* ad annum usque quadragesimum quintum fuisse à Varrone ampliatam, testatur Censorinus, *lib. de Die Natali*, *cap.* 14: hanc usque ad quadragesimum sextum fuisse à Servio Tullio productam, asserit Tubero, apud Gellium, *lib.* 10, *cap.* 28. Hippocrates (teste Philone, *lib. de Mundi Opificio*) vitam hominis per septenaria partitus, Νεηνίσκες, *Iuvenculos*, vocat à tertio septenario ad quartum; seu ab anno 21 ad 28. Hinc Christus à Lactantio, *lib.* 14 *Instit. cap.* 15. dicitur baptizatus, *cùm primùm cœpit adolescere*. Paulus Apostolus, *Actor. cap.* 7, v. 58, appellatur νεανίας, *adolescens*; cùm esset annorum circiter 33, Cicero, *lib. de Oratore*, seipsum adolescentulum vocat; cùm esset annorum 27. Caius Cæsar, Augusti nepos, ab Ovidio, *lib.* 1. *de Arte*, semel iterùmque dicitur *puer*; cùm annum ageret 19: uti & Marcellus à Virgilio, *lib.* 6 *Æneid*; cùm ageret annum (teste Propertio, *lib.* 3, *Eleg.* 38) vigesimum. Octavius Cæsar, cùm esset annorum 20, passim à Marco Antonio, aliisque vocabatur *Puer*. Unde Cicero, *lib.* 16 *Epist. ad Atticum*, *Epist.* 9: *Varroni quidem displicet consilium pueri; mihi non, si firmas copias habet.* Et iterum *Epist.* 14: *Posset*, inquit, *in præsentiâ bellè iste puer retundere Antonium.* Vide Epistolam M. Bruti ad Atticum, ubi iteratò *puerum* Cæsarem vocat. Quin etiam adeò tunc apud omnes invaluit ista Octavii appellatio; ut Decreto Senatûs fuerit inhibenda, teste Servio, in illa verba Eclogæ primæ Virgilii: *Hic illum vidi Iuvenem*; ubi ita habet: *Cæsarem dicit Octavianum Augustum. Decreverat enim Senatus ne quis eum PVERVM diceret: ne majestas tanti Imperii minueretur.* Ex quibus omnibus evidens fit, quàm laxè subinde sumantur ejusmodi locutiones.

Quin

Quin & observant nonnulli Josephum nusquam usum voce νέος, dum de illis agit, qui annum 15, aut 16 non excedebant: hos enim solere vocare νεανίσκους, παῖδας, μειράκια, *juvenculos*, *pueros*, *puerulos*, seu *adolescentulos*. Imò duabus prioribus vocibus utitur etiam agens, *l.* 2 *Antiq. cap.* 3, de Beniamino in Ægyptum veniente; uti & *l.* 6, *cap.* 10, agens de Davide pugnaturo cum Goliatho: cùm tamen Beniaminus tunc temporis esset annorum circiter 23; David autem circiter 22. Item, *lib.* 14 *Antiq. c.* 13, Alexandrum Judæorum Regem, dum Pompeii jussu securi percussus est, essetque circiter annorum 30, vocat νεανίσκον. *Lib.* 2 *Antiq. c.* 2, Josephum Patriarcham annos 17 numerantem, & *lib.* 15, *c.* 3, juniorem Aristobulum jam Pontificem, & uno anno majorem, μειράκιον, *puerulos*, *adolescentulos* appellat. Quæ omnia facilè, ni fallor, elidunt admirationem nonnullorum, quibus suprà dictarum locutionum vis & usus non videntur satis innotuisse.

Hujus locutionis exêpla apud Josephum.

Sed quamvis daremus (quod Petavio, relictâ solutione jam allatâ, quam alibi secutus fuerat, visum est, *lib.* 10: *de Doctr. Temp. c.* 65) Josephum iis locis, quibus Herodis ætatem tantopere exaggerat, dormitasse; &, dum festinat, aut alias res agit, alterum pro altero numerum scripsisse, ιε, pro. κε: continuóne toti ejus Chronologiæ, tot aliunde petitis rationibus apertissimis fultæ, grandis impingenda est dica falsi? Equidem non ita visum Petavio, aliisque solidi & æqui judicii viris, qui ita hallucinationem hîc in Josepho agnoscunt; ut ex aliis ejusdem locis eam corrigendam, modo antea dicto, pronuntient. *Quandóque bonus dormitat Homerus*; &, *opere in longo fas est obrepere somnum*. Mirum sanè Josephi hostes in illum unum adeò iniquos esse, ut nihil in eo dissimulandum, aut molliendum putent; qui tantam erga aliorum hallucinationes, aut depravationes benignitatem expromunt. Non adeò malè de litteratis viris meritus est eximius ille Scriptor; ut omni eorum favore indignus sit, sicubi, ut homo est, leviter aberret, præsertim in numeris, quorum maximè lubrica est tractatio; & in re, quæ aliunde possit nullo negotio corrigi.

Posterior solutio Objectionis per concessionem.

Objiciunt secundò: Josephus Herodis obitum toto biennio aut triennio ante Christum natum recenset. Fidem ergo ei adhibere non possumus; nisi eam penitus detrahamus Evangelistis attestantibus Christum natum in diebus Herodis.

Objectio secunda.

Mirum profectò est, potuisse hoc à quoquam aut Iosepho, aut nobis objici. Docet ille mortuum Herodem anno 42 Iuliano; de Christi Natali ne verbum quidem habet. Nos ex hac Iosephi hypothesi pronuntiamus Christum natum anno saltem Iul. 41 exeunte. Igitur nec Iosephus, nec nos ullam isti objectioni ansam damus. Quod si Adversarii hoc unum volunt, Iosephum velle biennio aut triennio prius mortem Herodis contigisse, quàm ipsi Christum natum putent; verissima loquuntur: sed addimus eos, quod ad Christi Natalem attinet, à vero longè abesse; & dicimus, non ex eorum opinione falsâ redarguendum Josephum; sed eorum opinionem ex verissimâ Iosephi Chronologiâ corrigendam, & illi aptandam. Rectissimè Cicero *lib.* 4. *de Finibus*, contra Stoicos: *Perspicuisne dubia aperiuntur; an dubiis perspicua tolluntur? Vos autem, cùm perspicuis dubia debeatis illustrare; dubiis perspicua conamini tollere.* Perspicuæ sunt Iosephi assertiones, & sibi indivulsè cohærentes, quoad Herodis Chronologiam. Admodum dubiæ,

Refellitur, & retorquetur.

ne

ne dicam apertè falsæ, sunt. Adversariorum suspiciones. Non sunt igitur illæ ex his tollendæ; sed hæ ex illis dissipandæ. Si luberet tempus in his reculis conterere; multò validiùs possemus hoc argumentum retorquere in Adversarios, qui Christum, natum volunt Anno Juliano 43, 44, aut 45, aut 46 &c. cùm jam obiisset Herodes Anno 42, ante Pascha: cui Chronologiæ *si aures demus* (ut sua Adversariis verba reddamus) *quæ à Luca & Matthæo de Herode scripta sunt, fide careant necesse est.*

Objectio tertia. *Objiciunt tertiò*: Iosephus Censum Quirinii, quem morti Herodis præponere debuerat, illâ posteriorem toto decennio facit; quippe qui eum differat in tempus, quo Archelaus Herodis filius decimo sui Principatus anno relegatus est. Item Censum qui ante obitum Herodis actus est, & in quem relatus est Christus, tribuit Saturnino Præsidi Syriæ; non autem, ut Lucas, *cap. 2, v. 2*, Quirinio, cujus sub ea tempora ne meminit quidem; imò contrà, eam texit Præsidum Syriæ seriem; ut Quirinio locus esse non possit: quod apertissimè Evangelio adversatur. Denique suam in rebus Romanis imperitiam prodit, dum Quirinium, qui Anno Juliano 34 Consulatum gessit, significat Consulem fuisse Anno Jul 51, quo, ex ejus Chronologiâ, relegatus est Archelaus.

Refellitur. Ut ab hoc postremo de Quirinii Consulatu incipiam; dico ne verbulo quidem uno id innui uspiam à Josepho. Vocat quidem eo tempore Quirinium virum *Consularem*: sed hæc appellatio in eos omnes quadrat, phrasi Romanâ, qui unquam, etiam diutissimè antea, Consules fuerunt: sicut moribus nostris etiam *Consules* Civitatum & *Burgi-Magistri* vocantur perpetuò, qui vel semel Magistratum illum gesserunt.

Quod spectat ad reliqua in objectione contenta, fusè suprà respondimus multiplici solutione allatâ, dum *cap.* 13, de Censu Quirinii ageremus; ex quo manifestissimè patet, nullam prorsus inter Josephum ac Evangelistas pugnam narrationum intercedere; ut proinde ridiculum sit, quod faciunt nonnulli, ab illo ad hos provocare velle.

Objectio quarta. *Objiciunt quartò*: vel inde patet quàm inconstans sit Josephi Chronologia in rebus Herodis ac liberorum ejus; quòd Archelaum jam nono, jam decimo Tetrarchiæ suæ anno pulsum dicat; & jam novem, jam decem spicas, totidem annorum indices, ei per somnium oblatas fuisse scribat: utrumque certè verum esse non potest.

Solvitur. Solvimus & hanc objectionem suprà, *cap.* 15. *Hypothesi* 8; ubi diximus Archelaum novem annos completos imperasse, decimo labente relegatum fuisse. Cùm autem probè nosset Josephus tot somnianti oblatas esse spicas, quot in Principatu annos egerat; ubi novem completos supputavit, novum spicas adjunxit: ubi decimum incompletum (re melius consideratâ, aut à Rege Agrippâ, aliòve admonitus) numeravit; levissimum hoc erratum correxit, & decimam spicam adjecit: qui modus conciliandi Scriptores receptissimus est apud omnes, & lippis ac tonsoribus notus. Quàm autem nullum subsit periculum ne in illius anni designatione aberrarit Josephus, vel inde videre est; quòd eum dicat & fuisse à pugnâ Actiacâ trigesimum septimum, & Matthiæ parentis sui Natalem: quem utique ab eo ignoratum, qui innumera alia minutissima nihil ad se spectantia tam perfectè

perfectè calluerit, ridiculum sit vel cogitare. Denique cum Dio ad amussim assertioni Josephi adstipuletur; ea pro inconcussâ & indubitatâ ab omnibus haberi meritò debet.

Objiciunt quintò: Scribit Josephus *l.* 15, *c.* 13, Varum Syriæ præfuisse Anno Regni Herodis 16; cùm tamen *l.* 17, *cap.* 7, dicat Varum Saturnino in eâ Præfecturâ successisse paucis ante Herodis obitum mensibus: hoc est, annis saltem 18 seriùs. Objectio quinta.

Respondeo Adversarios ab Interprete deceptos esse, qui utroque loco *Varum* habet; at textus Josephi Græcus priore loco *Varronem*, posteriore *Varum*. Sed esto, utrobique *Varum* scripsisset; an ideo falsi accusandus foret? An non asserunt varii ex Adversariis Quirinum bis Præsidem Syriæ egisse; primùm sub Christi Natalem, ac iterum postea, abdicato Archelao? Quid igitur de Varo tantopere tumultuantur? Rejicitur.

Objiciunt sextò: Mera Iosephi hallucinatio est, quòd epocham triginta septem annorum Regni Herodis fixerit in anno Juliano 6; cùm eam figere deberet aut in anno nono, quo Herodes post dejectum Antigonum, sine æmulo regnum obtinuit; aut in anno 15, quo ab Augusto ac Senatu, post devictum Antonium, confirmatum ei regnum est, quo, partes Antonii sequendo, exciderat. Objectio sexta.

Respondeo illos ipsos, qui hæc objicere audent, gravissimè hallucinari. Non potest ullâ ratione loco suo moveri geminus ille cardo totius Chronologiæ Herodianæ; cujus partes indissolubili nexu inter se apud Iosephum coagmentatæ sunt, & ex geminâ illâ immobili epochâ Anni sexti ac noni Iuliani religatæ; ut suprà pluribus ostendimus, quæ hîc citra Lectoris fastidium repeti non possunt. Refellitur.

Ex his facilè, opinor, intelligit eruditus Lector, quid de levissimis aliis objectiunculis, quas de industriâ missas facimus, judicandum sit; cùm præcipua de his adversus Josephum argumenta tam nullo negotio dissolvantur. Item quàm nulla sufficiens causa fuerit Adversariis tantopere in præstantissimum Scriptorem exardescendi; ac denique ut nihil æquè ipsis obsit, quo minus veritatem assequantur, quàm malè concepta à Iosepho aversio. Hanc in seipsis suffocent; & Scriptorem præstantissimum æquioribus oculis & animis evolvant: moxque veritatem in ejus libris ad Quæstionem nostram facientibus, reperient. Corollariū.

CAPUT TRIGESIMUM-TERTIUM.

Depellitur ab opinione nostrâ invidia novitatis, ob quam nonnulli eam traducunt.

ALio adhuc ex capite, eoque duplici, conflatur à nonnullis invidia opinioni nostræ: altero, quòd ab Æra Vulgari, Ecclesiæ calculo comprobata, non parum discrepet; altero, quòd toti retrò antiquitati fuerit ignota, & hoc primùm sæculo audita sit. Prius illud de Æra vulgari, quod nobis cum multis aliis commune est, jam abundè retudimus suprà *cap.* 11, ubi & talia nonnisi ridiculè jactari, & eos ipsos, qui talia objiciunt, potiori jure Novitas nobis objecta,

 esse

esse reprehensioni obnoxios, manifestè ostendimus. Superest igitur nobis in præsens diluendum hoc posterius.

Sed immeritò, in tantâ diversitate apud Antiquos.

Et quidem justa videri posset hæc novitatis allegatio, si unum quidpiam esset à totâ, aut pænè totâ Antiquitate receptum, contra quod, velut contra torrentem, niteremur. *Vetera* enim (ut rectè Quinctilianus, *libro* 1) *majestas quadam*, *&*, *ut sic dixerim*, *religio commendat*; idcóque maxima debetur Antiquitatis canis reverentia, iis præsertim in rebus, quæ in facto consistunt, quæque à propagatâ per manus traditione dependent. At ubi nihil apud antiquissimos quosque Scriptores constans est de Anno Christi Natali; sed incerta omnia, & intra plurium annorum spatium fluctuantia, prout suprà fusè ac sigillatim à nobis declaratum est; ipsi pænè Ecclesiæ coæva est, ac proinde antiquissima censeri debet dissensio opinionum de hoc argumento; quam si solidis rationibus ducti, modico facto diverticulo, tollere tentemus cum doctissimis viris Deckerio, Petavio aliisque suprà recensitis, quis meritò improbare possit? Quam nobis proferent Adversarii nostri opinionem Veterum Scriptorum de his controversiis, cui innumeri alii non adversentur? Quem suggerere poterunt conciliationis modum inter adeò dissociabiles pugnantésque sententias? Cùm igitur & harum singulas gravissimæ premant difficultates, & optatæ inter eas concordiæ spes omnis sublata sit; fraudi nobis esse non debet, si, affulgente aliunde radio veritatis, illius ductum sequamur.

Ecclesia, etiam in explicandis Scripturis, nos ad unanimem tantùm Patrū consensum adstringit.

Si, dum de interpretandis divinis Scripturis agitur, quibus nihil apud nos sanctius est, Ecclesia ad unanimem dumtaxat SS. Patrum sensum filios suos adstringit; ubi autem in diversa abeunt, non vetat quo minùs subinde ab iis, modò gravibus ex causis, & debitâ cum reverentiâ, recedamus: quanto magis in re merè Chronologicâ nihil ad fidei dogmata pertinente, & à qua bonis moribus nihil sit periculi, in tanta Patrum aliorúmque cujusvis ætatis Scriptorum dissensione, censenda erit non gravatè permittere unicuique, ut, unde unde licebit, veritatem petat, & eâ è tenebris in lucem productâ, innumeris contentionibus finem imponat?

Multa olim controversa, jam certa, Recentiorum studio & labore.

Quàm multa proferri possent, quæ olim summopere controversa, improbo Recentiorum labore, singularíque industriâ Antiquiorum inventis adjutâ, nunc passim transierunt in rem judicatam; ita ut passim omnes in iis hodie acquiescant? Non adeò sterilitate damnata sunt ingenia hujus ætatis, nihil ut ad antiqua reperta possit ab iis addi. In ea nunc tempora devenimus, quibus & vetera ad severius examen revocantur; & omnis generis disciplinarum nunc, si unquam, vigentium subsidio, & infinitâ librorum copiâ affluente, junctisque in commune plurium viribus, nonnulla hactenus occulta possint erui. Hæc nimirum est suavitas divinæ Providentiæ, quæ sicut non omnem regionem omnia ferre voluit; ita nec omne verum uno alteróve sæculo in apertum prodire. Hoc in naturæ arcanis videre est, quorum plurima omnibus retrò temporibus penitùs ignota, proximis annis detecta sunt, Deo in humanis rebus ludente, & singulas ætates his inventis aspergente; ut vel sic ad eorum acriorem indagationem excitemur. In ipsis fidei dogmatibus, quàm multa olim fuerunt in opinione posita, & in utramque partem citra hæresis notam doceri poterant

poterat; quæ recenter Ecclesiæ judicio decisa, summū certitudinis apicem modò obtinent? Quàm multa tum ad alias res, tum ad Christi Chronologiam speciatim spectantia, primis sæculis passim recepta sunt, ut puta, Christum unico anno prædicasse, natum annos tantùm triginta cruci affixum, & alia hujusmodi; quæ proximè sequentibus accuratiore trutinâ expensa, per se, nullâ Conciliorum aut summorum Pontificum authoritate damnata, fidem amittere cœperunt, contrariis opinionibus paulatim apud omnes invalescentibus; Erant hæc tùnc novæ; neque tamen eo nomine à quoquam leguntur traductæ: hanc scilicet ob causam, quòd priores illæ nec patente Scripturarum testimonio, nec certâ traditione, nec satis firmo Patrum consensu fulcirentur; & aliunde gravissimæ rationes, seu ex Scripturis sacris, seu ex aliis petitæ, obstarent. Quæ si ad nostra tempora applicentur, eo minùs odiosa censenda erit aliquantula novitas de anno Christi nati: quo magis cum ipsâ Ecclesiæ ætate semper crevit opinionum diversitas de hoc argumento. Hac jam ad summum perductâ, cùm evidenter constet nihil satis explorati ex tam vario sedecim sæculorum sensu hauriri posse; quis jure succenseat, si credamus, non ita fuisse ab Antiquis præclusas Veritatis fores, quin ad eam, aliâ, quàm ipsi tenuerint, viâ aditum nobis aperire possimus?

Quid quod exemplo suo nobis ad aliquid moderatè audendum prævivere non pauci, qui acriùs, objectâ novitate, in nos insurgunt? Nemo ex Antiquis (quod quidem hactenus deprehendere potuerim) intra tredecim prima Ecclesiæ sæcula, Christi Passionem Anno Vulgari 33 certò addixit, excepto unico Philopono, Hæretico Tritheitâ, ut infrà, *Quæst. 3, cap. 6*, dicetur: & tamen passim opinionem illam amplectuntur Adversarii nostri. Affigunt communissimè mortem Christi mensi Aprili, idque adeo præfractè, ut ad fidei dogma proximè pertinere existiment ex iis nonnulli. Objicimus illis consensum Antiquitatis in Martium conspirantis: neque tamen ideò hanc ita sentiendi libertatem sibi adimi patiuntur. Quò igitur tot eorum clamores, ne dicam, invectivæ? An; illorum judicio, minus est contra Antiquos consentientes niti; quàm nemini diversissima, imò pugnantia docentium assentiri? Æquissima Juris Regula est, *Digestorum L. 2, Tit. 2*, ut *Quod quisque Iuris in alterum statuerit, ipse eodem Iure utatur.* Quare si, novitate nihil obstante, sibi à suis contra nos opinionibus minimè discedendum putant; sinant nos in nostris contra eos sententiis, etsi quidpiam novum proferant, acquiescere, nec tam odiosè illas suggillent. Quod si generaliùs rem consideremus, ecquem nobis ex totâ Antiquitate signabunt, cui universa, quam amplectuntur, Chronologia placuerit? Equidem asserere audeo, neminem unum reperturos. Nam quibus quoad Christi Natalem consentiunt; iisdem quoad annum prodeuntis in publicum Joannis Baptistæ, aut Christi baptizati, aut durationem prædicationis, aut tempus Passionis adversantur. Si qui circa Baptismum, aut Prædicationem faveant; de aliis omninò discrepantia scribunt. Inauditam igitur priscis sæculis Chronotaxin arbitratu suo texunt magni illi Antiquitatis Vindices, & novam postremâ hac ætate nobis procudunt. Quam itaque veniam sibi à nobis petunt, eam nobis vicissim dare ne graventur; præsertim cùm unico tantùm anno Severum, Sulpicium, Hippolytum Thebanum, Chronologum Alexandrinum, Nicetam, Cedrenum

Ipsi Adversarii quædã invehunt Antiquitati contraria.

Nec ulli Antiquorũ universim consentiũt.

Cedrenum, Michaëlem Glycam, Nicephorum Callistum, aliósque pro Anno Juliano 42 stantes antevertamus.

Non omninò destituimur Antiquitatis patrocinio.

Hactenus ita cum Adversariis egimus, quasi neminem ex totâ Antiquitate nobis faventem nancisci possemus. Sed reipsâ non ita est: ostendimus enim suprà *capite* 3, nobiscum sentire antiquissimum Scriptorem, quem sub nomine Clementis Romani allegat Anastasius Sinaita, aliàs Nicænus, antiquus & ipse Scriptor, & probabiliter S. Iustinum Martyrem: item eamdem esse debuisse mentem quibusdam aliis Antiquis, qui Christum Anno Æræ Vulgaris 28, aut 29 passum crediderunt. Patrocinatur igitur aliquousque nobis etiam Antiquitas, neque quicquam hactenus tantopere inauditum proferimus, dum Christi Natalem anno Iuliano 41 exeunti alligandum esse contendimus.

Libosi dictum pro veritate cōtra consuetudinem.

Quod si hæc contentiosiori alicui Antiquitatis patrono necdum faciant satis; audiat, & nostræ diatribæ aptet verba Libosi Episcopi in Concilio Chartaginensi: *In Evangelio dixit Dominus: Ego sum veritas; non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestatâ, cedat consuetudo veritati.*

CAPUT TRIGESIMUM-QUARTUM

Quo Mense, quoto ejus die, quâ feriâ, quâ horâ natus sit Christus.

Diversæ olim opiniones de Mense quo natus est Christus.

Fidem omnem superat quanta semper etiam de his fuerit, sitque hodie diversitas opinionum; vix ut unum alterúmve mensem assignare sit, qui suos non repererit patronos: etsi duo præ reliquis primâ Ecclesiæ ætate obtinuerint, December & Ianuarius.

Pro Januario Epiphanius,

Pro Januario palàm stat Epiphanius, *Hæresi* 51, *n.* 24, ubi & diem signat undecimum Ægyptiaci Mensis Tybi, qui in anno non intercalari respondet diei sexto Januarii. Vide eumdem *n.* 27 *&* 29, ubi eumdem diem confirmat; in textu tamen Græco *numeri* 24, legitur, *dies quintus*, de quo postea. Catholicus Armeniorum disputans cum Theoriano, refert inaudivisse se, extare quamdam Epiphanii Orationem, quâ asserat Christi Natalem die 25 Decembris celebrandum esse; ideoque Cappellus, *pag.* 61, credit eum sententiam mutasse. Sed hæc Oratio, quod sciam, nusquam comparet; nec eam viderat Catholicus ille, ut ibidem

Ægyptii,

ait. Ægyptios simul cum die Epiphaniorum (sexto Ianuarii) solitos Christi Natalem celebrare, testatur Cassianus, *Collatione* 10, *cap.* 2. Quem morem, quoad Christi Natalem, confirmat Hieronymus, dum illum reprehendit *Commentario in caput* 1 *Ezechielis*. Stephanus Gobarus apud *Photium*, *Codice* 32, inter sua problemata proponit illud, Quod Virgo pepererit Christum die 5 Januarii mediâ nocte. Isaac Catholicus Armeniorum, *Invectivæ suæ cap.* 3, populares suos reprehendit, quòd Christi Natalem simul cum Annuntiatione & Baptismo celebrent die 5 Januarii vesperi: quæ omnia illius opinionis & antiquitatem & diffusionem ostendunt.

Gobarus sub dubio, Armenii.

Pro

Pro Februario facere videtur alterum Stephani Gobari, *loco citato*, problema de Joanne Baptista concepto in Novembri. Eo enim dato, decimus quintus exinde mensis completus Natalem Christi decimo sexto Mensi ineunti Februario affiget. Pro eodem mense Scaligerum & Vecchiettum allegat Cappellus, *in Dissertatione*, *cap*. 4. *n*. 11; sed fallitur, ut patebit ex mox dicendis. Pro Februario Gobarus, sub dubio.

Vecchiettus enim, *in Opere de Anno Primitivo*, partum Virginis diei 25 Martii tribuit. Quidam olim, teste Clemente Alexandrino, *l*. 1 *Stromat*. eum diei 24 vel 25 Pharmuthi; hoc est, 19 aut 20 Aprilis tribuebant. In eumdem mensem consentit Temporarius, *pag*. 166; sed diem assignat 15, futilibus ductus argumentis, ac nominatim authoritate Glossæ *in cap*. 2 *Esther*, cujus verba non est assecutus. Quidam etiam apud Clementem, *loco cit*. Natalem statuerunt die 25 Pachon, seu 20 Maii; quos Hervartus, *pag*. 229, conatur trahere ad 25 decembris: sed frustra. Quidam apud Epiphanium *suprà*, *n*. 29, prætulisse videntur diem vel 21 Maii, vel 20 Junii: sed fortè de solâ Christi conceptione ita senserunt, ut benè observavit Petavius, & nihilominus Januario natum censuerunt. Nonnulli siquidem ex Antiquis non ita fuerunt solliciti de novem mensibus in utero Virginis Christo assignandis, ut postea dicemus. Qui Julio vel Augusto patrocinaretur, reperi hactenus neminem. Pro Martio Vecchiettus. Pro Aprili quidam Antiqui & Temporarius. Pro Maio, quidam Antiqui; ac fortè pro Junio nonnulli.

Septembri favent varii è recentioribus Sectariis, nominatim Beroaldus, *Parte* 4 *Chronici*, determinans ipsum Æquinoctium Autumnale, & asserens se id hausisse ex Scriptoribus quibusdam Ægyptiis. Fortè hoc unum vult, se ita sentire, quòd (ut ex eo refert Genebrardus) Ecclesiæ Ægyptiacæ ac Græcæ suas inde inchoent Indictiones; quod argumentum est futilissimum. Sequitur eamdem opinionem Scaliger, *in Appendice ad Opus de Emendatione*, *pag*. *penult*. ubi generatim assignat finem Septembris. Scaligero, de more, inhæret Calvisius *cap*. 48 *Isagoges*, idemque docent Henricus Wolphius, & alii. Octobrem ineuntem postea prætulisse videtur Scaliger, *pag*. 300 *Canon*. *Isagog*; timidè tamen quoad diem determinandum; nihilominus de illo anni tempore paulò laxiùs sumpto credit se irrefragabilem demonstrationem attulisse; quæ reipsâ merus est paralogismus falsâ hypothesi nixus, ut patet ex iis, quæ diximus suprà, *cap*. 31. Novembri favet omnino Clemens Alexandrinus, *lib*. 1 *Stromat*. ut suprà ex ejus epilogismis colligi ostendimus, *cap*. 5. Pro Septẽbri Beroaldus, Scaliger, Calvisius, Wolphius. De Octobri dubitat Scaliger. Pro Novẽbri Clemẽs Alexandrinus.

Habet pro se December ingentem testium nubem jam inde ab Ecclesiæ exortu. Ex illis est Clemens Romanus, *lib*. 5. *Constit*. *cap*. 12, ubi Christi Natalem conjicit *in diem 25 Mensis noni*, qui ipsi est December; sicut & dies sextus Mensis decimi, quem ibidem Baptismo assignat, est dies sextus Januarii; & Mensis Æquinoctii Verni est eidem *duodecimus*; ut patet *ex libri citati capite* 16; ita ut nimirum Mensis Aprilis sit primus; quod ad quorumdam Antiquorum mentem intelligendam, observatu dignum est. Vide Anastasium Nicænum in Sermone de Annuntiatione, ubi *Octobrem* vocat *septimum Mensem*, sicut Gregorius Turonensis *Novembrem* vocat octavum. De Mense Decembri Clementi consentiunt Evodius Petri Apostoli in Episcopatu Antiocheno successor, *in Epistolâ Vulgò dictâ*, *Lumen*, quam recitat Nicephorus Callistus, *lib*. 2 *Hist*. *cap*. 3. S. Ambrosius, *Sermone* 8, 10 & 12. Prudentius, *Hymno* 11 *Cathemerinon*. Augustinus, *in* Pro Decembri comũnis Ecclesiæ sẽsus. Clemens Rom. Evodius, Ambrosius, Prudentius.

Augustinus, Sulpitius, Orosius, Hesychius, Chrysostomus

Traditio illa in Orienté invecta.

in Psalm. 132, *& lib.* 4. *contra Crescon. cap.* 7. *& lib.* 4 *de Trinit. cap.* 5. Severus Sulpitius, *lib.* 2. *Hist. Sacra.* Orosius *lib.* 7 *Hist.* Hesychius, *apud Anastasium Nicænum*, *Quæstione* 92, aliique permulti. Præteriri nullo modo hîc debet Chrysostomus, qui *pluribus Orationibus*, *ac nominatim eâ quæ est* 31 *Tomi* 3, *editionis nostri Frontonis Ducæi*, luculentissimè testatur morem Romanum, passim in Occidente receptum, celebrandi Festa Christi Natalitia die 25 Decembris, fuisse suâ ætate introductum in Orientem, & obviis ulnis vulgò exceptum; scribitque diem verum, quo natus est Christus, ex monumentis Romanis de Censu, in quem is relatus est, deprehensum fuisse. Aliter rem narrat Joannes Archiepiscopus Nicænus, *in Epistolâ ad Zachariam Catholicum Armeniorum*, ubi refert Julium Pontificem Romanum ex Judæorum libris didicisse, Angelum Zachariæ Joannis Baptistæ parenti in Templo ministranti die 10 Mensis Tisri, 23 Septembris, prædixisse nasciturum ei filium; indeque cognovisse Christi Natalem in diem 25 Decembris incidisse; & ab eo tempore fuisse Romæ die illo celebratum. Addit Gregorium Nazianzenum jussu Julii conatum inducere hunc morem in Orientem; sed nonnullos restitisse. Advenisse postea illuc Imperatorem Honorium, qui cùm Matri ac Fratri exposuisset quâ ratione Romani Festum Christi Natalitium observarent; effecisse ut ea etiam ab Orientalibus reciperetur. Rectè autem observat Combfies, *in suis ad hanc Epistolam Notis*, varia illi narrationi inesse hinc inde, quæ falsi suspicionem ingerant: generatim tamen ex hujus Scriptoris & Chrysostomi consensu habemus, alligationem Natalis Christi ad diem 25 Decembris in Oriente, ab Ecclesiâ Romanâ profectam esse; nec dubium quin primis Ecclesiæ sæculis eumdem morem tenuerint Romani, & quidem ab ipsis Apostolis edocti, ut significat *Homilia* Chrysostomi nomine prænotata, & Latinè tantùm extans, *in Natalem S. Joannis Baptistæ*; patetque ex eo, quòd Vetustissimi quique Patres Latini ita in Decembrem conspirent; ut nullius unquam mutationis factæ meminerint; imò Augustinus *in Psalmum* 132 *cit.* disertè Traditionem Ecclesiasticam agnoscat. Huic quoque pertinent Patres illi, qui licet Nativitatis diem non exprimant; scribunt tamen Christum die 25 Martii, aut in Æquinoctio Verno conceptum. Qui enim ita sentiunt, solent communissimè illi mensi ac diei favere quoad Natalem.

Martyrologia varia.

In eumdem mensem ac diem cum Martyrologio Romano conspirant hodie Menæum Græcorum, Martyrologium Syrorum, Coptitarum, aliarumque Gentium, quarum aliquæ etiam ab illo die suos annos olim inchoarunt.

Ipsi Mahumetani.

Quin & ipsi Mahumetani, Arabes & Persæ, (teste Thomâ Gravio, *in Annotationibus*, *quas Polyglottis Bibliis Londinensibus subjecit ad Persicam Evangeliorum Versionem*, *Lucæ cap.* 2 *v.* 11) hac in re cum Christianis consentiunt. Nam apud eos (inquit) *Natalis Messiæ* quasi in proverbium abiit pro *longissimâ nocte*. Subdit deinde quemdam ex iis Scriptorem ita loqui: *Tempus Nativitatis IESV*, *super quem pax*, *fuit nox totius Anni longissima:* item longissimam illam noctem à Persis dici, *Noctem perfectionis*; eo quod tunc Solis curriculum perficiatur: sed eam appellationem nos sublimiore sensu possumus accipere. His conforme est quod scribit Scaliger *lib.* 4. *de Emend. Temp. pag.* 254, se vidisse Ephemeridem Persicam, in quâ ad diem 25 Canun prioris, id est, Decembris, perspicuè scriptum erat, *Natalis IESU.*

Huc

Huc insuper spectat Patrum expositio illius dicti, Joannis Baptistæ, *Joan. c.* 3. *v.* 30: *Illum* (Christum) *oportet crescere*; *me autem minui.* quæ verba in eam etiam partem explicant, quod Joannes in Solstitio æstivo natus sit, dum dies decrescere incipiunt; Christus verò in Solstitio hyberno, dum incipiunt crescere, & Sol novum velut cursum à Tropici Capricorni carceribus orditur, ac è Brumæ tenebris emergens quodammodo renascitur: unde & *Sol novus* ab Antiquis appellabatur, ut patet ex Censorino, *libro de Die Natali*, *cap.* 21. & Servio, *in librum* 7 *Æneidos, ad illud, Vel cum Sole novo*, ubi ita loquitur: *Propriè Sol novus est octavo Kal. Januarias.* Non de nihilo addit, *propriè*: nam, ut rectè observat noster Ludovicus La Cerda *in illum locum*, Virgilius locutionem istam extendit ad Solstitium æstivum, binos annos semestres distinguens in anno Romano, seu Solari, quem *lib.* 3. *Æneid. Magnum annum* appellat. Quod si (ut rectè observat Lindenbrogius, *in Notis ad caput Censorini citatum*) tam Varro, *lib.* 5 *de Linguâ Latinâ*, quàm Ovidius, *lib.* 1 *Fastorum*, Januariis Kalendis assignent *Novum Solem*; oritur id ex antiquâ persuasione, quòd Solstitia & Æquinoctia fierent in octavis partibus suorum Signorum; quâ de re agemus infrà *Quæst.* 3, *cap* 24. Pulchrè hanc hyberni Solstitii cum Christi Natali conjunctionem expressit Prudentius, *Hymno jam citato*:

Natalis Solstitio hyberno tributus.

Quid Sol novus.

Prudentius.

Quid est quod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christus ne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?

Eleganter etiam, nec sine reconditioris eruditionis auctario diem, illum ac mensem aliter explicat antiquus Author, *Homil. cit. de Nativ. S. Joannis, planè in fine*: *Dominus nascitur in mense Decembris, hyemis tempore, octavo Calendas Januarias, &c. Sed & INVICTI NATALEM appellant. Quis utique tam INVICTUS, nisi Dominus noster? qui mortem subactam devicit. Vel, quod dicant SOLIS esse NATALEM; ipse est SOL Justitiæ &c.* Præclaram hic habemus explicationem verborum duorum adjectorum antiquissimo Calendario quod ediderunt Petavius, *in Uranologio*, & Bucherius *in Commentario ad Victorii Canonem Paschalem*, ubi ad diem 25 Decembris adscriptum legitur; NATALIS INVICTI. Hoc nomine SOLEM significari, manifestè ostendunt jam allata Chrysostomi verba; epitheton autem INVICTI olim fuisse communissimè SOLI attributum, solus ille ignorare potest, qui Nummos antiquos *Gallieni*, *Quieti*, *Maximini*, *Maximi*, *Licinii*, *Constantini Magni*, nunquam viderit. Innumeri siquidem hujusmodi extant, quorum aversa facies imaginem Solis exhibet cum hac Epigraphe: INVICTO, vel SOLI INVICTO, vel, SOLI INVICTO COMITI; quæ & in pluribus aliis vetustissimis monumentis visitur, quorum Inscriptiones profert Gruterus, *in vasto suo Opere Inscriptionum.* Vide Juliani Apostatæ *Orationem* 4 *sub finem*, ubi testatur statim post *Saturnalia* (quæ à die 17 Decembris initium ducebant, & ad septem dies, comprehenso Sigillariorum festo, producebantur) celebrari solitos magnificentissimos Ludos SOLI INVICTO; quod cum jam dictis planè congruit. Consule & Petavium, *in illam Juliani locum.* Ex his obiter observo falli Bucherium,

Natalis Invicti ex Calendario Ethnicorũ, applicatus Natali Christi.

Natalis Invicti, Ethnicis est Natalis Solis.

cherium, dum ad dicti Calendarii marginem annotat, NATALEM INVICTI, *indubiè* esse diem, quo Constantius Vetranioni purpuram ademit; unde & *Invictus* dictus sit. Sed molliùs postea, re meliùs examinatâ, locutus est, *lib.9 Belgii Romani, cap. 7 extremo*; & errorem suum ex parte correxit.

Solstitium hic latiùs sumêdum.

Porrò quæ de Solstitio hyberno, Christique Natali in illud incidente hucusque dicta sunt, ita debent omnino accipi; ut ad rigorem mathematicum nequaquam exigantur: sed morali dumtaxat consideratione intelligatur, idque plus minùsve, pro ratione anni, cui hæc aut illa opinio Natalem Christi tribuit. Anno Juliano 41, quem suprà elegimus præ aliis, ingressus Solis in cardinem Solstitialem contigit manè, die 23 Decembris strictè Juliani à mediâ nocte supputato; qui dies, juxta Calendarium vitiosâ Romanorum Sacerdotum intercalatione corruptum, ac nihilominus reipsâ usu tunc receptum, erat 21 Decembris. Si igitur Christus die 25 Decembris tunc usurpati sit natus (prout omnino dici debet, cùm dies ex illo Calendario vitiato tunc numerarentur & apud vulgus, & in omnibus Actis publicis) Sol, eo nascente, jam plusquam ad quatuor gradus punctum Solstitii fuerat prætervectus, & versabatur in quinto gradu Capricorni die illo, qui erat 27 Decembris strictè Juliani. Sed hoc, quoad tempus Solstitii, eo minori dignum est consideratione; quo minùs Sol per aliquot dies à Tropico Capricorni recedit; adeò ut stare videatur: unde etiam nomen Solstitii ortum est.

Error Astrologorum in Themate cælesti Natalis Christi.

Cæterùm hinc videre est, quàm parum, ad id quod agebant, attenti fuerint varii Astrologi, de quibus suprà; dum operosissimè Genethliacum Cæli Thema erexerunt, ad punctum mediæ noctis diem Romanum 25 Decembris strictè Juliani inchoans Hierosolymis Anno Juliano 45; quasi eo præcisè momento natus esset Christus. Cùm enim Calendarium tunc vulgò usurpatum die uno per defectum discreparet à Juliano; necesse est etiam illorum Astronomorum calculos solido die aberrare ab eorum scopo; adeoque eo ipso momento, quod sibi proponunt, inchoatum populari usu fuisse diem dumtaxat 24 Decembris, & Christum non nisi totis 24 horis seriùs genitum fuisse. Ex quo ulterius conficitur (etiam dissimulato errore quoad annum Natalem) quàm ineptè ex tali Themate collegerint quidam Astrologi Judiciarii, ea quæ ad naturalem Christi constitutionem & indolem, ad vitæ genus, doctrinam, miracula, mortem violentam, & alia ejusdem modi pertinent.

Corollariû.

Cùm ex suprà explicato perpetuo Ecclesiæ Romanæ, imò Occidentalis sensu, & antiquissimo Orientalis consensu in Mensem Decembrem, ejùsque diem 25, satis manifestum sit reliquas omnes opiniones antea recensitas habendas esse ut omninò falsas; non est quod iis refellendis immoremur. Non abs re tamen fuerit præcipua earum fundamenta convellere, & quàm parum firma sint demonstrare, nominatim adversus Scaligerum; qui pervicaciæ accusare audet eos, qui Romanæ Ecclesiæ hac in parte consentiunt. Hoc sequenti capite præstituri sumus, postquam paucula expediverimus, quæ de feriâ hebdomadis, & horâ in quam divinus Natalis incurrit, dicenda supersunt.

Feriâ primâ natū Christū statuūt, Sexta Synodus,

Sicut de hac Feriâ nihil fuit apud Antiquos certi; ita nec apud Recentiores. Illorum plerisque placuit Feria prima, seu Dominica. Ita Sexta Synodus *cap.* 8. Augustinus *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 6. Hippolytus Thebanus, *apud*

apud Henricum Canisium, To. 3, *Antiq. Lect. pag.* 42. Sophronius, *Homil. de B. Virgine*, Cassiodorus, *in Psal.* 117. Nicephorus Callistus *lib.* 1 *Hist. cap.* 12. Fuit communissima hæc Computistarum opinio ante annos circiter ducentos; adeò ut ex hac hypothesi, quibusdam aliis præjudiciis junctâ, in maximos errores fuerint abducti, quos superiùs indicavimus, *capite* 2.

Augustinus, Hippolytus Thebanus, Sophronius, Cassiodorus Nicephor. varii Computistæ.

Feriam tertiam præfert Author *libri de Argumentis Lunæ, in Operibus Bedæ, cap. de Solstitiis.* Temporarius, *pag.* 166. M. Ant. Cappellus *pag.* 128.

Feriâ tertiâ, Author incertus, Temporarius, Capellus.

Feriam quartam assignant Chronicon Alexandrinum, *pag.* 480. Maximus, *Parte* 1 *Computi, cap.* 32. Cedrenus, *in Compendio.*

Feriâ 4. Chronic. Alex. S. Maximus. Cedrenus.

Feriæ sextæ patrocinatur Hesychius, *Sermone de Natali Domini.* Anastasius Sinaita, *lib.* 7 *in Hexaëm. & lib. Quæstionum, Quæst.* 93. favet Salianus, *Anno Mundi* 4052, *num.* 58, *& seqq.* & Author Calendarii Apostolici, *cap.* 19.

Feriâ 6. Hesychius, Anastasius, Salianus, Anonymus.

Nullo negotio decideretur hæc quæstio, si de Anno, Mense, ac die Nativitatis Christi inter omnes conveniret: habitâ tamen ratione discriminis dierum, quod eâ ætate inter Calendarium strictè Julianum, & id quod vulgò usurpabatur, intercedebat; quod fatendum est nec à Sanctis Patribus, nec à medii ævi Scriptoribus attentum fuisse, imò nec à quibusdam Recentioribus satis attendi. Exemplo sit Baronius, *tum in Apparatu ad Annales*; *tum in Notis ad Martyrol. Rom.* Ubi, Antiquos secutus, Feriam primam Christo nascenti deputat, quæ ejus Chronologiæ convenire non potest; seu ad Calendarium strictè Julianum respexerit, seu ad erroneum usu receptum. Ad eundem lapidem passim hîc & alibi offendunt Chronologi, dum ex aliorum dictis inter se pugnantibus centones malè variegatos texunt.

Decisio pendet ab Anno Natalis Christi.

Nobis Annum Julianum 41 amplectentibus, diémque 25 Decembris usu tunc recepti, consequens esse debet Christum Feriâ quartâ natum esse. Illius enim Anni Littera Dominicalis erronea est F, affixa diei 22 Decembris; ut proinde dies 25 cum Feriâ quartâ concurrat necesse sit. Mirificè congruit hic dies hebdomadis quartus, quo natum Solem Justitiæ statuimus, cum Feriâ 4, quâ primùm Solem hunc aspectabilem à Deo conditum scribit Moses, *cap.* 1. *Genesis.*

In nostrâ sententiâ Natalis congruit Feriæ quartæ.

Nimiæ, opinor, curiositatis non accusabimur, si & in horam Christi nati inquiramus; quando & ipsi Sancti Patres nobis hac etiam in parte prævivere. Hesychius, *apud Anastasium Sinaitam, aliàs Nicænum, Quæst.* 93, asserit Christum natum horâ diei tertiâ. Widmestadius, *Notâ* 12, *in Theologiam Mahometis*, scribit se in antiquo Codice Græco legisse, natum die 25 Decembris, horâ diei sexta. Author antiquus, quem sub nomine Clementis Romani citat Anastasius *loco citato*, horâ diei septimâ; idémque habet Chronicon Alexandrinum, *pag.* 533, ubi non rectè à Radero corrigitur textus. Pro nocturno tamen tempore facit Universalissimus Ecclesiæ sensus, à quo etiam Antiquos non penitùs abhorruisse, satis declarat Problema Stephani Gobari initio hujus capitis allatum. Apertè id significat Lucas, *cap.* 2, *V.* 8: *Pastores erant in regione eâdem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Deinde Scriptores jam allegati, qui de die loquuntur, agunt fortassis

De horâ Nativitatis non consentiunt sancti Patres. Hesychius horâ 3 diei Christum natû censuit. Anonymus horâ sextâ, Clemens horâ 7, uti & Chronicon Alex. Pro tempore nocturno sensus Ecclesiæ.

fortassis de die naturali, sumpto ejus initio ab occasu Solis, more apud multos Orientales recepto. Ut ut sit, non censeo sine urgentiore causâ recedendum ab horâ mediæ noctis, quam probare videtur communissimus Ecclesiæ sensus, his etiam solemnis Missæ verbis testatus: *Cùm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet &c.*

Imò pro mediâ nocte.

Conciliatio Orientaliū circa diem Natalis in Januario.

Ex nocturnâ hac Christi Nativitate, ac maximè si ipso mediæ noctis articulo contigit, facile est assequi, cur illam quidam ex Orientalibus Januario faventes ad quintum, alii ad sextum Januarii diem retulerint. Potuit enim, etiam ex usu recepto, facilè ad utrumvis diem referri, qui in unius fine & alterius initio natus est; &, eo secluso, cùm eadem nox fuerit apud quosdam præcedentis diei pars posterior, apud quosdam principium sequentis; nihil factu pronius fuit, quàm ut ex hac consideratione è duobus diebus contiguis, unus ab his, alter ab aliis numeraretur. Vide etiam Gellium, *lib.* 3, *cap.* 2.; & Plutarchum, *in Quæst. Romanis*, ubi de simili dubio agunt. Suspicari etiam fortè quis posset, diversitatem illam ortam ex modo quo Romani *diem sextum* Januarii exprimunt, dum eum vocant, *diem ante octavum Idus Ianuarias.* Videntur enim nonnulli è Græcis ita locutionem illam accepisse, ut censuerint eum esse quintum Januarii, ut pote qui præcedat diem octavum Idus. Hoc sensu eam phrasim sumpsisse videtur Epiphanius, v. g. *Heresi* 51, *n.* 24; quo loco verba illa, πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίων, sic explicat: ἥτις ἐστὶ κατὰ Ῥωμαίους πέμπτη τοῦ Ἰανουαρίου μηνός. Eodem etiam modo locutionem illam sumpsit Stephanus Gobarus, *apud Photium Codice* 132. Alii è Græcis, qui meliùs modum loquendi Romanum calluerint, rectè censuerint per illum non alium diem exprimi, quàm Januarii sextum; ideóque Christi Natalem illi tribuerint. Consule omninò Petavium, *lib.* 5. *Auctarii*, *cap.* 11. Quâ autem occasione factum sit, ut tam multi diem quintum aut sextum Januarii dixerint Christi ortu consecratum, in hujus capitis fine examinabimus.

Quot diebus manserit Christus in utero materno?

Quot dierum moram in Virginis Matris utero traxerit Christus, superfluum sit hodie quærere; cùm nobis ex antiquissimâ Traditione constet Verbum divinum die 25 Martii carnem induisse. Cúmque ex hactenus dictis habeamus Dei-Hominis Natalem incidisse in 25 Decembris; evidens est materni uteri angustiis conclusum fuisse diebus 275, mensibus Romanis novem præcisè, Lunaribus novem ac diebus insuper novem aut decem; mensibus Ægyptiacis novem, & diebus quinque. Postremus hic dierum & mensium numerus in memoriam

Opinio Armenorum.

mihi revocat ratiocinationem Catholici Armeniorum, *in Disputatione cum Theoriano*, *in Bibliothecâ PP. Græcorum*, dum tueri conatur popularium suorum morem celebrandi Natalem Christi die 5 aut 6 Januarii, allegato loco *ex Sapientiæ cap.* 7, *V.* 1 *&* 2, ubi dicitur Salomon *figuratus decem mensium tempore.* Ex his enim verbis, & ex receptâ apud Armenios opinione de infantibus primogenitis ex utero non prodeuntibus nisi post expletos in eo novem menses ac dies quinque, contendit populares suos legitimè Christi Natalem recolere; quæ responsio videtur indicare Catholicum illum censuisse Christum primo die Aprilis conceptum fuisse. Malæ huic ratiocinationi rectè quidem opponit Theorianus Salomonem de Mensibus Judaïcis ac Lunaribus egisse:

sed

ſed addere potuiſſet, cum nec Davidis, nec Bethſabee primogenitum fuiſſe; quandoquidem (ut de aliis taceam) ex utriuſque adulterio jam antea natus eſſet infans, qui ſtatim vivis ereptus eſt.

Explodendi verò ſunt ii, quos Epiphanius, *Hæreſi* 51, *num.* 29, refert exiſtimaſſe, Chriſtum ſeptimo poſt conceptionem menſe in lucem editum; quod palàm receptæ apud omnes Traditioni adverſatur: præterquam quod Chriſtus, qui reliquis omnibus in rebus nobis tantopere ſimilis factus eſt, minimè credendus ſit ſe temporis ordinarii legibus exemiſſe. Rejecti qui ſeptem tantùm mēſes tribuerunt.

Quærat hîc aliquis, quid porrò cauſæ eſſe potuerit, cur Ægyptii, aliique per Orientem quàm plurimi, opinati fuerint Chriſtum natum die 5 aut 6 Januarii? Suprà enim vidimus Scriptores jam illum, jam iſtum diem expreſſiſſe. Unde ortū ut Ægyptii crediderint Chriſtum natū die 5. vel 6 Januarii?

Reſpondeo id inde probabiliter oriri potuiſſe, quod dies 25 Decembris, juxta Calendarium tunc uſu receptum (quocumque demùm anno, ex hodie controverſis, natus ſit Chriſtus) inciderit in diem ſextum Ægyptiaci Menſis Tybi in Anno Nabonaſſareo vago. Sicut enim varii, qui menſes Lunares Judæorum cum Romanis comparant, ſolent menſem Niſan cum Martio aut Aprili ſimpliciter comparare; ita qui Ægyptiacos menſes, à Cæſare Auguſto fixos poſt expugnatam Alexandriam, componebant cum Romanis, facilè, imò potiori jure, cum Januario compoſuerint Menſem Tybi, qui in Anno fixo Ægyptiaco ferè totus cum Januario ſemper concurrit. Cùm igitur inaudiiſſent à majoribus ſuis Chriſtum natum die ſexto aut quinto menſis Tybi (nam, ob rationem ſuprà allatam de diverſis diei initiis, utrumque verum eſſe poterat) quod illi intellexerant de menſe Ægyptiaco vago; id poſteri de menſe Romano, cùm quo Menſem ſuum Tybi componebant, acceperint, & ad Januarium tranſtulerint. Poſtea verò cùm adverterent diem ſextum Januarii (uti & quintum in Annis intercalatis) concurrere cum undecimo die Menſis Tybi fixi; attribuerint Chriſti Natalem diei 11 Tybi, & quinto aut ſexto Januarii; in ſimilibus enim facillimus eſt tranſitus ab unâ acceptione ad aliam. Hujus ſeu conjecturæ, ſeu ſuſpicionis, mihi occaſionem dedit Nicolaus Mullerus, *pag.* 74 *Iſagoges in Calendarium*; ubi tamen non rectè aſſerit Chronologos paſſim diem quintum Tybi deſignaſſe ut Chriſti Natalem; nam communiter tum Antiqui, tum Recentiores diem undecimum Tybi deſignant. Conjectura noſtra.

Aliunde hujus rei originem arceſſunt nonnulli; ab homonymiâ ſcilicet vocum Θεοφάνεια, & Επιφάνεια, quæ cum *Dei Adventum*, ſeu *Apparitionem*, & *Manifeſtationem* ſignificent; cœperint primùm adhiberi ad Baptiſmum Chriſti deſignandum, qui tunc à Patre æterno palàm declaratus eſt *filius* ejus *dilectus*, *in quo ſibi benè complacebat*. Poſtea verò, quòd eædem voces Chriſti nobis per Nativitatem apparentis manifeſtationi convenirent; ad hanc etiam ſignificandam adhibitæ ſint. Denique cùm de Baptiſmo die ſexto Januarii ſuſcepto minùs vulgò dubitaretur; tam hujus, quàm Nativitatis ſolemnitas in illum diem conjecta fuerit; indeque paſſim in Oriente creditum, myſterium utrumque in diem quintum ſextúmve Januarii incidiſſe. Huic conjecturæ, uti & præcedenti, deferet unuſquiſque, me lubente volente, quantum viſum fuerit. Aliorum conjectura.

CAPUT TRIGESIMUM-QUINTUM.

Solvuntur nonnullæ objectiones, quæ à variis formantur contra Mensem Decembrem, ejusq; diem 25.

Objectio prima. PRima *Objectio* est Orientalium, qui Chrysostomo Romanum & totius Occidentis morem inducere in Orientem satagenti opponebant: *Hic* (in Oriente) *Christus natus est. An ergò magis illi* (Romani) *sciunt* (quo mense & die natus sit) *qui longè* (à loco Nativitatis Christi habitant) *quàm isti* (Palæstini, Ægyptii, Syri) *qui propè sunt?*

Responsio Chrysostomi. Respondet Chrysostomus, *Homiliâ de Nativitate Domini*, Occidentales id, quod est in quæstione, didicisse ab Apostolis, quos Judæi ex Palæstinâ ejecerant. In eâ Provinciâ, mox à Christi in cœlum Ascensione excitatam fuisse in Christianos persecutionem, & isthic usque ad postremam Hierosolymæ destructionem semper viguisse bella; alibi pacem. Postea omnes tam Judæos, quàm Christianos à Vespasiano primùm ac Tito, deinde ab Hadriano ex Judæâ ejectos esse, inductamque in eâ solitudinem; ideoque non potuisse istic certi quidpiam haberi de die Christi Natali. *Magis itaque*, inquit, *Traditio ibi* (in Occidente) *debuit servari; quàm hic* (in Oriente) *ubi discordia* semper fuit, primis Ecclesiæ temporibus. Subdit: *Non sunt nostra, quæ loquimur; Majorum sententia est. Universus Mundus contra hujus Provinciæ* (Syriæ seu Palæstinæ) *opinionem loquitur.* Alibi, ut suprà dicebamus, respondet diem illum ex Censoriis Quirinii Tabulis innotuisse Romanis, & per hos Orientalibus à paucis annis: quæ responsio haud paulò solidior est, & magis animos inquietos sedare poterat. Vide Augustinum, *Epist.* 118, *quæ est ad Januarium*, ubi ait, ea quæ non scripta, sed tradita, toto terrarum Orbe observantur, intelligi commendata atque statuta, vel ab Apostolis, vel à Plenariis Conciliis.

Hospiniani cõmentum. Ex his patet, quàm ridiculus sit Hospinianus, dum ait primos Christianos ideò Nativitatis Christi festum olim sub exitum Decembris celebrâsse; ut Ethnicorum Saturnalia in eumdem mensem jam adultum incidentia abolerent. Quasi verò Romæ fœdiora alia aliis mensibus defuerint, quæ inductâ Natalis Christi solemnitate abolerentur. Præterquàm quòd festum Natalis non in dies Saturnalium incurrerit; sed eos omnes secutum fuerit: ut constat ex Kalendariis Romanis vetustissimis hodieque extantibus.

Objectio 2. *Secunda* est Scaligeri, qui ex ordine Ephemeriarum Sacerdotum in Templo Hierosolymitano ministrantium demonstrâsse se credit, Christum sub finem Septembris nasci debuisse; quod & amplectitur Calvisius, *cap.* 48 *Isagoges*, & ex Catholicis Vecchiettus.

rejecta suprà. Sed prætensa illa Scaligeri demonstratio nihil aliud est, quàm Paralogismus nixus falsâ Hypothesi de Christo nato Anno Juliano 43. Imò clarè ostendimus suprà *cap.* 31, ordinem Classium Sacerdotalium, quo nititur Scaliger, optimè, juxta nostram Chronologiam, convenire cum Natali Christi affixo diei 25 Decembris,

cembris, indeque opinionem nostram meritò confirmavimus.

Tertia: Opinio Ecclesiæ Romanæ inde ortum habuit, quòd censuerint Antiqui Patres, Zachariam, Joannis Baptistæ parentem, summum Pontificem fuisse, eique à Gabriele prænuntiatam prolem die decimâ Mensis Tisri, quâ solâ, intra totius anni decursum, ingrediebatur Pontifex in Sancta Sanctorum; prout pluribus Homiliis disertè affirmat Chrysostomus, & plures è Sanctis Patribus. Subruto autem illo fundamento, quod falsum esse jam constat, quidquid nonnulli hodieque reluctentur; necesse est & alia illi inædificata corruere. Ita Scaliger & Calvisius, quorum posterior sibi persuadet id ab aliquo sciolo introductum fuisse. Objectio 3.

Respondeo sensum Ecclesiæ illâ ratiocinatione non niti; sed, ut suprà declaratum est, tum Traditione ab Apostolis acceptâ, tum Tabulis Census Christo nascente acti. Quod si aliqui è Sanctis Patribus, ut Ecclesiæ usum aliunde stabilitum novis rationibus firmarent, etiam argumentum illud adhibuerint, petitum à summo Zachariæ Sacerdotio, ejusque solemni ingressu in adytum Templi; non debet id fraudi esse veritati: quandoquidem, ut docet Aristoteles *in Analyticis*, etiam ex falsis possit verum elici; quamvis ex veris non possit vicissim elici falsum per legitimum Syllogismum. Solutio.

Quarta: Census, in quem relatus est Christus, non potuit commodè per hyemem haberi; potuit autem commodissimè tempore verno, vel Autumnali. Ita Wolphius, Hospinianus, Calvisius, & similes. Objectio 4.

Respondeo non totum Censum fuisse hyeme peractum (nec enim tam arduum negotium intra paucos menses confici potuit) sed vero-similiter Vere præcedente fuisse inchoatum; cumque non posset sine incommodo interrumpi (reditum in Italiam parante Saturnino hactenus Syriæ Præside, suffectoque illi Quintilio Varo, qui jam aut in Palæstinam appulerat, aut ab illâ proximè aberat) fuerit per hyemem continuatus; Romanis Censitoribus sua commoda facilè anteponentibus commodis Judæorum. Et fortassis hyems eo anno siccior vias duraverit, & ex eâ parte minùs molestas reddiderit. Solutio.

Quinta: Nascente Christo Pastores ovium *custodiebant vigilias noctis super gregem suum*, teste Lucâ, *cap.* 2, *v.* 8. Quis autem credat eos rigente hyeme in agris cum suis gregibus pernoctâsse? Verno igitur aut Autumnali tempore id contigisse dicendum est. Ita Beroaldus, Scaliger, Calvisius, Temporarius, Hospinianus, Wolphius, aliique horum Symmystæ. Objectio 5.

Respondeo valdè imperitos rerum videri eos, qui talia audent objicere. Scaligero ejusque sequacibus oppono Casaubonum, summum illum Scaligeri encomiasten. Asserit autem hic, *Exercit.* 2, *ad Annum Christi primum*, *n.* 14, *In Angliâ armenta saltem, toto anno in agro pernoctare, neque propter frigus, aut pluviam, aut ventos, ulli tecto unquam subire.* Et mox concludit: *Quare vetusta traditio Ecclesiæ* (de Christo nato die 25 Decembris) *non temerè nobis rejicienda.* Acriùs etiam loquitur Langius, dum *lib.* 2 *de Annis Christi*, *Parte* 2, *cap.* 2. *extremo*, scribit suprà allatum Scaligeri argumentum *ne hili quidem esse*; subditque: *Sanè in Daniâ meâ oves totâ hyeme in agris degunt, nisi terra ita penitùs nive tecta sit; ut nihil pabuli extra villas habere possint. At quid Judæa* Solutio.

ad meam patriam gelidis trionibus subjectam? Certum igitur est ac demonstratum, verum Christi Natalem incidere in 25 Decembris. Enimverò si præter Judææ morem fuisset, mediâ hyeme greges in agris pernoctare; mirum esset Patres Orientales, qui die 6 Januarii natum Christum credebant, nusquam Pastorum istorum extraordinariam tolerantiam prædicâsse. Extra dubium igitur esse debet, id passim istic fuisse usu receptum.

Objectio 6. *Sexta*: Christus umbras veteris Testamenti iisdem ferè diebus festis implevit & abrogavit, quibus in Politiâ Judaicâ celebrabantur. Exempli causâ; Christus Pascha nostrum, in festo Paschatis oblatus est. In festo Pentecostes seu primitiarum, Apostoli primitias Spiritûs Sancti acceperunt, & Lex nova veteris loco data est. Nullus autem est Mensis, qui plura festa contineat Christum adumbrantia, quàm septimus Mensis Tisri, Dicendus ergo est Christus eo mense conspicuum se nobis præbuisse, quo & *jejunium expiationis*, & *festum Scenopegiæ* seu *Tabernaculorum* celebrabatur, & Summus Pontifex in *Sancta Sanctorum* ingrediebatur. Confirmatur ex eo, quòd Joannes Evangelista *cap.* 1, *v.* 14, dum ait Verbum *habitasse* in nobis, utatur voce ἐσκήνωσεν, id est, σκηνὴν, seu *tabernaculum* fixit in nobis; alludens scilicet ad *festum Scenopegiæ* seu *Tabernaculorum*. Ita Beroaldus, & Calvisius.

Solutio. Respondeo hujusmodi umbras potuisse à Deo faciliùs attendi pro eo tempore quo Christus moriens palàm eas implebat, quàm pro eo quo paucissimis notus nascebatur. Deinde Festum Expiationis & Summi Pontificis ingressum in Templi adytum non erant umbræ ullius mysterii peracti mense Tisri; sed Passionis & Ascensionis Christi, quæ mense Nisan, & Ijar peractæ sunt; ut interim taceam de *Festo Clangoris* & *Scenopegiæ*, quæ aliò, quàm ad Nativitatem pertinent; ut videre est apud Interpretes. Denique non deest talium Analogiarum materia, si attendatur & Æquinoctium Vernum quo conceptus, & Solstitium hibernum quo natus est verus Justitiæ Sol, eo ipso die quo Gentiles Solis visibilis Natalem celebrabant: & hæc duo tempora præclarè Christo passim applicant Sancti Patres, & ejus Conceptioni & Nativitati convenientissimè assignata fuisse demonstrant.

CONCLVSIO TOTIVS HVIVS QVÆSTIONIS PRIMÆ.

Author secutus doctissimos Recentiores, qui aliquid Antiquioribus addere potuerunt.

HÆc habui quæ, pro meâ tenuitate, de Anno, Mense, Die, & Horâ tot sæculis expectati faustissimi Natalis Servatoris nostri, Lectoribus meis offerrem; in unicam, quàm semper mihi propono, Veritatem intentus, & magnos, hujus præsertim sæculi, Viros secutus; quorum eruditissima sensa confirmare & adversus obtrectatores stabilire conatus sum. Hos si pro pumilionibus habent ii, qui, secus ac illi & ego, opinantur, & solos Antiquos tamquam gigantes suspiciendos putant; rogo ut meminerint vulgaris dicti, pumilionem gigantis vertici impositum, ejusque proceritate adjutum, longiùs, quàm hunc, aciem oculorum proferre posse; & exiguum regulum alis vastæ aquilæ subvectum, altiùs

altiùs supra nubes aliquando evolasse. De me profitebor, nulli jam à pluribus annis labori pepercisse, ut in tam nobili argumento verum eruerem; &, si aliud nihil, hoc saltem esse me consecutum, ut in eâ sententiâ, quam amplector, penitùs acquiescam; planéque mihi persuadeam falsum esse non posse, quod tot verissimis pronuntiatis, tam solidè stabilitis, tam indivulsè inter se connexis, tam inaniter hactenus oppugnatis, innititur. Aliis, non dubito, longè aliter videbitur. Nimirum ita sunt humana omnia, in quibus & *Velle*, & sentire *suum cuique est*; & ut *voto non uno vivitur*; ita nec judicio. Spero tamen fore, ut si semotis præjudiciis ratiunculisque popularibus, maturo judicio per otium expendantur, quæ, paulò fortassis explicatiùs quàm hactenus factum sit, totâ hac Quæstione proposui; deprehendant cordati & harum rerum intelligentes Lectores, quàm non de nihilo huic parti inhærendum putarim. Spem hanc meam firmat, quòd videam doctissimos viros paulatim oculos aperire, & præcipuos quosque Chronologos hujus temporis, omnibus æquâ lance libratis, ab opinione quam tuendam suscepi, alienos non esse; quosdam etiam apertè illam profiteri. Ut fortè non ex vano conjicere liceat, futurum hîc etiam locum Horatiano illi dicto:

Spes progressuum opinionis nostræ.

Opinionum vices.

Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadentq;
Quæ nunc sunt in honore.

Rectè Plinius, *lib.* 17 *Hist. Nat. cap.* 4: *Mutantur sæpe judicata quoque, ac diu comperta*; quod præsertim quadrat in problemata Chronologica, quorum neutra pars seu Ecclesiæ judicio, seu eruditorum omnium consensu, transiit in rem judicatam.

Lentiores initio fuisse hujus opinionis progressus, mirum esse non debet. Nempe semper verum erit tritum illud:

Cur tam lenti fuerint hujus opinionis progressus.

Dediscit animus ægrè, quod didicit diu;

& nunquam non erit difficile Oratori dicere apud præoccupatos. Deinde quotus quisque eâ, quâ par esset, seu patientiâ, seu accuratione, in Quæstionem hanc innumeris difficultatibus implexam incumbit? Robusto sanè stomacho est opus ad eas exsorbendas, delicato præsertim hoc sæculo, ne dicam fastidioso ac nauseabundo, quo (ut aliâ occasione post Plinium loquitur Hieronymus, *Præfatione in lib. Paralipomenon, ad Domnionem & Rogatianum*) *optima quæque malunt contemnere plerique, quàm discere.* Præterquàm quod Deckerianæ Sententiæ progressibus & incrementis ita aliquamdiu obstiterit Vir maximus, qui tunc, ob recenter editos Annales Ecclesiasticos, authoritatis arcem tenebat; ut eam pænè in cunis suffocarit: & fortè suffocasset; nisi subsidio in tempore venisset doctissimus Kepplerus, omnibus ad eam rem præsidiis instructissimus.

Tam diu hoc arcanum latere potuisse (si quidem veritate nitatur) nonnullis incredibile videtur: mihi verò minimè. Tardè eruuntur, quæ altè jacent. Semper verum fuit, potuitque quavis ætate de qualibet implexâ & arduâ controversiâ usurpari illud Senecæ velut vaticinium, *lib.* 7. *Quæstionum Naturalium, cap.* 25: *Veniet tempus, quo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Ad inquisitionem tantorum, ætas una non sufficit. . . . . . Itaque per successiones istas longas explicabuntur. Veniet tempus, quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur.* Eodem spectant quæ scribit *ejusdem libri cap.* 31:

Tempus & multorum labor multa latentia proferunt in lucem.

Multa

Cedrenum, Michaëlem Glycam, Nicephorum Callistum, aliósque pro Anno Juliano 42 stantes antevertamus.

Non omninò destituimur Antiquitatis patrocinio.

Hactenus ita cum Adversariis egimus, quasi neminem ex totâ Antiquitate nobis faventem nancisci possemus. Sed reipsâ non ita est: ostendimus enim suprà *capite* 3, nobiscum sentire antiquissimum Scriptorem, quem sub nomine Clementis Romani allegat Anastasius Sinaita, aliàs Nicænus, antiquus & ipse Scriptor, & probabiliter S. Iustinum Martyrem: item eamdem esse debuisse mentem quibusdam aliis Antiquis, qui Christum Anno Æræ Vulgaris 28, aut 29 passum crediderunt. Patrocinatur igitur aliquousque nobis etiam Antiquitas, neque quicquam hactenus tantopere inauditum proferimus, dum Christi Natalem anno Iuliano 41 exeunti alligandum esse contendimus.

Libosi dictum pro veritate cótra consuetudinem.

Quod si hæc contentiosiori alicui Antiquitatis patrono necdum faciant satis; audiat, & nostræ diatribæ aptet verba Libosi Episcopi in Concilio Chartaginensi: *In Evangelio dixit Dominus: Ego sum veritas; non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestatâ, cedat consuetudo veritati.*

CAPUT TRIGESIMUM-QUARTUM

Quo Mense, quoto ejus die, quâ feriâ, quâ horâ natus sit Christus.

Diversæ olim opiniones de Mense quo natus est Christus.

FIdem omnem superat quanta semper etiam de his fuerit, sitque hodie diversitas opinionum; vix ut unum alterúmve mensem assignare sit, qui suos non repererit patronos: etsi duo præ reliquis primâ Ecclesiæ ætate obtinuerint, December & Ianuarius.

Pro Januario Epiphanius,

Pro Januario palàm stat Epiphanius, *Hæresi* 51, *n.* 24, ubi & diem signat undecimum Ægyptiaci Mensis Tybi, qui in anno non intercalari respondet diei sexto Januarii. Vide eumdem *n.* 27 *&* 29, ubi eumdem diem confirmat; in textu tamen Græco *numeri* 24, legitur, *dies quintus*, de quo postea. Catholicus Armeniorum disputans cum Theoriano, refert inaudivisse se, extare quamdam Epiphanii Orationem, quâ asserat Christi Natalem die 25 Decembris celebrandum esse; ideoque Cappellus, *pag.* 61, credit eum sententiam mutasse. Sed hæc Oratio, quod sciam, nusquam comparet; nec eam viderat Catholicus ille, ut ibidem ait.

Ægyptii,

Ægyptios simul cum die Epiphaniorum (sexto Ianuarii) solitos Christi Natalem celebrare, testatur Cassianus, *Collatione* 10, *cap.* 2. Quem morem, quoad Christi Natalem, confirmat Hieronymus, dum illum reprehendit *Commentario in caput* 1 *Ezechielis*.

Gobarus sub dubio, Armenii.

Stephanus Gobarus apud *Photium*, *Codice* 32, inter sua problemata proponit illud, Quod Virgo pepererit Christum die 5 Januarii mediâ nocte. Isaac Catholicus Armeniorum, *Invectivæ suæ cap.* 3; populares suos reprehendit, quòd Christi Natalem simul cum Annuntiatione & Baptismo celebrent die 5 Januarii vesperi: quæ omnia illius opinionis & antiquitatem & diffusionem ostendunt.

Pro

Pro Februario facere videtur alterum Stephani Gobari, *loco citato*, problema de Joanne Baptista concepto in Novembri. Eo enim dato, decimus quintus exinde mensis completus Natalem Christi decimo sexto Mensi ineunti Februario affiget. Pro eodem mense Scaligerum & Vecchiettum allegat Cappellus, *in Dissertatione*, *cap.* 4. *n.* 11; sed fallitur, ut patebit ex mox dicendis. Pro Februario Gobarus, sub dubio.

Vecchiettus enim, *in Opere de Anno Primitivo*, partum Virginis diei 25 Martii tribuit. Quidam olim, teste Clemente Alexandrino, *l.* 1 *Stromat.* eum diei 24 vel 25 Pharmuthi; hoc est, 19 aut 20 Aprilis tribuebant. In eumdem mensem consentit Temporarius, *pag.* 166; sed diem assignat 15, futilibus ductus argumentis, ac nominatim authoritate Glossæ *in cap.* 2 *Esther*, cujus verba non est assecutus. Quidam etiam apud Clementem, *loco cit.* Natalem statuerunt die 25 Pachon, seu 20 Maii; quos Hervartus, *pag.* 229, conatur trahere ad 25 decembris: sed frustra. Quidam apud Epiphanium *suprà*, *n.* 29, prætulisse videntur diem vel 21 Maii, vel 20 Junii: sed fortè de solâ Christi conceptione ita senserunt, ut benè observavit Petavius, & nihilominus Januario natum censuerunt. Nonnulli siquidem ex Antiquis non ita fuerunt solliciti de novem mensibus in utero Virginis Christo assignandis, ut postea dicemus. Qui Julio vel Augusto patrocinaretur, reperi hactenus neminem. Pro Martio Vecchiettus. Pro Aprili quidam Antiqui, & Temporarius. Pro Maio, quidam Antiqui; ac fortè pro Junio nonnulli.

Septembri favent variè recentioribus Sectariis, nominatim Beroaldus, *Parte* 4 *Chronici*, determinans ipsum Æquinoctium Autumnale, & asserens se id hausisse ex Scriptoribus quibusdam Ægyptiis. Fortè hoc unum vult, se ita sentire, quòd (ut ex eo refert Genebrardus) Ecclesiæ Ægyptiacæ ac Græcæ suas inde inchoent Indictiones; quod argumentum est futilissimum. Sequitur eamdem opinionem Scaliger, *in Appendice ad Opus de Emendatione*, *pag. penult.* ubi generatim assignat finem Septembris. Scaligero, de more, inhæret Calvisius *cap.* 48 *Isagoges*, idemque docent Henricus Wolphius, & alii. Octobrem ineuntem postea prætulisse videtur Scaliger, *pag.* 300 *Canon. Isagog*; timidè tamen quoad diem determinandum; nihilominus de illo anni tempore paulò laxiùs sumpto credit se irrefragabilem demonstrationem attulisse; quæ reipsâ merus est paralogismus falsâ hypothesi nixus, ut patet ex iis, quæ diximus suprà, *cap.* 31. Novembri favet omnino Clemens Alexandrinus, *lib.* 1 *Stromat.* ut suprà ex ejus epilogismis colligi ostendimus, *cap.* 5. Pro Septẽbri Beroaldus, Scaliger, Calvisius, Wolphius. De Octobri dubitat Scaliger. Pro Novẽbri Clemẽs Alexandrinus.

Habet pro se December ingentem testium nubem jam inde ab Ecclesiæ exortu. Ex illis est Clemens Romanus, *lib.* 5. *Constit. cap.* 12, ubi Christi Natalem conjicit *in diem* 25 *Mensis noni*, qui ipsi est December; sicut & dies sextus Mensis decimi, quem ibidem Baptismo assignat, est dies sextus Januarii; & Mensis Æquinoctii Verni est eidem *duodecimus*; ut patet *ex libri citati capite* 16; ita ut nimirum Mensis Aprilis sit primus; quod ad quorumdam Antiquorum mentem intelligendam, observatu dignum est. Vide Anastasium Nicænum in Sermone de Annuntiatione, ubi *Octobrem* vocat *septimum Mensem*, sicut Gregorius Turonensis *Novembrem* vocat octavum. De Mense Decembri Clementi consentiunt Evodius Petri Apostoli in Episcopatu Antiocheno successor, *in Epistolâ Vulgò dictâ*, *Lumen*, quam recitat Nicephorus Callistus, *lib.* 2 *Hist. cap.* 3. S. Ambrosius, *Sermone* 8, 10 *&* 12. Prudentius, *Hymno* 11 *Cathemerinon.* Augustinus, Pro Decembri comũnis Ecclesiæ sensus. Clemens Rom. Evodius, Ambrosius, Prudentius,

Cedrenum, Michaëlem Glycam, Nicephorum Callistum, aliósque pro Anno Juliano 42 stantes antevertamus.

Non omninò destituimur Antiquitatis patrocinio.

Hactenus ita cum Adversariis egimus, quasi neminem ex totâ Antiquitate nobis faventem nancisci possemus. Sed reipsâ non ita est: ostendimus enim suprà *capite* 3, nobiscum sentire antiquissimum Scriptorem, quem sub nomine Clementis Romani allegat Anastasius Sinaita, aliàs Nicænus, antiquus & ipse Scriptor, & probabiliter S. Iustinum Martyrem: item eamdem esse debuisse mentem quibusdam aliis Antiquis, qui Christum Anno Æræ Vulgaris 28, aut 29 passum crediderunt. Patrocinatur igitur aliquousque nobis etiam Antiquitas, neque quicquam hactenus tantopere inauditum proferimus, dum Christi Natalem anno Iuliano 41 exeunti alligandum esse contendimus.

Libosi dictum pro veritate cōtra consuetudinem.

Quod si hæc contentiosiori alicui Antiquitatis patrono necdum faciant satis; audiat, & nostræ diatribæ aptet verba Libosi Episcopi in Concilio Chartaginensi: *In Evangelio dixit Dominus: Ego sum veritas; non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestatâ, cedat consuetudo veritati.*

CAPUT TRIGESIMUM-QUARTUM

Quo Mense, quoto ejus die, quâ feriâ, quâ horâ natus sit Christus.

Diversæ olim opiniones de Mense quo natus est Christus.

FIdem omnem superat quanta semper etiam de his fuerit, sitque hodie diversitas opinionum; vix ut unum alterúmve mensem assignare sit, qui suos non repererit patronos: etsi duo præ reliquis primâ Ecclesiæ ætate obtinuerint, December & Ianuarius.

Pro Januario Epiphanius.

Pro Januario palàm stat Epiphanius, *Hæresi* 51, *n.* 24, ubi & diem signat undecimum Ægyptiaci Mensis Tybi, qui in anno non intercalari respondet diei sexto Januarii. Vide eumdem *n.* 27 *&* 29, ubi eumdem diem confirmat; in textu tamen Græco *numeri* 24, legitur, *dies quintus*, de quo postea. Catholicus Armeniorum disputans cum Theoriano, refert inaudivisse se, extare quamdam Epiphanii Orationem, quâ asserat Christi Natalem die 25 Decembris celebrandum esse; ideoque Cappellus, *pag.* 61, credit eum sententiam mutasse. Sed hæc Oratio, quod sciam, nusquam comparet; nec eam viderat Catholicus ille, ut ibidem ait.

Ægyptii.

Ægyptios simul cum die Epiphaniorum (sexto Ianuarii) solitos Christi Natalem celebrare, testatur Cassianus, *Collatione* 10, *cap.* 2. Quem morem, quoad Christi Natalem, confirmat Hieronymus, dum illum reprehendit *Commentario in caput* 1 *Ezechielis.*

Gobarus sub dubio, Armenii.

Stephanus Gobarus apud *Photium*, *Codice* 32, inter sua problemata proponit illud, Quod Virgo pepererit Christum die 5 Januarii mediâ nocte. Isaac Catholicus Armeniorum, *Invectivæ suæ cap.* 3; populares suos reprehendit, quòd Christi Natalem simul cum Annuntiatione & Baptismo celebrent die 5 Januarii vesperi: quæ omnia illius opinionis & antiquitatem & diffusionem ostendunt.

Pro

Pro Februario facere videtur alterum Stephani Gobari, *loco citato*, problema de Joanne Baptista concepto in Novembri. Eo enim dato, decimus quintus exinde mensis completus Natalem Christi decimo sexto Mensi ineunti Februario affiget. Pro eodem mense Scaligerum & Vecchiettum allegat Cappellus, *in Dissertatione*, *cap.* 4. *n.* 11; sed fallitur, ut patebit ex mox dicendis. Pro Februario Gobarus, sub dubio.

Vecchiettus enim, *in Opere de Anno Primitivo*, partum Virginis diei 25 Martii tribuit. Quidam olim, teste Clemente Alexandrino, *l.* 1 *Stromat.* eum diei 24 vel 25 Pharmuthi; hoc est, 19 aut 20 Aprilis tribuebant. In eumdem mensem consentit Temporarius, *pag.* 166; sed diem assignat 15, futilibus ductus argumentis, ac nominatim authoritate Glossæ *in cap.* 2 *Esther*, cujus verba non est assecutus. Quidam etiam apud Clementem, *loco cit.* Natalem statuerunt die 25 Pachon, seu 20 Maii; quos Hervartus, *pag.* 229, conatur trahere ad 25 decembris: sed frustra. Quidam apud Epiphanium *suprà*, *n.* 29, prætulisse videntur diem vel 21 Maii, vel 20 Junii: sed fortè de solâ Christi conceptione ita senserunt, ut benè observavit Petavius, & nihilominus Januario natum censuerunt. Nonnulli siquidem ex Antiquis non ita fuerunt solliciti de novem mensibus in utero Virginis Christò assignandis, ut postea dicemus. Qui Julio vel Augusto patrocinaretur, reperi hactenus neminem. Pro Martio Vecchiettus. Pro Aprili quidam Antiqui, & Temporarius Pro Maio, quidam Antiqui; ac fortè pro Junio nonnulli.

Septembri favent variiè recentioribus Sectariis, nominatim Beroaldus, *Parte* 4 *Chronici*, determinans ipsum Æquinoctium Autumnale, & asserens se id hausisse ex Scriptoribus quibusdam Ægyptiis. Fortè hoc unum vult, se ita sentire, quòd (ut ex eo refert Genebrardus) Ecclesiæ Ægyptiacæ ac Græcæ suas inde inchoent Indictiones; quod argumentum est futilissimum. Sequitur eamdem opinionem Scaliger, *in Appendice ad Opus de Emendatione*, *pag. penult.* ubi generatim assignat finem Septembris. Scaligero, de more, inhæret Calvisius *cap.* 48 *Isagoges*, idemque docent Henricus Wolphius, & alii. Octobrem ineuntem postea prætulisse videtur Scaliger, *pag.* 300 *Canon. Isagog*; timidè tamen quoad diem determinandum; nihilominus de illo anni tempore paulò laxiùs sumpto credit se irrefragabilem demonstrationem attulisse; quæ reipsâ merus est paralogismus falsâ hypothesi nixus, ut patet ex iis, quæ diximus suprà, *cap.* 31. Novembri favet omnino Clemens Alexandrinus, *lib.* 1 *Stromat.* ut suprà ex ejus epilogismis colligi ostendimus, *cap.* 5. Pro Septẽbri Beroaldus, Scaliger, Calvisius, Wolphius. De Octobri dubitat Scaliger. Pro Novẽbri Clemẽs Alexandrinus.

Habet pro se December ingentem testium nubem jam inde ab Ecclesiæ exortu. Ex illis est Clemens Romanus, *lib.* 5. *Constit. cap.* 12, ubi Christi Natalem conjicit *in diem* 25 *Mensis noni*, qui ipsi est December; sicut & dies sextus Mensis decimi, quem ibidem Baptismo assignat, est dies sextus Januarii; & Mensis Æquinoctii Verni est eidem *duodecimus*; ut patet *ex libri citati capite* 16; ita ut nimirum Mensis Aprilis sit primus; quod ad quorumdam Antiquorum mentem intelligendam, observatu dignum est. Vide Anastasium Nicænum in Sermone de Annuntiatione, ubi *Octobrem* vocat *septimum Mensem*, sicut Gregorius Turonensis *Novembrem* vocat octavum. De Mense Decembri Clementi consentiunt Evodius Petri Apostoli in Episcopatu Antiocheno successor, *in Epistolâ Vulgò dictâ*, *Lumen*, quam recitat Nicephorus Callistus, *lib.* 2 *Hist. cap.* 3. S. Ambrosius, *Sermone* 8, 10 & 12. Prudentius, *Hymno* 11 *Cathemerinon*. Augustinus, Pro Decembri comũnis Ecclesiæ sensus. Clemens Rom. Evodius, Ambrosius, Prudentius.

 in

Augustinus, Sulpitius, Orosius, Hesychius, Chrysostomus. Traditio illa in Oriente invecta.

in Psalm. 132, *& lib.* 4. *contra Cresc'on. cap.* 7. *& lib.* 4. *de Trinit. cap.* 5. Severus Sulpitius, *lib.* 2. *Hist. Sacræ.* Orosius *lib.* 7 *Hist.* Hesychius, *apud Anastasium Nicænum*, *Quæstione* 92, aliique permulti. Præteriri nullo modo hic debet Chrysostomus, qui *pluribus Orationibus*, *ac nominatim eâ quæ est* 31 *Tomi* 3, *editionis nostri Frontonis Ducæi*, luculentissimè testatur morem Romanum, passim in Occidente receptum, celebrandi Festa Christi Natalitia die 25 Decembris, fuisse suâ ætate introductum in Orientem, & obviis ulnis vulgò exceptum; scribitque diem verum, quo natus est Christus, ex monumentis Romanis de Censu, in quem is relatus est, deprehensum fuisse. Aliter rem narrat Joannes Archiepiscopus Nicænus, *in Epistolâ ad Zachariam Catholicum Armeniorum*, ubi refert Julium Pontificem Romanum ex Judæorum libris didicisse, Angelum Zachariæ Joannis Baptistæ parenti in Templo ministranti die 10 Mensis Tisri, 23 Septembris, prædixisse nasciturum ei filium; indeque cognovisse Christi Natalem in diem 25 Decembris incidisse; & ab eo tempore fuisse Romæ die illo celebratum. Addit Gregorium Nazianzenum jussu Julii conatum inducere hunc morem in Orientem; sed nonnullos restitisse. Advenisse postea illuc Imperatorem Honorium, qui cùm Matri ac Fratri exposuisset quâ ratione Romani Festum Christi Natalitium observarent; effecisse ut ea etiam ab Orientalibus reciperetur. Rectè autem observat Combfies, *in suis ad hanc Epistolam Notis*, varia illi narrationi inesse hinc inde, quæ falsi suspicionem ingerant: generatim tamen ex hujus Scriptoris & Chrysostomi consensu habemus, alligationem Natalis Christi ad diem 25 Decembris in Oriente, ab Ecclesiâ Romanâ profectam esse; nec dubium quin primis Ecclesiæ sæculis eumdem morem tenuerint Romani, & quidem ab ipsis Apostolis edocti, ut significat *Homilia* Chrysostomi nomine prænotata, & Latinè tantùm extans, *in Natalem S. Joannis Baptistæ*; patetque ex eo, quòd Vetustissimi quique Patres Latini ita in Decembrem conspirent; ut nullius unquam mutationis factæ meminerint; imò Augustinus *in Psalmum* 132 *cit.* disertè Traditionem Ecclesiasticam agnoscat. Huic quoque pertinent Patres illi, qui licet Nativitatis diem non exprimant; scribunt tamen Christum die 25 Martii, aut in Æquinoctio Verno conceptum. Qui enim ita sentiunt, solent communissimè illi mensi ac diei favere quoad Natalem.

Martyrologia varia.

In eumdem mensem ac diem cum Martyrologio Romano conspirant hodie Menæum Græcorum, Martyrologium Syrorum, Coptitarum, aliarumque Gentium, quarum aliquæ etiam ab illo die suos annos olim inchoarunt.

Ipsi Mahumetani.

Quin & ipsi Mahumetani, Arabes & Persæ, (teste Thomâ Gravio, *in Annotationibus*, *quas Polyglottis Bibliis Londinensibus subjecit ad Persicam Evangeliorum Versionem*, *Lucæ cap.* 2 *v.* 11) hac in re cum Christianis consentiunt. Nam apud eos (inquit) *Natalis Messiæ* quasi in proverbium abiit pro *longissimâ nocte*. Subdit deinde quemdam ex iis Scriptorem ita loqui: *Tempus Nativitatis IESV, super quem pax, fuit nox totius Anni longissima*: item longissimam illam noctem à Persis dici, *Noctem perfectionis*; eo quod tunc Solis curriculum perficiatur: sed eam appellationem nos sublimiore sensu possumus accipere. His conforme est quod scribit Scaliger *lib.* 4. *de Emend. Temp. pag.* 254, se vidisse Ephemeridem Persicam, in quâ ad diem 25 Canun prioris, id est, Decembris, perspicuè scriptum erat, *Natalis IESU.*

Huc

Huc insuper spectat Patrum expositio illius dicti, Joannis Baptistæ, *Joan. c. 3. v. 30: Illum* (Christum) *oportet crescere; me autem minui.* quæ verba in eam etiam partem explicant, quod Joannes in Solstitio æstivo natus sit, dum dies decrescere incipiunt; Christus verò in Solstitio hyberno, dum incipiunt crescere, & Sol novum velut cursum à Tropici Capricorni carceribus orditur, ac è Brumæ tenebris emergens quodammodo renascitur: unde & *Sol novus* ab Antiquis appellabatur, ut patet ex Censorino, *libro de Die Natali, cap. 21*, & Servio, *in librum 7 Æneidos, ad illud, Vel cum Sole novo*, ubi ita loquitur: *Propriè Sol novus est octavo Kal. Januarias.* Non de nihilo addit, *propriè*: nam, ut rectè observat noster Ludovicus La Cerda *in illum locum*, Virgilius locutionem istam extendit ad Solstitium æstivum, binos annos semestres distinguens in anno Romano, seu Solari, quem *lib. 3. Æneid. Magnum annum* appellat. Quod si (ut rectè observat Lindenbrogius, *in Notis ad caput Censorini citatum*) tam Varro, *lib. 5 de Linguâ Latina*, quàm Ovidius, *lib. 1 Fastorum*, Januariis Kalendis assignent *Novum Solem*; oritur id ex antiquâ persuasione, quòd Solstitia & Æquinoctia fierent in octavis partibus suorum Signorum; quâ de re agemus infrà *Quæst. 3, cap 24.* Pulchrè hanc hyberni Solstitii cum Christi Natali conjunctionem expressit Prudentius, *Hymno jam citato*:

Natalis Solstitio hyberno tributus.

Quid Sol novus.

Prudentius.

Quid est quod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christus ne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?

Eleganter etiam, nec sine reconditioris eruditionis auctario diem, illum ac mensem aliter explicat antiquus Author, *Homil. cit. de Nativ. S. Joannis, planè in fine: Dominus nascitur in mense Decembris, hyemis tempore, octavo Calendas Januarias, &c. Sed & INVICTI NATALEM appellant. Quis utique tam INVICTUS, nisi Dominus noster? qui mortem subactam devicit. Vel, quod dicant SOLIS esse NATALEM; ipse est SOL Justitiæ &c.* Præclaram hic habemus explicationem verborum duorum adjectorum antiquissimo Calendario quod ediderunt Petavius, *in Uranologio*, & Bucherius *in Commentario ad Victorii Canonem Paschalem*, ubi ad diem 25 Decembris adscriptum legitur; NATALIS INVICTI. Hoc nomine SOLEM significari, manifestè ostendunt jam allata Chrysostomi verba; epitheton autem INVICTI olim fuisse communissimè SOLI attributum, solus ille ignorare potest, qui Nummos antiquos *Gallieni, Quieti, Maximini, Maximi, Licinii, Constantini Magni*, nunquam viderit. Innumeri siquidem hujusmodi extant, quorum aversa facies imaginem Solis exhibet cum hac Epigraphe: INVICTO, vel SOLI INVICTO, vel, SOLI INVICTO COMITI; quæ & in pluribus aliis vetustissimis monumentis visitur, quorum Inscriptiones profert Gruterus, *in vasto suo Opere Inscriptionum.* Vide Juliani Apostatæ *Orationem 4 sub finem*, ubi testatur statim post *Saturnalia* (quæ à die 17 Decembris initium ducebant, & ad septem dies, comprehenso Sigillariorum festo, producebantur) celebrari solitos magnificentissimos Ludos SOLI INVICTO; quod cum jam dictis planè congruit. Consule & Petavium, *in illam Juliani locum.* Ex his obiter observo falli Bucherium,

Natalis Invicti ex Calendario Ethnicorũ, applicatus Natali Christi.

Natalis Invicti, Ethnicis est Natalis Solis.

cherium, dum ad dicti Calendarii marginem annotat, NATALEM INVICTI, *indubiè* esse diem, quo Constantius Vetranioni purpuram ademit; unde & *Invictus* dictus sit. Sed molliùs postea, re meliùs examinatâ, locutus est, *lib.9 Belgii Romani, cap. 7 extremo*; & errorem suum ex parte correxit.

Solstitium hic latiùs sumêdum.

Porrò quæ de Solstitio hyberno, Christique Natali in illud incidente hucusque dicta sunt, ita debent omnino accipi; ut ad rigorem mathematicum nequaquam exigantur: sed morali dumtaxat consideratione intelligatur, idque plus minusve, pro ratione anni, cui hæc aut illa opinio Natalem Christi tribuit. Anno Juliano 41, quem suprà elegimus præ aliis, ingressus Sôlis in cardinem Sôlstitialem contigit manè, die 23 Decembris strictè Juliani à mediâ nocte supputato; qui dies, juxta Calendarium vitiosâ Romanorum Sacerdotum intercalatione corruptum, ac nihilominus reipsâ usu tunc receptum, erat 21 Decembris. Si igitur Christus die 25 Decembris tunc usurpati sit natus (prout omnino dici debet, cùm dies ex illo Calendario vitiato tunc numerarentur & apud vulgus, & in omnibus Actis publicis) Sol, eo nascente, jam plusquam ad quatuor gradus punctum Solstitii fuerat prætervectus, & versabatur in quinto gradu Capricorni die illo, qui erat 27 Decembris strictè Juliani. Sed hoc, quoad tempus Solstitii, eo minori dignum est consideratione; quo minùs Sol per aliquot dies à Tropico Capricorni recedit; adeò ut stare videatur: unde etiam nomen Solstitii ortum est.

Error Astrologorum in Themate cælesti Natalis Christi.

Cæterùm hinc videre est, quàm parum, ad id quod agebant, attenti fuerint varii Astrologi, de quibus suprà; dum operosissimè Genethliacum Cæli Thema erexerunt, ad punctum mediæ noctis diem Romanum 25 Decembris strictè Juliani inchoans Hierosolymis Anno Juliano 45; quasi eo præcisè momento natus esset Christus. Cùm enim Calendarium tunc vulgò usurpatum die uno per defectum discreparet à Juliano; necesse est etiam illorum Astronomorum calculos solido die aberrare ab eorum scopo; adeoque eo ipso momento, quod sibi proponunt, inchoatum populari usu fuisse diem dumtaxat 24 Decembris, & Christum non nisi totis 24 horis seriùs genitum fuisse. Ex quo ulterius conficitur (etiam dissimulato errore quoad annum Natalem) quàm ineptè ex tali Themate collegerint quidam Astrologi Judiciarii, ea quæ ad naturalem Christi constitutionem & indolem, ad vitæ genus, doctrinam, miracula, mortem violentam, & alia ejusdem modi pertinent.

Corollariû.

Cùm ex suprà explicato perpetuo Ecclesiæ Romanæ, imò Occidentalis sensu, & antiquissimo Orientalis consensu in Mensem Decembrem, ejúsque diem 25, satis manifestum sit reliquas omnes opiniones antea recensitas habendas esse ut omninò falsas; non est quod iis refellendis immoremur. Non âbs re tamen fuerit præcipua earum fundamenta convellere, & quàm parum firma sint demonstrare, nominatim adversus Scaligerum; qui pervicaciæ accusare audet eos, qui Romanæ Ecclesiæ hac in parte consentiunt. Hoc sequenti capite præstituri sumus, postquam paucula expediverimus, quæ de feriâ hebdomadis, & horâ in quam divinus Natalis incurrit, dicenda supersunt.

Feriâ primâ natû Christû statuût, Sexta Synodus,

Sicut de hac Feriâ nihil fuit apud Antiquos certi; ita nec apud Recentiores. Illorum plerisque placuit Feria prima, seu Dominica. Ita Sexta Synodus *cap.* 8. Augustinus *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 6. Hippolytus Thebanus, *apud*

apud Henricum Canisium, To. 3, *Antiq. Lect. pag.* 42. Sophronius, *Homil. de B. Virgine*, Cassiodorus, *in Psal.* 117. Nicephorus Callistus *lib.* 1 *Hist. cap.* 12. Fuit communissima hæc Computistarum opinio ante annos circiter ducentos; adeò ut ex hac hypothesi, quibusdam aliis præjudiciis junctâ, in maximos errores fuerint abducti, quos superiùs indicavimus, *capite* 2.

Augustinus, Hippolytus Thebanus, Sophronius, Cassiodorus Nicephor., varii Computistæ.

Feriam tertiam præfert Author *libri de Argumentis Lunæ*, *in Operibus Bedæ*, *cap. de Solstitiis*. Temporarius, *pag.* 166. M. Ant. Cappellus *pag.* 128.

Feriâ tertiâ, Author incertus, Temporarius, Capellus.

Feriam quartam assignant Chronicon Alexandrinum, *pag.* 480. Maximus, *Parte* 1 *Computi*, *cap.* 32. Cedrenus, *in Compendio.*

Feriâ 4. Chronic. Alex. S. Maximus. Cedrenus.

Feriæ sextæ patrocinatur Hesychius, *Sermone de Natali Domini.* Anastasius Sinaita, *lib.* 7 *in Hexaëm. & lib. Quæstionum*, *Quæst.* 93. favet Salianus, *Anno Mundi* 4052, *num.* 58, *& seqq.* & Author Calendarii Apostolici, *cap.* 19.

Feriâ 6. Hesychius, Anastasius. Salianus, Anonymus.

Nullo negotio decideretur hæc quæstio, si de Anno, Mense, ac die Nativitatis Christi inter omnes conveniret: habitâ tamen ratione discriminis dierum, quod eâ ætate inter Calendarium strictè Julianum, & id quod vulgò usurpabatur, intercedebat; quod fatendum est nec à Sanctis Patribus, nec à medii ævi Scriptoribus attentum fuisse, imò nec à quibusdam Recentioribus satis attendi. Exemplo sit Baronius, *tum in Apparatu ad Annales*; *tum in Notis ad Martyrol. Rom.* Ubi, Antiquos secutus, Feriam primam Christo nascenti deputat, quæ ejus Chronologiæ convenire non potest; seu ad Calendarium strictè Julianum respexerit, seu ad erroneum usu receptum. Ad eundem lapidem passim hîc & alibi offendunt Chronologi, dum ex aliorum dictis inter se pugnantibus centones malè variegatos texunt.

Decisio pêdet ab Anno Natalis Christi.

Nobis Annum Julianum 41 amplectentibus, diémque 25 Decembris usu tunc recepti, consequens esse debet Christum Feriâ quartâ natum esse. Illius enim Anni Littera Dominicalis erronea est F, affixa diei 22 Decembris; ut proinde dies 25 cum Feriâ quartâ concurrat necesse sit. Mirificè congruit hic dies hebdomadis quartus, quo natum Solem Justitiæ statuimus, cum Feriâ 4, quâ primùm Solem hunc aspectabilem à Deo conditum scribit Moses, *cap.* 1. *Genesis.*

In nostrâ sententiâ Natalis cõgruit Feriæ quartæ.

Nimiæ, opinor, curiositatis non accusabimur, si & in horam Christi nati inquiramus; quando & ipsi Sancti Patres nobis hac etiam in parte prævivere. Hesychius, *apud Anastasium Sinaitam*, *aliàs Nicænum*, *Quæst.* 93, asserit Christum natum horâ diei tertiâ. Widmestadius, *Notâ* 12, *in Theologiam Mahometis*, scribit se in antiquo Codice Græco legisse, natum die 25 Decembris, horâ diei sextâ. Author antiquus, quem sub nomine Clementis Romani citat Anastasius *loco citato*, horâ diei septimâ; idémque habet Chronicon Alexandrinum, *pag.* 533, ubi non rectè à Radero corrigitur textus. Pro nocturno tamen tempore facit Universalissimus Ecclesiæ sensus, à quo etiam Antiquos non penitùs abhorruisse, satis declarat Problema Stephani Gobari initio hujus capitis allatum. Apertè id significat Lucas, *cap.* 2, *V.* 8: *Pastores erant in regione eâdem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Deinde Scriptores jam allegati, qui de die loquuntur, agunt fortassis

De horâ Nativitatis non cõsentiunt sancti Patres. Hesychius horâ 3 diei Christum natũ cẽsuit. Anonymus horâ sextâ, Clemens horâ 7. uti & Chronicon Alex. Prò tẽpore nocturno sensus Ecclesiæ.

fortassis de die naturali, sumpto ejus initio ab occasu Solis, more apud multos Orientales recepto. Ut ut sit, non censeo sine urgentiore causâ recedendum ab horâ mediæ noctis, quam probare videtur communissimus Ecclesiæ sensus, his etiam solemnis Missæ verbis testatus: *Cùm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet &c.*

...imò pro mediâ nocte.

Conciliatio Orientaliû circa diem Natalis in Januario.

Ex nocturnâ hac Christi Nativitate, ac maximè si ipso mediæ noctis articulo contigit, facile est assequi, cur illam quidam ex Orientalibus Januario faventes ad quintum, alii ad sextum Januarii diem retulerint. Potuit enim, etiam ex usu recepto, facilè ad utrumvis diem referri, qui in unius fine & alterius initio natus est; &, eo secluso, cùm eadem nox fuerit apud quosdam præcedentis diei pars posterior, apud quosdam principium sequentis; nihil factu pronius fuit, quàm ut ex hac consideratione è duobus diebus contiguis, unus ab his, alter ab aliis numeraretur. Vide etiam Gellium, *lib.* 3, *cap.* 2.; & Plutarchum, *in Quæst. Romanis*, ubi de simili dubio agunt. Suspicari etiam fortè quis posset, diversitatem illam ortam ex modo quo Romani *diem sextum* Januarii exprimunt, dum eum vocant, *diem ante octavum Idus Ianuarias.* Videntur enim nonnulli è Græcis ita locutionem illam accepisse, ut censuerint eum esse quintum Januarii, ut pote qui præcedat diem octavum Idus. Hoc sensu eam phrasim sumpsisse videtur Epiphanius, v. g. *Heresi* 51, *n.* 24; quo loco verba illa, πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ιανουαρίων, sic explicat: ἥτις ἐςὶ κατὰ Ῥωμαίους πέμπτη τοῦ Ιανουαρίου μηνός. Eodem etiam modo locutionem illam sumpsit Stephanus Gobarus, *apud Photium Codice* 132. Alii è Græcis, qui meliùs modum loquendi Romanum callucrint, rectè censuerint per illum non alium diem exprimi, quàm Januarii sextum; ideóque Christi Natalem illi tribuerint. Consule omninò Petavium, *lib.* 5. *Auctarii*, *cap.* 11. Quâ autem occasione factum sit, ut tam multi diem quintum aut sextum Januarii dixerint Christi ortu consecratum, in hujus capitis fine examinabimus.

Quot diebus manserit Christus in utero materno?

Quot dierum moram in Virginis Matris utero traxerit Christus, superfluum sit hodie quærere; cùm nobis ex antiquissimâ Traditione constet Verbum divinum die 25 Martii carnem induisse. Cúmque ex hactenus dictis habeamus Dei-Hominis Natalem incidisse in 25 Decembris; evidens est materni uteri angustiis conclusum fuisse diebus 275, mensibus Romanis novem præcisè, Lunaribus novem ac diebus insuper novem aut decem; mensibus Ægyptiacis novem, & diebus quinque. Postremus hic dierum & mensium numerus in memoriam mihi revocat ratiocinationem Catholici Armeniorum, *in Disputatione cum Theoriano*, *in Bibliothecâ PP. Græcorum*, dum tueri conatur popularium suorum morem celebrandi Natalem Christi die 5 aut 6 Januarii, allegato loco *ex Sapientiæ cap.* 7, *V.* 1 & 2, ubi dicitur Salomon *figuratus decem mensium tempore.* Ex his enim verbis, & ex receptâ apud Armenios opinione de infantibus primogenitis ex utero non prodeuntibus nisi post expletos in eo novem menses ac dies quinque, contendit populares suos legitimè Christi Natalem recolere; quæ responsio videtur indicare Catholicum illum censuisse Christum primo die Aprilis conceptum fuisse. Malæ huic ratiocinationi rectè quidem opponit Theorianus Salomonem de Mensibus Judaïcis ac Lunaribus egisse: sed

Opinio Armenorum.

sed addere potuisset, cum nec Davidis, nec Bethsabee primogenitum fuisse; quandoquidem (ut de aliis taceam) ex utriusque adulterio jam antea natus esset infans, qui statim vivis ereptus est.

Rejecti qui septem tantùm mêses tribuerunt.

Explodendi verò sunt ii, quos Epiphanius, *Haresi* 51, *num.* 29, refert existimasse, Christum septimo post conceptionem mense in lucem editum; quod palàm receptæ apud omnes Traditioni adversatur: præterquam quod Christus, qui reliquis omnibus in rebus nobis tantopere similis factus est, minimè credendus sit se temporis ordinarii legibus exemisse.

Unde ortū ut Ægyptii crediderint Christum natū die 5. vel 6 Januarii?

Quærat hîc aliquis, quid porrò causæ esse potuerit, cur Ægyptii, aliique per Orientem quàm plurimi, opinati fuerint Christum natum die 5 aut 6 Januarii? Suprà enim vidimus Scriptores jam illum, jam istum diem expressisse.

Conjectura nostra.

Respondeo id inde probabiliter oriri potuisse, quod dies 25 Decembris, juxta Calendarium tunc usu receptum (quocumque demùm anno, ex hodie controversis, natus sit Christus) inciderit in diem sextum Ægyptiaci Mensis Tybi in Anno Nabonassareo vago. Sicut enim varii, qui menses Lunares Judæorum cum Romanis comparant, solent mensem Nisan cum Martio aut Aprili simpliciter comparare; ita qui Ægyptiacos menses, à Cæsare Augusto fixos post expugnatam Alexandriam, componebant cum Romanis, facilè, imò potiori jure, cum Januario composuerint Mensem Tybi, qui in Anno fixo Ægyptiaco ferè totus cum Januario semper concurrit. Cùm igitur inaudiissent à majoribus suis Christum natum die sexto aut quinto mensis Tybi (nam, ob rationem suprà allatam de diversis diei initiis, utrumque verum esse poterat) quod illi intellexerant de mense Ægyptiaco vago; id posteri de mense Romano, cum quo Mensem suum Tybi componebant, acceperint, & ad Januarium transtulerint. Postea verò cùm adverterent diem sextum Januarii (uti & quintum in Annis intercalatis) concurrere cum undecimo die Mensis Tybi fixi; attribuerint Christi Natalem diei 11 Tybi, & quinto aut sexto Januarii; in similibus enim facillimus est transitus ab unâ acceptione ad aliam. Hujus seu conjecturæ, seu suspicionis, mihi occasionem dedit Nicolaus Mullerus, *pag.* 74 *Isagoges in Calendarium*; ubi tamen non rectè asserit Chronologos passim diem quintum Tybi designasse ut Christi Natalem; nam communiter tum Antiqui, tum Recentiores diem undecimum Tybi designant.

Aliorum conjectura.

Aliunde hujus rei originem arcessunt nonnulli; ab homonymiâ scilicet vocum Θεοφάνεια, & Επιφάνεια, quæ cum *Dei Adventum*, seu *Apparitionem*, & *Manifestationem* significent; cœperint primùm adhiberi ad Baptismum Christi designandum, qui tunc à Patre æterno palàm declaratus est *filius* ejus *dilectus, in quo sibi benè complacebat.* Postea verò, quòd eædem voces Christi nobis per Nativitatem apparentis manifestationi convenirent; ad hanc etiam significandam adhibitæ sint. Denique cùm de Baptismo die sexto Januarii suscepto minùs vulgò dubitaretur; tam hujus, quàm Nativitatis solemnitas in illum diem conjecta fuerit; indeque passim in Oriente creditum, mysterium utrumque in diem quintum sextúmve Januarii incidisse. Huic conjecturæ, uti & præcedenti, deferet unusquisque, me lubente volente, quantum visum fuerit.

CAPUT TRIGESIMUM-QUINTUM.

Solvuntur nonnullæ objectiones, quæ à variis formantur contra Mensem Decembrem, ejusq; diem 25.

Objectio prima.

PRima Objectio est Orientalium, qui Chrysostomo Romanum & totius Occidentis morem inducere in Orientem satagenti opponebant: *Hic* (in Oriente) *Christus natus est. An ergò magis illi* (Romani) *sciunt* (quo mense & die natus sit) *qui longè* (à loco Nativitatis Christi habitant) *quàm isti* (Palæstini, Ægyptii, Syri) *qui propè sunt?*

Responsio Chrysostomi.

Respondet Chrysostomus, *Homiliâ de Nativitate Domini*, Occidentales id, quod est in quæstione, didicisse ab Apostolis, quos Judæi ex Palæstinâ ejecerant. In eâ Provinciâ, mox à Christi in cœlum Ascensione excitatam fuisse in Christianos persecutionem, & istic usque ad postremam Hierosolymæ destructionem semper viguisse bella; alibi pacem. Postea omnes tam Judæos, quàm Christianos à Vespasiano primùm ac Tito, deinde ab Hadriano ex Judæâ ejectos esse, inductamque in eâ solitudinem; ideoque non potuisse istic certi quidpiam haberi de die Christi Natali. *Magis itaque*, inquit, *Traditio ibi* (in Occidente) *debuit servari; quàm hic* (in Oriente) *ubi discordia* semper fuit, primis Ecclesiæ temporibus. Subdit: *Non sunt nostra, quæ loquimur; Majorum sententia est. Universus Mundus contra hujus Provinciæ* (Syriæ seu Palæstinæ) *opinionem loquitur.* Alibi, ut suprà dicebamus, respondet diem illum ex Censoris Quirinii Tabulis innotuisse Romanis, & per hos Orientalibus à paucis annis: quæ responsio haud paulò solidior est, & magis animos inquietos sedare poterat. Vide Augustinum, *Epist.* 118, *quæ est ad Januarium*, ubi ait, ea quæ non scripta, sed tradita, toto terrarum Orbe observantur, intelligi commendata atque statuta, vel ab Apostolis, vel à Plenariis Conciliis.

Hospiniani cōmentum.

Ex his patet, quàm ridiculus sit Hospinianus, dum ait primos Christianos ideò Nativitatis Christi festum olim sub exitum Decembris celebrâsse; ut Ethnicorum Saturnalia in eumdem mensem jam adultum incidentia abolerent. Quasi verò Romæ fœdiora alia aliis mensibus defuerint, quæ inductâ Natalis Christi solemnitate abolerentur. Præterquàm quòd festum Natalis non in dies Saturnalium incurrerit; sed eos omnes secutum fuerit: ut constat ex Kalendariis Romanis vetustissimis hodieque extantibus.

Objectio 2.

Secunda est Scaligeri, qui ex ordine Ephemeriarum Sacerdotum in Templo Hierosolymitano ministrantium demonstrâsse se credit, Christum sub finem Septembris nasci debuisse; quod & amplectitur Calvisius, *cap.* 48 *Isagoges*, & ex Catholicis Vecchiettus.

rejecta suprà.

Sed prætensa illa Scaligeri demonstratio nihil aliud est, quàm Paralogismus nixus falsâ Hypothesi de Christo nato Anno Juliano 43. Imò clarè ostendimus suprà *cap.* 31, ordinem Classium Sacerdotalium, quo nititur Scaliger, optimè, juxta nostram Chronologiam, convenire cum Natali Christi affixo diei 25 Decembris,

cembris, indeque opinionem nostram meritò confirmavimus.

Tertia: Opinio Ecclesiæ Romanæ inde ortum habuit, quòd censuerint Antiqui Patres, Zachariam, Joannis Baptistæ parentem, summum Pontificem fuisse, eique à Gabriele prænuntiatam prolem die decimâ Mensis Tisri, quâ solâ, intra totius anni decursum, ingrediebatur Pontifex in Sancta Sanctorum; prout pluribus Homiliis disertè affirmat Chrysostomus, & plures è Sanctis Patribus. Subruto autem illo fundamento, quod falsum esse jam constat, quidquid nonnulli hodieque reluctentur; necesse est & alia illi inædificata corruere. Ita Scaliger & Calvisius, quorum posterior sibi persuadet id ab aliquo sciolo introductum fuisse. Objectio 3.

Respondeo sensum Ecclesiæ illâ ratiocinatione non niti; sed, ut suprà declaratum est, tum Traditione ab Apostolis acceptâ, tum Tabulis Census Christo nascente acti. Quod si aliqui è Sanctis Patribus, ut Ecclesiæ usum aliunde stabilitum novis rationibus firmarent, etiam argumentum illud adhibuerint, petitum à summo Zachariæ Sacerdotio, ejusque solemni ingressu in adytum Templi; non debet id fraudi esse veritati: quandoquidem, ut docet Aristoteles *in Analyticis*, etiam ex falsis possit verum elici; quamvis ex veris non possit vicissim elici falsum per legitimum Syllogismum. Solutio.

Quarta: Census, in quem relatus est Christus, non potuit commodè per hyemem haberi; potuit autem commodissimè tempore verno, vel Autumnali. Ita Wolphius, Hospinianus, Calvisius, & similes. Objectio 4.

Respondeo non totum Censum fuisse hyeme peractum (nec enim tam arduum negotium intra paucos menses confici potuit) sed vero-similiter Vere præcedente fuisse inchoatum; cumque non posset sine incommodo interrumpi (reditum in Italiam parante Saturnino hactenus Syriæ Præside, suffectoque illi Quintilio Varo, qui jam aut in Palæstinam appulerat, aut ab illâ proximè aberat) fuerit per hyemem continuatus; Romanis Censitoribus sua commoda facilè anteponentibus commodis Judæorum. Et fortassis hyems eo anno siccior vias duraverit, & ex eâ parte minùs molestas reddiderit. Solutio.

Quinta: Nascente Christo Pastores ovium *custodiebant vigilias noctis super gregem suum*, teste Lucâ, *cap.* 2, *v.* 8. Quis autem credat eos rigente hyeme in agris cum suis gregibus pernoctâsse? Verno igitur aut Autumnali tempore id contigisse dicendum est. Ita Beroaldus, Scaliger, Calvisius, Temporarius, Hospinianus, Wolphius, aliique horum Symmystæ. Objectio 5.

Respondeo valdè imperitos rerum videri eos, qui talia audent objicere. Scaligero ejusque sequacibus oppono Casaubonum, summum illum Scaligeri encomiasten. Asserit autem hic, *Exercit.* 2, *ad Annum Christi primum*, *n.* 14, *In Angliâ armenta saltem, toto anno in agro pernoctare, neque propter frigus, aut pluviam, aut ventos, ulli tecto unquam subire.* Et mox concludit: *Quare vetusta traditio Ecclesiæ* (de Christo nato die 25 Decembris) *non temerè nobis rejicienda.* Acriùs etiam loquitur Langius, dum *lib.* 2 *de Annis Christi*, *Parte* 2, *cap.* 2. *extremo*, scribit suprà allatum Scaligeri argumentum *ne hili quidem esse*; subditque: *Sanè in Daniâ meâ oves totâ hyeme in agris degunt, nisi terra ita penitùs nive tecta sit; ut nihil pabuli extra villas habere possint. At quid Judæa* Solutio.

P 3 ad

altiùs ſupra nubes aliquando evolaſſe. De me profitebor, nulli jam à pluribus annis labori pepercisse, ut in tam nobili argumento verum eruerem; &, ſi aliud nihil, hoc ſaltem eſſe me conſecutum, ut in eâ ſententiâ, quam amplector, penitùs acquieſcam; planéque mihi perſuadeam falſum eſſe non poſſe, quod tot veriſſimis pronuntiatis, tam ſolidè ſtabilitis, tam indivulsè inter ſe connexis, tam inaniter hactenus oppugnatis, innititur. Aliis, non dubito, longè aliter videbitur. Nimirum ita ſunt humana omnia, in quibus & *Velle*, & ſentire *ſuum cuique eſt*; & ut *voto non uno vivitur*; ita nec judicio. Spero tamen fore, ut ſi ſemotis præjudiciis ratiunculiſque popularibus, maturo judicio per otium expendantur, quæ, paulò fortaſſis explicatiùs quàm hactenus factum ſit, totâ hac Quæſtione propoſui; deprehendant cordati & harum rerum intelligentes Lectores, quàm non de nihilo huic parti inhærendum putarim. Spem hanc meam firmat, quòd videam doctiſſimos viros paulatim oculos aperire, & præcipuos quoſque Chronologos hujus temporis, omnibus æquâ lance libratis, ab opinione quam tuendam ſuſcepi, alienos non eſſe; quoſdam etiam apertè illam profiteri. Ut fortè non ex vano conjicere liceat, futurum hìc etiam locum Horatiano illi dicto:

Spes progreſſuum opinionis noſtræ.

Opinionum vices.

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere; cadentq;
Quæ nunc ſunt in honore.

Rectè Plinius, *lib.* 17 *Hiſt. Nat. cap.* 4: *Mutantur ſæpe judicata quoque, ac diu comperta*; quod præſertim quadrat in problemata Chronologica, quorum neutra pars ſeu Eccleſiæ judicio, ſeu eruditorum omnium conſenſu, tranſiit in rem judicatam.

Lentiores initio fuiſſe hujus opinionis progreſſus, mirum eſſe non debet. Nempe ſemper verum erit tritum illud:

Cur tam lenti fuerint hujus opinionis progreſſus.

Dediſcit animus ægrè, quod didicit diu;

& nunquam non erit difficile Oratori dicere apud præoccupatos. Deinde quotus quiſque eâ, quâ par eſſet, ſeu patientiâ, ſeu accuratione, in Quæſtionem hanc innumeris difficultatibus implexam incumbit? Robuſto ſanè ſtomacho eſt opus ad eas exſorbendas, delicato præſertim hoc ſæculo, ne dicam faſtidioſo ac nauſeabundo, quo (ut aliâ occaſione poſt Plinium loquitur Hieronymus, *Præfatione in lib. Paralipomenon, ad Domnionem & Rogatianum*) *optima quæque malunt contemnere plerique, quàm diſcere.* Præterquàm quod Deckerianæ Sententiæ progreſſibus & incrementis ita aliquamdiu obſtiterit Vir maximus, qui tunc, ob recenter editos Annales Eccleſiaſticos, authoritatis arcem tenebat; ut eam pænè in cunis ſuffocarit: & fortè ſuffocaſſet; niſi ſubſidio in tempore veniſſet doctiſſimus Kepplerus, omnibus ad eam rem præſidiis inſtructiſſimus.

Tam diu hoc arcanum latere potuiſſe (ſi quidem veritate nitatur) nonnullis incredibile videtur: mihi verò minimè. Tardè eruuntur, quæ altè jacent. Semper verum fuit, potuitque quavis ætate de qualibet implexâ & arduâ controverſiâ uſurpari illud Senecæ velut vaticinium, *lib.* 7. *Quæſtionum Naturalium, cap.* 25: *Veniet tempus, quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Ad inquiſitionem tantorum, ætas una non ſufficit. . . . . . Itaque per ſucceſſiones iſtas longas explicabuntur. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur.* Eodem ſpectant quæ ſcribit *ejuſdem libri cap.* 31:

Tempus & multorum labor multa latêtia proferunt in lucem.

Multa

Multa venientis ævi populus ignota nobis sciet; multa sæculis tunc futuris, cùm memoria nostri exoleverit, reservabuntur. . . . . . Quemadmodum *rerum natura, sacra sua non simul tradit*; ita nec Doctrina sacra. *Initiatos nos credimus; in vestibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiscuè nec omnibus patent: reducta, & in interiore sacrario clausa sunt: ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ post nos subibit, aspiciet. Quando ergo ista in notitiam nostram perducentur? Tardè magna proveniunt; utique si labor cessat*; aut si alio, quàm oporteret, modò ea quis excolat.

Pacifica conclusio. Finem toti huic Diatribæ impono pacificis verbis Chrysostomi de simili controversiâ agentis, *Homiliâ de Natali Christi: Non damnamus aliorum opinionem; nostram sequimur doctrinam. Vnusquisque in suo sensu abundat: & forsitan revelabit unicuique Dominus. Et illi qui tunc* (die sexto Januarii) *dicunt Nasci Salvatorem, & nos qui hodie* (25 Decembris) *dicimus nasci, unum Dominum colimus, unum Infantulum. Sed videamus quia magis rationabilius* (fortè legendum, *rationabilis*) *ratio nostra non reprehendit* (seu, damnat) *alios; sed nos probat.*



R.P. MICHA-

R. P.

MICHAELIS SENESCHALLI
E SOCIETATE JESU,

QVÆSTIO SECVNDA.
De anno, menſe, die, Chriſti baptizati.

CAPUT PRIMUM.
Quinam ſenſerint Chriſtum baptiſmum ſuſcepiſſe ante Annum 28 Æra Vulgaris.



IDERI non nemini primâ fronte poſſit, vix de Anno Baptiſmi hujus relictum eſſe dubitandi locum; ex quo illum S. Lucas tam arctis, quantùm apparet, limitibus circumſcripſit, *capite* 3, ſignato *Anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris.* Et verò plerique, qui ſolo rerum cortice contenti, in difficultatum adyta non penetrant ſeſe, facillimè hinc ſe expediunt: at qui eas penitiùs introſpiciunt, fatentur vel inviti ſuas huic etiam quæſtioni ineſſe ambiguitates, nec leves. Hoc ipſum ſatis ſuperque declarat opinionum ſuper eâ re diverſitas orta non ex uno capite, prout ex poſtea dicendis perſpicuum fiet: neque negari poteſt, earum nonnullis ſuam eſſe veri ſpeciem ac probabilitatem. Aliud certè expectari non debuit à ſummâ ſententiarum varietate circa Chriſti Natalem, quàm ſuprà, *Quæſt.* 1, expoſuimus; quandoquidem Natalis à Baptiſmo nonniſi triginta circiter annorum intervallo disjungi poſſit: ut proinde neceſſe ſit in hunc redundare immane illud diſſidium, quod illic reperitur. Accedit quod etiam inter eos, qui de Natali conſentiunt, non continuò de Baptiſmo conveniat; idque multiplici ex causâ, quæ poſtea commodiùs explicabitur. *Etiam circa Baptiſmum variant opiniones; & cur?*

Cæterùm etſi de Baptiſmi anno non parum diſcrepent judicia; ferè tamen præcipui quique Scriptorum de Anno Dionyſiano 28, aut 29, aut 30, litem movent. In horum recenſendis opinionibus eamdem adhibebimus methodum, quam ſuprà, *Quæſt.* 1; ſed minùs operosè quoad pleroſque: quando jam earum fundamenta ſunt ibidem rejecta, & patens quarumdam falſitas indicata. *non tamen adeo inter pleroſque.*

Et ut ab iis initium ducamus quæ Baptiſmo annum aliquem vigeſimo octavo Dionyſiano priorem aſſignant, non eſt quod hîc illas nullius pretii ſententias refricemus ſeu Judæorum, ſeu Antonii Dulciati, ſeu Sigeberti, Mariani Scoti, Matthæi Paris, & Foroſempronienſis, quas *Quæſtione illâ* 1, *cap.* 2, expoſuimus. Sicut enim hæ, quoad Natalem, nimis enormiter aberrant à vero: ita & quoad *Abſurdiorû opinionum recenſio omiſſa.*

Annum Baptismi non possunt non vehementer aberrare; ideoque exactiorem non merentur discussionem. Neque multùm ab his sejungenda est opinio Frederici Braubomi, *apud Contzen in cap. 2 Lucæ*, quâ Baptismus Christi (ex causis infrà, *cap. 5*, indicandis) conjicitur in annum 18 Æræ Vulgaris, qui est à morte Augusti quartus.

Capellus pro Anno Vulg. 26. Pro Anno Vulgari 26 operosè decertat Cappellus, *Dissertat. de Cœnâ Christi supremâ*, *cap. 5*, *pag.* 128, cum quo tamen Anno, *pag.* 131, imperitè jungit Annum 3 & 4 Olympiadis 201; cùm sit primus & secundus: item Annum Nabonassari 775 & 776; cùm sit 773 & 774. Hujus quoque rationes paulò pòst proferemus & discutiemus: præcipua autem quæ illum eò adigit, est, ut cum pluribus Antiquis Passionem conferre possit in Annum Vulgarem 29, & Geminorum Consulatum, retentâ tamen triennali Christi Prædicatione, quam Veteres illi non admittebant.

Victorius & Prosper pro Anno Vulg. 27. Ad 27 Annum Vulgarem pertinent Victorius Aquitanus, & Prosper, qui (ut ostensuri sumus *Quæst.* 3, *cap.* 2) Passionem consignant Anno 28; vulgóque, & meritò creduntur annum unicum Christi Prædicationi concessisse, ex recepto tunc apud plures sensu. Huic assertioni firmandæ specialiter conducit, quod ait Prosper, Christum passum Anno Tiberii 15; utique exeunte: adeoque censet eodem ineunte Baptizatum; cùm annus ille 15, stante Evangelii veritate, anteverti non possit. Eamdem ob causam eidem anno accensendus erit Hegesippus & quidam alii, de quibus *Quæst.* 3, *cap.* 2, si Passionem tribuerint Anno 28 Vulg. Cùm his quoad annum Baptismi sentire videtur, licet in aliis dissentiat, Jacobus Usserius, *Tom.* 2 *Annalium*.

forte Hegesippus, & alii. Usserius.

CAPUT SECUNDUM.

Quinam Baptismum referant ad Annum Vulgarem 28.

Cur accuratiùs hic agatur de Anno 28. Vulg. CUM aut hunc annum ineuntem, aut proximè præcedentem exeuntem (quæ duo morali consideratione in unum confundi possunt) simus postea amplexuri; operæ pretium erit ejus patronos paulò accuratiùs à nobis proferri, stabilitâ eorum mente: ut hinc nostræ opinioni authoritas accrescat; planumque fiat quâ ratione Veteres Annum Tiberii 15, adeoque & reliquos, supputarint.

Pro eo Clemens Alex. Satis apertè pro hoc anno stat Clemens Alexandrinus, *lib.* 1 *Stromat.* dum Baptismum tribuit Anno Tiberii 15, cùm Christus esset annorum 30; inchoatorum scilicet: nam universim vitæ Christi annos dumtaxat triginta deputat (completos nempe, & neglectis pauculis mensibus ultrà excurrentibus) annum autem unicum Prædicationi. Cùm igitur (ut *Quæst.* 1, *cap.* 5, docuimus) divinum Natalem in affectum Novembrem Anni Juliani 43 conjecerit; significetque Baptismum incidisse in medium circiter Mensem Tybi, seu ineuntem Januarium (qui fuit speciatim Ægyptiorum communissimus sensus) dicendus omnino erit Baptismum affixisse ineunti Anno Vulgari 28, dum jam Christus per duos circiter menses annum ætatis tricesimum inchoasset.

Prorsus

Prorsus paria cum Clemente facere existimo Tertullianum, *lib.* 1 *adversus Judaos*, *cap.* 8. Sicut enim (ut *Quast.* 1, *cap.* 5, declaravimus) Clementi quoad annum Christi nati consentit; ita eo loco etiam quoad Annum Passionis incidentem in *decimum quintum Imperii Tiberii*, *Consulesq; Geminos* (seu Annum Vulgarem 29) dum Christus *haberet annos quasi triginta*. Præcedenti igitur anno Baptizatum censuit; quo utique etiam numerabatur annus 15 Tiberii; ante quem nimirum Vir tantæ eruditionis non potuit credidisse Christum Baptismo fuisse tinctum; cùm id Evangelio Lucæ nimis apertè adversetur. Quod unicum prædicationi Christi annum concessisse dicatur, non est illi peculiare; sed, ut jam dicebam, cum pluribus aliis commune. Hinc facilè emendabis quod in Tertulliani *libro* 1 *contra Marcionem* legitur, *dominum à XII anno Tiberii Casaris revelatum esse*; in Baptismo scilicet. Quæ verba Pamelius, *in suis ad Tertullianum Prolegomenis*, *Paradoxo* 14, *& alibi*, non tantùm ut apertum errorem Evangelio repugnantem exagitat; sed etiam inde elicit Christum, Tertulliani judicio, solidum triennium Prædicationi impendisse. Est haud dubiè compertus error, si ita scripsit Tertullianus: sed cùm minimâ mutatione XV in XII, quæ in oscitantem Librarium facillimè cadat, liberari possit Vir tantus à tam turpi notâ; planè existimo hac in eum benignitate utendum. Certè cùm Pamelius eodem libro, in verbis, quæ suprà allegata immediatè præcedunt, numerum alium alio substituto correxerit; *etsi* (ut fatetur) *refragantibus omnibus Codicibus*; poterat hîc quoque eâdem benignitate uti erga Authorem quem illustrandum susceperat. In hunc etiam annum concurrere videtur Anonymus Scriptor sub Alexandro Severo, de quo aliàs. Nam cum Clemente & Tertulliano triginta tantùm vitæ annos largitur Christo; & ejus Mortem Anno Vulgari 29 contigisse censet; ut infrà dicetur *Quast.* 3, *cap.* 3.

Tertullianus — *emendatur.* — *Anonymus sub Alexandro Severo.*

Reperiri hodieque nonnullos qui Eusebium Cæsariensem pro anno 30 Dionysiano, Tiberii 16, allegare audeant, tam mihi mirum videtur, quàm quod maximè: adeò luculentè Scriptor ille Christi Baptismum & Prædicationis exinde secutæ initium refert ad annum Tiberii 15, & Vulgarem 28. Hic est cardo totius Chronologiæ ejus, circa quem omnes anteriores posterioresque anni volvuntur. Hic est lapis Lydius, ad quem ipse Eusebius præcipuas suas Epochas sæpiùs explorat: nec ullus est annus in toto ejus Chronico aliisque Operibus, de quo magis constet.

Eusebius apertè.

Et quidem, quod ad Tiberii annum 15 attinet, res evidens est, *ex lib.* 1 *Hist. Eccl. cap.* 10; *Cùm* (inquit) *Tiberius Casar decimum quintum Imperii sui annum, & Pontius Pilatus quartum Prafectura sua ageret* (missus in Judæam fuit Anno Imperii Tiberii 12, ut ibidem narrat, *cap.* 9.) . . . . . *Servator & Dominus noster Jesus Christus Dei*, *incipiens esse quasi annorum triginta* (quod exactè respondet Anno Natalis Christi Juliano 44 ineunti, ex mente Eusebii explicatâ suprà, *Quast.* 1, *cap.* 6) *ad Joannis Baptisma venit*; *eodemq; tempore pradicandi Evangelii initium fecit.* Quid clarius dici potuit? Similiter *in Chronico*, *ad Annum Tiberii* 15: *Joannes* (inquit) *filius Zacharia in deserto juxta Jordanem fluvium pradicans*, *Christum Filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoque Dominus Jesus Christus hinc* (id est ab hoc anno inclusivè, ut patet ex verbis

Probatur ex Anno 15 Tiberii Eusebiano.

paulò antè recitatis) *in populos salutarem viam annuntiat.* Item *in Præfatione Chronici: A Dario* (seu ab anno 2 Darii, quo censet Templum Hierosolymitarum instaurari cœpisse) *usque ad prædicationem Domini nostri Jesu Christi, & usque ad 15 annum Tiberii Principis Romanorum* (en iterum conjungit annum hunc 15 cum prædicatione) *explentur anni* 548: quæ postrema verba paulò magis statim explicabuntur. Consentit & Chronicon Græcum Eusebii à Scaligero editum: τῷ ιε' ἔτει τοῦ Τιβερίου βαπτίζεται ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. *Anno 15 Tiberii Baptizatur Dominus noster Jesus Christus.* Ibi tamen fallit & fallitur Scaliger, dum ex suo judicio, & contra apertissimam Eusebii mentem, illi anno 15 Tiberii jungit & Geminos Consules, & annum 1 Olympiadis 202; cùm jungere debuerit Consules Silanum & Nervam, ac Olympiadis 201 annum 4, si Operis à se editi sinceritati consultum voluisset. Firmat hanc lectionem Epitome Græca Chronologiæ Eusebianæ à Petavio edita cum Nicephori Breviario Historico, ubi asseritur Christus *anno 15 Tiberii Baptizatus.* Firmant & plurimi tum Græci, tum Latini, qui Eusebium secuti, in annum Tiberii 15 magno consensu concurrunt quoad Baptismum; nulla ut eâ de rè subesse possit dubitatio. Vide & Codicum consensum in Notis Pontaci, *pag.* 549.

Annus Tiberii 15 est, ex Eusebii mente, 28 Vulgaris.

Superest nunc ut probemus annum illum 15 Tiberii Eusebianum esse Vulgarem 28. Patet autem id *primò* ex Anno Abrahæ 2044 ad annum illum 15 Tiberii adscripto in Chronico Eusebii; quem confirmat tum Præfatio; tum tota structura ejusdem Chronici; tum consensus Codicum, imò & editio Latina Scaligeri; qui proinde manifestè errat, dum in Chronici editione Græcâ, quam arbitratu suo interpolavit, annum 15 Tiberii comparat cum anno Abrahæ 2045. Ex dictis autem *in nostris Prolegomenis, Lemmate* 7, si ad Annum Abrahæ 2044 addideris annos 2697; exsurget correspondens annus Per. Jul. 4741, idemque Vulgaris 28. *Secundò* ex Natali Christi, quem (juxta dicta suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 6) tribuit Eusebius anno Juliano 44 ineunti. Si enim anno suo 30 ineunte Baptizatus est Christus (ut *lib.* 1 *Hist. Eccl. cap.* 10 *cit.* significat Eusebius) confecta res est pro Anno Jul. 73; adeoque & pro anno 28 Dionysiano. *Tertiò* ex anno Mortis Christi, quem *infrà*, *Quæst.* 3, *cap.* 4. *parag.* 2, validè ostendemus esse, ex Eusebii sententiâ, Dionysianum 31, & Tiberii 18. Nam cùm Christus, eòdem Eusebio teste, *lib.* 8 *Demonst. Evang. pag.* 400, *Edit. Græcolat.* non toto quadriennio, sed annis dumtaxat tribus ac dimidio (præter propter, & comprehenso etiam tempore, quod à Resurrectione fluxit ad Ascensionem) prædicarit; consequens est ut Baptismus in annum 28 Vulgarem inciderit. *Quartò* ex Eusebii epilogismis ad Annum Abrahæ 2086, quo Templum Hierosolymitanum dicitur fuisse à Tito destructum, intervallo *annorum 42 à 15 Tiberii Cæsaris anno, & ab exordio Evangelicæ prædicationis.* Subductis siquidem 42 ex 2086, superest annus Abrahæ 2044; sicut subductis 42, ex 70 (quo anno Vulgari certò contigit clades illa) supersunt 28. In illis verò Eusebii verbis iterum observandum, annum Tiberii 15 componi disertè cum exordio prædicationis Christi; adeoque & cum ejus Baptismo, qui cum præcedente aliquo anno componi non potest. *Quintò, ex lib.* 1 *de Præparat. Evang. cap.* 9. item *ex Præfat. Chronici, & ex Chronico ipso ad Annum Abrahæ* 2044; ubi disertè scribit Eusebius, *ab anno* 2

Darii

Darii usque ad 15 Tiberii reperiri annos omnino 548. Nam (inquit *cap. 9 cit.*) *Darii annus 2 in primum Olympiadis 65, Imperii verò Tiberii decimus quintus in quartum Olympiadis* 201 (patente mendo legitur in textu tum Græco, tum Latino, 203) *incurrit. Quocirca Darium Persam inter, ac Tiberium Romanorum Imperatorem* (seu annum ejus 15) 137 *Olympiades intercedunt; quæ summam annorum 548 conficiunt:* comprehensis nimirum annis extremis. Annus 2 Darii & primus Olympiadis 65, incidit (calculo Eusebii, tum Latinæ editionis Pontaci, tum Græcæ Scaligeri) in annum Abrahæ 1497; atque ita, *juxta Lemma 7 cit*, in annum Per. Jul. 4194. Utrique anno adde 548 (demptâ prius, de more, unitate, ut anni extremi comprehendantur) conflabitur annus Abrahæ 2044, & Periodi Jul. 4741; & consequenter annus Vulg. 28. Porrò in verbis jam allegatis, rursum habes annum Tiberii 15 comparatum cum anno 4 Olympiadis 201; qui utique, juxta dicta *in Prolegom. Lemmate* 8, alius esse non potest, quàm Vulgaris 28. Ostendimus enim Eusebium ei anno singulos Olympiadum annos adscribere, cujus æstate hi fluere incipiunt. Vnicum hoc argumentum illis abunde sufficere deberet, qui minimam Eusebianæ methodi notitiam habent.

At enim Eusebius *in Chronico, ad Annum Abrahæ* 2047, disertè scribit, *Post decimum-quintum annum Tiberii Cæsaris tribus annis Dominum prædicâsse.* Cœpit igitur anno Tiberii 16, eodemque baptizatus est, ex mente Eusebii, Baptismum & initium Prædicationis perpetuò conjungentis. Ita recens Scriptor, qui etiam verba illa, *Anno 15 Tiberii*, in Eusebio expungenda contendit. Objectio

Imbellis aries tantæ machinæ, quantam modò ereximus, evertendæ. An non præpositio *POST* sæpissimè in Scripturis Sacris, aliisque libris, imò & in familiari sermone, ita usurpatur; ut tempus, cui adjungitur, non excludat? An non, cum proportione, eadem est ratio præpositionis *ANTE*; adeò ut si quid gestum dicatur ante diem decimum Calendas Apriles; idem sit, ac si diceretur, die 10 Calendas; ut patet *ex L.* 132, *ff. de Verborum obligat.* ubi legitur, quòd *ante Calendas proximas*, nihil differat *à Calendis*? An non dicitur Christus circumcisus, *postquam consummati sunt dies octo*; & suscitatus *post tres dies*; & ita de aliis? Omissis innumeris, unicus sufficiet Cedrenus Eusebio explicando, cujus verba transcribit, *in Compendio Hist. pag.* 156, *ac nominatim illa*, μετὰ τὸ ιε ἔτος Τιβερίου, *Post annum decimum-quintum Tiberii:* & tamen disertissimis verbis, eâdem prorsus paginâ, sic habet: *Regni ejus* (Tiberii) *anno 15 baptizatus est Christus, & prædicare Evangelium cœpit*; *Anno* 18 *Regni ejus crucifixus.* Post triennalem videlicet, quam & ibidem asserit, prædicationem. Eodemque modo Eusebii verba acceperunt, tum qui proximè, tum qui diu pòst, ejus Chronologiæ inhæserunt. Sed quid tot verbis opus est, cùm Eusebius ipse id, quod intendimus, perspicuè affirmet *in sui Chronici Præfatione? Quadragesimo secundo anno Imperii Augusti Christus natus est; quinto-decimo Tiberii anno prædicare orsus est?* Potéstne post hæc superesse vel minima dubitatio, junctis præsertim tot aliis, tamque patentibus testimoniis, quot paulò ante ex Eusebio congessimus? Unum hìc observari velim, nos in solo Eusebio anni 28 patrono, habere suffragatores plerosque omnes complurium sæculorum Scriptores ejus sectatores: quos proinde necesse non sit nimis operosè recensere. Solutio.

CAPUT TRIGESIMUM-QUINTUM.

Solvuntur nonnullæ objectiones, quæ à variis formantur contra Mensem Decembrem, ejusq; diem 25.

Objectio prima.

PRima Objectio est Orientalium, qui Chrysostomo Romanum & totius Occidentis morem inducere in Orientem satagenti opponebant: *Hîc* (in Oriente) *Christus natus est. An ergò magis illi* (Romani) *sciunt* (quo mense & die natus sit) *qui longè* (à loco Nativitatis Christi habitant) *quàm isti* (Palæstini, Ægyptii, Syri) *qui propè sunt?*

Responsio Chrysostomi.

Respondet Chrysostomus, *Homiliâ de Nativitate Domini*, Occidentales id, quod est in quæstione, didicisse ab Apostolis, quos Judæi ex Palæstinâ ejecerant. In eâ Provinciâ, mox à Christi in cœlum Ascensione excitatam fuisse in Christianos persecutionem, & istîc usque ad postremam Hierosolymæ destructionem semper viguisse bella; alibi pacem. Postea omnes tam Judæos, quàm Christianos à Vespasiano primùm ac Tito, deinde ab Hadriano ex Judæâ ejectos esse, inductamque in eâ solitudinem; ideoque non potuisse istîc certi quidpiam haberi de die Christi Natali. *Magis itaque*, inquit, *Traditio ibi* (in Occidente) *debuit servari*; *quàm hîc* (in Oriente) *ubi discordia* semper fuit, primis Ecclesiæ temporibus. Subdit: *Non sunt nostra, quæ loquimur*; *Majorum sententia est. Universus Mundus contra hujus Provinciæ* (Syriæ seu Palæstinæ) *opinionem loquitur.* Alibi, ut suprà dicebamus, respondet diem illum ex Censoriis Quirinii Tabulis innotuisse Romanis, & per hos Orientalibus à paucis annis: quæ responsio haud paulò solidior est, & magis animos inquietos sedare poterat. Vide Augustinum, *Epist.* 118, *quæ est ad Januarium*, ubi ait, ea quæ non scripta, sed tradita, toto terrarum Orbe observantur; intelligi commendata atque statuta, vel ab Apostolis, vel à Plenariis Conciliis.

Hospiniani cõmentum.

Ex his patet, quàm ridiculus sit Hospinianus, dum ait primos Christianos ideò Nativitatis Christi festum olim sub exitum Decembris celebrâsse; ut Ethnicorum Saturnalia in eumdem mensem jam adultum incidentia abolerent. Quasi verò Romæ fœdiora alia aliis mensibus defuerint, quæ inductâ Natalis Christi solemnitate abolerentur. Præterquàm quòd festum Natalis non in dies Saturnalium incurrerit; sed eos omnes secutum fuerit: ut constat ex Kalendariis Romanis vetustissimis hodieque extantibus.

Objectio 2.

Secunda est Scaligeri, qui ex ordine Ephemeriarum Sacerdotum in Templo Hierosolymitano ministrantium demonstrâsse se credit, Christum sub finem Septembris nasci debuisse; quod & amplectitur Calvisius, *cap.* 48 *Isagoges*, & ex Catholicis Vecchiettus.

rejecta suprà.

Sed prætensa illa Scaligeri demonstratio nihil aliud est, quàm Paralogismus nixus falsâ Hypothesi de Christo nato Anno Juliano 43. Imò clarè ostendimus suprà *cap.* 31, ordinem Classium Sacerdotalium, quo nititur Scaliger, optimè, juxta nostram Chronologiam, convenire cum Natali Christi affixo diei 25 Decembris,

cembris, indeque opinionem nostram meritò confirmavimus.

Tertia: Opinio Ecclesiæ Romanæ inde ortum habuit, quòd censuerint Antiqui Patres, Zachariam, Joannis Baptistæ parentem, summum Pontificem fuisse, eique à Gabriele prænuntiatam prolem die decimâ Mensis Tisri, quâ solâ, intra totius anni decursum, ingrediebatur Pontifex in Sancta Sanctorum; prout pluribus Homiliis disertè affirmat Chrysostomus, & plures è Sanctis Patribus. Subruto autem illo fundamento, quod falsum esse jam constat, quidquid nonnulli hodieque reluctentur; necesse est & alia illi inædificata corruere. Ita Scaliger & Calvisius, quorum posterior sibi persuadet id ab aliquo sciolo introductum fuisse. Objectio 3.

Respondeo sensum Ecclesiæ illâ ratiocinatione non niti; sed, ut suprà declaratum est, tum Traditione ab Apostolis acceptâ, tum Tabulis Census Christo nascente acti. Quod si aliqui è Sanctis Patribus, ut Ecclesiæ usum aliunde stabilitum novis rationibus firmarent, etiam argumentum illud adhibuerint, petitum à summo Zachariæ Sacerdotio, ejusque solemni ingressu in adytum Templi; non debet id fraudi esse veritati: quandoquidem, ut docet Aristoteles *in Analyticis*, etiam ex falsis possit verum elici; quamvis ex veris non possit vicissim elici falsum per legitimum Syllogismum. Solutio.

***Quarta*:** Census, in quem relatus est Christus, non potuit commodè per hyemem haberi; potuit autem commodissimè tempore verno, vel Autumnali. Ita Wolphius, Hospinianus, Calvisius, & similes. Objectio 4.

Respondeo non totum Censum fuisse hyeme peractum (nec enim tam arduum negotium intra paucos menses confici potuit) sed vero-similiter Vere præcedente fuisse inchoatum; cumque non posset sine incommodo interrumpi (reditum in Italiam parante Saturnino hactenus Syriæ Præside, suffectoque illi Quintilio Varo, qui jam aut in Palæstinam appulerat, aut ab illâ proximè aberat) fuerit per hyemem continuatus; Romanis Censitoribus sua commoda facilè anteponentibus commodis Judæorum. Et fortassis hyems eo anno siccior vias duraverit, & ex eâ parte minùs molestas reddiderit. Solutio.

Quinta*:** Nascente Christo Pastores ovium ***custodiebant vigilias noctis super gregem suum, teste Lucâ, ***cap.* 2, *v.* 8.** Quis autem credat eos rigente hyeme in agris cum suis gregibus pernoctâsse? Verno igitur aut Autumnali tempore id contigisse dicendum est. Ita Beroaldus, Scaliger, Calvisius, Temporarius, Hospinianus, Wolphius, aliique horum Symmystæ. Objectio 5.

Respondeo valdè imperitos rerum videri eos, qui talia audent objicere. Scaligero ejusque sequacibus oppono Casaubonum, summum illum Scaligeri encomiasten. Asserit autem hic, ***Exercit.* 2, *ad Annum Christi primum*, *n.* 14,** ***In Angliâ armenta saltem, toto anno in agro pernoctare, neque propter frigus, aut pluviam, aut ventos, ulli tecto unquam subire.*** Et mox concludit: ***Quare vetusta traditio Ecclesiæ*** (de Christo nato die 25 Decembris) ***non temerè nobis rejicienda.*** Acriùs etiam loquitur Langius, dum ***lib.* 2 *de Annis Christi*, *Parte* 2, *cap.* 2. *extremo*,** scribit suprà allatum Scaligeri argumentum ***ne hili quidem esse***; subditque: ***Sanè in Daniâ meâ oves totâ hyeme in agris degunt, nisi terra ita penitùs nive tecta sit; ut nihil pabuli extra villas habere possint. At quid Judæa*** Solutio.

 ad

ad meam patriam gelidis trionibus subjectam? Certum igitur est ac demonstratum, verum Christi Natalem incidere in 25 Decembris. Enimverò si præter Judææ morem fuisset, mediâ hyeme greges in agris pernoctare; mirum esset Patres Orientales, qui die 6 Januarii natum Christum credebant, nusquam Pastorum istorum extraordinariam tolerantiam prædicâsse. Extra dubium igitur esse debet, id passim istic fuisse usu receptum.

Objectio 6. *Sexta*: Christus umbras veteris Testamenti iisdem ferè diebus festis implevit & abrogavit, quibus in Politiâ Judaicâ celebrabantur. Exempli causâ; Christus Pascha nostrum, in festo Paschatis oblatus est. In festo Pentecostes seu primitiarum, Apostoli primitias Spiritûs Sancti acceperunt, & Lex nova veteris loco data est. Nullus autem est Mensis, qui plura festa contineat Christum adumbrantia, quàm septimus Mensis Tisri. Dicendus ergo est Christus eo mense conspicuum se nobis præbuisse, quo & *jejunium expiationis*, & *festum Scenopegiæ* seu *Tabernaculorum* celebrabatur, & Summus Pontifex in *Sancta Sanctorum* ingrediebatur. Confirmatur ex eo, quòd Joannes Evangelista *cap.* 1, *v.* 14, dum ait Verbum *habitasse* in nobis, utatur voce ἐσκήνωσεν, id est, σκηνὴν, seu *tabernaculum* fixit in nobis; alludens scilicet ad *festum Scenopegiæ* seu *Tabernaculorum.* Ita Beroaldus, & Calvisius.

Solutio. Respondeo hujusmodi umbras potuisse à Deo faciliùs attendi pro eo tempore quo Christus moriens palàm eas implebat, quàm pro eo quo paucissimis notus nascebatur. Deinde Festum Expiationis & Summi Pontificis ingressum in Templi adytum non erant umbræ ullius mysterii peracti mense Tisri; sed Passionis & Ascensionis Christi, quæ mense Nisan, & Ijar peractæ sunt; ut interim taceam de *Festo Clangoris* & *Scenopegiæ*, quæ aliò, quàm ad Nativitatem pertinent; ut videre est apud Interpretes. Denique non deest talium Analogiarum materia, si attendatur & Æquinoctium Vernum quo conceptus, & Solstitium hibernum quo natus est verus Justitiæ Sol, eo ipso die quo Gentiles Solis visibilis Natalem celebrabant: & hæc duo tempora præclarè Christo passim applicant Sancti Patres, & ejus Conceptioni & Nativitati convenientissimè assignata fuisse demonstrant.

CONCLVSIO TOTIVS HVIVS QVÆSTIONIS PRIMÆ.

Author secutus doctissimos Recentiores, qui aliquid Antiquioribus addere potuerunt.

HÆc habui quæ, pro meâ tenuitate, de Anno, Mense, Die, & Horâ tot sæculis expectati faustissimi Natalis Servatoris nostri, Lectoribus meis offerrem; in unicam, quàm semper mihi propono, Veritatem intentus, & magnos, hujus præsertim sæculi, Viros secutus; quorum eruditissima sensa confirmare & adversus obtrectatores stabilire conatus sum. Hos si pro pumilionibus habent ii, qui, secus ac illi & ego, opinantur, & solos Antiquos tamquam gigantes suspiciendos putant; rogo ut meminerint vulgaris dicti, pumilionem gigantis vertici impositum, ejusque proceritate adjutum, longiùs, quàm hunc, aciem oculorum proferre posse; & exiguum regulum alis vastæ aquilæ subvectum, altiùs

altiùs ſupra nubes aliquando evolaſſe. De me profitebor, nulli jam à pluribus annis labori pepercisse, ut in tam nobili argumento verum eruerem; &, ſi aliud nihil, hoc ſaltem eſſe me conſecutum, ut in eâ ſententiâ, quam amplector, penitùs acquieſcam; planéque mihi perſuadeam falſum eſſe non poſſe, quod tot veriſſimis pronuntiatis, tam ſolidè ſtabilitis, tam indivulsè inter ſe connexis, tam inaniter hactenus oppugnatis, innititur. Aliis, non dubito, longè aliter videbitur. Nimirum ita ſunt humana omnia, in quibus & *Velle*, & ſentire *ſuum cuique eſt*; & ut *voto non uno vivitur*; ita nec judicio. Spero tamen fore, ut ſi ſemotis præjudiciis ratiunculiſque popularibus, maturo judicio per otium expendantur, quæ, paulò fortaſſis explicatiùs quàm hactenus factum ſit, totâ hac Quæſtione propoſui; deprehendant cordati & harum rerum intelligentes Lectores, quàm non de nihilo huic parti inhærendum putarim. Spem hanc meam firmat, quòd videam doctiſſimos viros paulatim oculos aperire, & præcipuos quoſque Chronologos hujus temporis, omnibus æquâ lance libratis, ab opinione quam tuendam ſuſcepi, alienos non eſſe; quoſdam etiam apertè illam profiteri. Ut fortè non ex vano conjicere liceat, futurum hîc etiam locum Horatiano illi dicto:

Spes progreſſuum opinionis noſtræ.

Opinionum vices.

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere; cadentq;
Quæ nunc ſunt in honore.

Rectè Plinius, *lib.* 17 *Hiſt. Nat. cap.* 4: *Mutantur ſæpe judicata quoque, ac diu comperta*; quod præſertim quadrat in problemata Chronologica, quorum neutra pars ſeu Eccleſiæ judicio, ſeu eruditorum omnium conſenſu, tranſiit in rem judicatam.

Lentiores initio fuiſſe hujus opinionis progreſſus, mirum eſſe non debet. Nempe ſemper verum erit tritum illud:

Cur tam lenti fuerint hujus opinionis progreſſus.

Dediſcit animus ægrè, quod didicit diu;

& nunquam non erit difficile Oratori dicere apud præoccupatos. Deinde quotus quiſque eâ, quâ par eſſet, ſeu patientiâ, ſeu accuratione, in Quæſtionem hanc innumeris difficultatibus implexam incumbit? Robuſto ſanè ſtomacho eſt opus ad eas exſorbendas, delicato præſertim hoc ſæculo, ne dicam faſtidioſo ac nauſeabundo, quo (ut aliâ occaſione poſt Plinium loquitur Hieronymus, *Præfatione in lib. Paralipomenon, ad Domnionem & Rogatianum*) *optima quæque malunt contemnere plerique, quàm diſcere.* Præterquàm quod Deckerianæ Sententiæ progreſſibus & incrementis ita aliquamdiu obſtiterit Vir maximus, qui tunc, ob recenter editos Annales Eccleſiaſticos, authoritatis arcem tenebat; ut eam pænè in cunis ſuffocarit: & fortè ſuffocaſſet; niſi ſubſidio in tempore veniſſet doctiſſimus Kepplerus, omnibus ad eam rem præſidiis inſtructiſſimus.

Tam diu hoc arcanum latere potuiſſe (ſiquidem veritate nitatur) nonnullis incredibile videtur: mihi verò minimè. Tardè eruuntur, quæ altè jacent. Semper verum fuit, potuitque quavis ætate de qualibet implexâ & arduâ controverſiâ uſurpari illud Senecæ velut vaticinium, *lib.* 7. *Quæſtionum Naturalium, cap.* 25: *Veniet tempus, quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Ad inquiſitionem tantorum, ætas una non ſufficit. . . . . . Itaque per ſucceſſiones iſtas longas explicabuntur. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur.* Eodem ſpectant quæ ſcribit *ejuſdem libri cap.* 31:

Tempus & multorum labor multa latêtia proferunt in lucem.

Multa venientis ævi populus ignota nobis sciet; multa sæculis tunc futuris, cùm memoria nostri exoleverit, reservabuntur. . . . . . Quemadmodum *rerum natura, sacra sua non simul tradit*; ita nec Doctrina sacra. *Initiatos nos credimus; in vestibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiscuè nec omnibus patent: reducta, & in interiore sacrario clausa sunt: ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ post nos subibit, aspiciet. Quando ergo ista in notitiam nostram perducentur? Tardè magna proveniunt; utique si labor cessat*; aut si alio, quàm oporteret, modò ea quis excolat.

Pacifica conclusio. Finem toti huic Diatribæ impono pacificis verbis Chrysostomi de simili controversiâ agentis, *Homiliâ de Natali Christi: Non damnamus aliorum opinionem; nostram sequimur doctrinam. Unusquisque in suo sensu abundat: & forsitan revelabit unicuique Dominus. Et illi qui tunc* (die sexto Januarii) *dicunt Nasci Salvatorem, & nos qui hodie* (25 Decembris) *dicimus nasci, unum Dominum colimus, unum Infantulum. Sed videamus quia magis rationabilius* (fortè legendum, *rationabilis*) *ratio nostra non reprehendit* (seu, damnat) *alios; sed nos probat.*



R.P. MICHA-

R. P.

MICHAELIS SENESCHALLI

E SOCIETATE JESU,

QVÆSTIO SECVNDA.

De anno, menſe, die, Chriſti baptizati.

CAPUT PRIMUM.

Quinam ſenſerint Chriſtum baptiſmum ſuſcepiſſe ante Annum 28 Æræ Vulgaris.



IDERI non nemini primâ fronte poſſit, vix de Anno Baptiſmi hujus relictum eſſe dubitandi locum; ex quo illum S. Lucas tam arctis, quantùm apparet, limitibus circumſcripſit, *capite* 3, ſignato *Anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris*. Et verò plerique, qui ſolo rerum cortice contenti, in difficultatum adyta non penetrant ſeſe, facillimè hinc ſe expediunt: at qui eas penitiùs introſpiciunt, fatentur vel inviti ſuas huic etiam quæſtioni ineſſe ambiguitates, nec leves. Hoc ipſum ſatis ſuperque declarat opinionum ſuper eâ re diverſitas orta non ex uno capite, prout ex poſtea dicendis perſpicuum fiet: neque negari poteſt, earum nonnullis ſuam eſſe veri ſpeciem ac probabilitatem. Aliud certè expectari non debuit à ſummâ ſententiarum varietate circa Chriſti Natalem, quàm ſuprà, *Quæſt.* 1, expoſuimus; quandoquidem Natalis à Baptiſmo nonniſi triginta circiter annorum intervallo disjungi poſſit: ut proinde neceſſe ſit in hunc redundare immane illud diſſidium, quod illic reperitur. Accedit quod etiam inter eos, qui de Natali conſentiunt, non continuò de Baptiſmo conveniat; idque multiplici ex causâ, quæ poſtea commodiùs explicabitur. Etiam circa Baptiſmum variant opiniones; & cur?

Cæterùm etſi de Baptiſmi anno non parum diſcrepent judicia; ferè tamen præcipui quique Scriptorum de Anno Dionyſiano 28, aut 29, aut 30, litem movent. In horum recenſendis opinionibus eamdem adhibebimus methodum, quam ſuprà, *Quæſt.* 1; ſed minùs operosè quoad pleroſque: quando jam earum fundamenta ſunt ibidem rejecta, & patens quarumdam falſitas indicata. non tamen adeo inter pleroſque.

Et ut ab iis initium ducamùs quæ Baptiſmo annum aliquem vigeſimo octavo Dionyſiano priorem aſſignant, non eſt quod hîc illas nullius pretii ſententias refricemus ſeu Judæorum, ſeu Antonii Dulciati, ſeu Sigeberti, Mariani Scoti, Matthæi Paris, & Foroſempronienſis, quas *Quæſtione illâ* 1, *cap.* 2, expoſuimus. Sicut enim hæ, quoad Natalem, nimis enormiter aberrant à vero: ita & quoad Abſurdiorũ opinionum recenſio omiſſa.

Q Annum

Annum Baptismi non possunt non vehementer aberrare; ideoque exactiorem non merentur discussionem. Neque multùm ab his sejungenda est opinio Frederici Braubomi, *apud Contzen in cap. 2 Lucæ*, quâ Baptismus Christi (ex causis infrà, *cap. 5*, indicandis) conjicitur in annum 18 Æræ Vulgaris, qui est à morte Augusti quartus.

Capellus pro Anno Vulg. 26. Pro Anno Vulgari 26 operosè decertat Cappellus, *Dissertat. de Cænâ Christi supremâ, cap. 5, pag.* 128, cum quo tamen Anno, *pag.* 131, imperitè jungit Annum 3 & 4 Olympiadis 201; cùm sit primus & secundus: item Annum Nabonassari 775 & 776; cùm sit 773 & 774. Hujus quoque rationes paulò pòst proferemus & discutiemus: præcipua autem quæ illum eò adigit, est, ut cum pluribus Antiquis Passionem conferre possit in Annum Vulgarem 29, & Geminorum Consulatum, retentâ tamen triennali Christi Prædicatione, quam Veteres illi non admittebant.

Victorius & Prosper pro Anno Vulg. 27. Ad 27 Annum Vulgarem pertinent Victorius Aquitanus, & Prosper, qui (ut ostensuri sumus *Quæst.* 3, *cap.* 2) Passionem consignant Anno 28; vulgòque, & meritò creduntur annum unicum Christi Prædicationi concessisse, ex recepto tunc apud plures sensu. Huic assertioni firmandæ specialiter conducit, quod ait Prosper, Christum passum Anno Tiberii 15; utique exeunte: adeoque censet eodem ineunte Baptizatum; cùm annus ille 15, stante Evangelii veritate, anteverti non possit. Eamdem ob causam eidem anno accensendus erit Hegesippus & quidam alii, de quibus *Quæst.* 3, *cap.* 2, si Passionem tribuerint Anno 28 Vulg.

Fortè Hegesipp9, & alii. Usserius. Cùm his quoad annum Baptismi sentire videtur, licet in aliis dissentiat, Jacobus Usserius, *Tom.* 2 *Annalium.*

CAPUT SECUNDUM.

Quinam Baptismum referant ad Annum Vulgarem 28.

Cur accuratiùs hìc agatur de Anno 28. Vulg. CUM aut hunc annum ineuntem, aut proximè præcedentem exeuntem (quæ duo morali consideratione in unum confundi possunt) simus postea amplexuri; operæ pretium erit ejus patronos paulò accuratiùs à nobis proferri, stabilitâ eorum mente: ut hinc nostræ opinioni authoritas accrescat; planumque fiat quâ ratione Veteres Annum Tiberii 15, adeoque & reliquos, supputarint.

Pro eo Clemens Alex. Satis apertè pro hoc anno stat Clemens Alexandrinus, *lib.* 1 *Stromat.* dum Baptismum tribuit Anno Tiberii 15, cùm Christus esset annorum 30; inchoatorum scilicet: nam universim vitæ Christi annos dumtaxat triginta deputat (completos nempe, & neglectis pauculis mensibus ultrà excurrentibus) annum autem unicum Prædicationi. Cùm igitur (ut *Quæst.* 1, *cap.* 5, docuimus) divinum Natalem in affectum Novembrem Anni Juliani 43 conjecerit; significetque Baptismum incidisse in medium circiter Mensem Tybi, seu ineuntem Januarium (qui fuit speciatim Ægyptiorum communissimus sensus) dicendus omnino erit Baptismum affixisse ineunti Anno Vulgari 28, dum jam Christus per duos circiter menses annum ætatis tricesimum inchoasset.

Prorsus

Prorsus paria cum Clemente facere existimo Tertullianum, *lib.* 1 *adversus Judæos*, *cap.* 8. Sicut enim (ut *Quæst.* 1, *cap.* 5, declaravimus) Clementi quoad annum Christi nati consentit; ita eo loco etiam quoad Annum Passionis incidentem in *decimum quintum Imperii Tiberii*, *Consulesq. Geminos* (seu Annum Vulgarem 29) dum Christus *haberet annos quasi triginta*. Præcedenti igitur anno Baptizatum censuit; quo utique etiam numerabatur annus 15 Tiberii; ante quem nimirum Vir tantæ eruditionis non potuit credidisse Christum Baptismo fuisse tinctum; cùm id Evangelio Lucæ nimis apertè adversetur. Quod unicum prædicationi Christi annum concessisse dicatur, non est illi peculiare; sed, ut jam dicebam, cum pluribus aliis commune. Hinc facilè emendabis quod in Tertulliani *libro* 1 *contra Marcionem* legitur, *dominum à XII anno Tiberii Cæsaris revelatum esse*; in Baptismo scilicet. Quæ verba Pamelius, *in suis ad Tertullianum Prolegomenis, Paradoxo* 14, *& alibi*, non tantùm ut apertum errorem Evangelio repugnantem exagitat; sed etiam inde elicit Christum, Tertulliani judicio, solidum triennium Prædicationi impendisse. Est haud dubiè compertus error, si ita scripsit Tertullianus: sed cùm minimâ mutatione XV in XII, quæ in oscitantem Librarium facillimè cadat, liberari possit Vir tantus à tam turpi notâ; planè existimo hac in eum benignitate utendum. Certè cùm Pamelius eodem libro, in verbis, quæ suprà allegata immediatè præcedunt, numerum alium alio substituto correxerit; *etsi (ut fatetur) refragantibus omnibus Codicibus*; poterat hîc quoque eâdem benignitate uti erga Authorem quem illustrandum susceperat. In hunc etiam annum concurrere videtur Anonymus Scriptor sub Alexandro Severo, de quo aliàs. Nam cum Clemente & Tertulliano triginta tantùm vitæ annos largitur Christo; & ejus Mortem Anno Vulgari 29 contigisse censet; ut infrà dicetur *Quæst.* 3, *cap.* 3.

Tertullianus

emendatur.

Anonymus sub Alexandro Severo.

Reperiri hodieque nonnullos qui Eusebium Cæsariensem pro anno 30 Dionysiano, Tiberii 16, allegare audeant, tam mihi mirum videtur, quàm quod maximè: adeò luculentè Scriptor ille Christi Baptismum & Prædicationis exinde secutæ initium refert ad annum Tiberii 15, & Vulgarem 28. Hic est cardo totius Chronologiæ ejus, circa quem omnes anteriores posterioresque anni volvuntur. Hic est lapis Lydius, ad quem ipse Eusebius præcipuas suas Epochas sæpiùs explorat: nec ullus est annus in toto ejus Chronico aliisque Operibus, de quo magis constet.

Eusebius apertè.

Et quidem, quod ad Tiberii annum 15 attinet, res evidens est, *ex lib.* 1 *Hist. Eccl. cap.* 10; *Cùm* (inquit) *Tiberius Cæsar decimum quintum Imperii sui annum, & Pontius Pilatus quartum Præfecturæ suæ ageret* (missus in Judæam fuit Anno Imperii Tiberii 12, ut ibidem narrat, *cap.* 9.) . . . . . *Servator & Dominus noster Jesus Christus Dei, incipiens esse quasi annorum triginta* (quod exactè respondet Anno Natalis Christi Juliano 44 ineunti, ex mente Eusebii explicatâ suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 6) *ad Joannis Baptisma venit*; *eodemq. tempore prædicandi Evangelii initium fecit.* Quid clarius dici potuit? Similiter *in Chronico*, *ad Annum Tiberii* 15: *Joannes* (inquit) *filius Zachariæ in deserto juxta Jordanem fluvium prædicans, Christum Filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoque Dominus Jesus Christus hinc* (id est ab hoc anno inclusivè, ut patet ex verbis

Probatur ex Anno 15 Tiberii Eusebiano.

 paulò

paulò antè recitatis) *in populos salutarem viam annuntiat.* Item *in Præfatione Chronici: A Dario* (seu ab anno 2 Darii, quo censet Templum Hierosolymitarum instaurari cœpisse) *usque ad prædicationem Domini nostri Jesu Christi, & usque ad* 15 *annum Tiberii Principis Romanorum* (en iterum conjungit annum hunc 15 cum prædicatione) *explentur anni* 548: quæ postrema verba paulò magis statim explicabuntur. Consentit & Chronicon Græcum Eusebii à Scaligero editum: τῷ ιέ ἔτει τοῦ Τιβερίου βαπτίζεται ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. *Anno 15 Tiberii Baptizatur Dominus noster Jesus Christus.* Ibi tamen fallit & fallitur Scaliger, dum ex suo judicio, & contra apertissimam Eusebii mentem, illi anno 15 Tiberii jungit & Geminos Consules, & annum 1 Olympiadis 202; cùm jungere debuerit Consules Silanum & Nervam, ac Olympiadis 201 annum 4, si Operis à se editi sinceritati consultum voluisset. Firmat hanc lectionem Epitome Græca Chronologiæ Eusebianæ à Petavio edita cum Nicephori Breviario Historico, ubi asseritur Christus *anno 15 Tiberii Baptizatus.* Firmant & plurimi tum Græci, tum Latini, qui Eusebium secuti, in annum Tiberii 15 magno consensu concurrunt quoad Baptismum; nulla ut eâ de rè subesse possit dubitatio. Vide & Codicum consensum in Notis Pontaci, *pag.* 549.

Annus Tiberii 15 est, ex Eusebii mente, 28 Vulgaris.

Superest nunc ut probemus annum illum 15 Tiberii Eusebianum esse Vulgarem 28. Patet autem id *primò* ex Anno Abrahæ 2044 ad annum illum 15 Tiberii adscripto in Chronico Eusebii; quem confirmat tum Præfatio; tum tota structura ejusdem Chronici; tum consensus Codicum, imò & editio Latina Scaligeri; qui proinde manifestè errat, dum in Chronici editione Græcâ, quam arbitratu suo interpolavit, annum 15 Tiberii comparat cum anno Abrahæ 2045. Ex dictis autem in nostris *Prolegomenis*, *Lemmate* 7, si ad Annum Abrahæ 2044 addideris annos 2697; exsurget correspondens annus Per. Jul. 4741, idemque Vulgaris 28. *Secundò* ex Natali Christi, quem (juxta dicta suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 6) tribuit Eusebius anno Juliano 44 ineunti. Si enim anno suo 30 ineunte Baptizatus est Christus (ut *lib.* 1 *Hist. Eccl. cap.* 10 *cit.* significat Eusebius) confecta res est pro Anno Jul. 73; adeoque & pro anno 28 Dionysiano. *Tertiò* ex anno Mortis Christi, quem *infrà*, *Quæst.* 3, *cap.* 4, *parag.* 2, validè ostendemus esse, ex Eusebii sententiâ, Dionysianum 31, & Tiberii 18. Nam cùm Christus, eodem Eusebio teste, *lib.* 8 *Demonst. Evang. pag.* 400, *Edit. Græcolat.* non toto quadriennio, sed annis dumtaxat tribus ac dimidio (præter propter, & comprehenso etiam tempore, quod à Resurrectione fluxit ad Ascensionem) prædicarit; consequens est ut Baptismus in annum 28 Vulgarem inciderit. *Quartò* ex Eusebii epilogismis ad Annum Abrahæ 2086, quo Templum Hierosolymitanum dicitur fuisse à Tito destructum, intervallo *annorum* 42 *à* 15 *Tiberii Cæsaris anno, & ab exordio Evangelicæ prædicationis.* Subductis siquidem 42 ex 2086, superest annus Abrahæ 2044; sicut subductis 42, ex 70 (quo anno Vulgari certò contigit clades illa) supersunt 28. In illis verò Eusebii verbis iterum observandum, annum Tiberii 15 componi disertè cum exordio prædicationis Christi; adeoque & cum ejus Baptismo, qui cum præcedente aliquo anno componi non potest. *Quintò, ex lib.* 1 *de Præparat. Evang. cap.* 9. item *ex Præfat. Chronici, & ex Chronico ipso ad Annum Abrahæ* 2044; ubi disertè scribit Eusebius, *ab anno* 2 *Darii*

Darii usque ad 15 Tiberii reperiri annos omnino 548. Nam (inquit *cap. 9 cit.*) *Darii annus 2 in primum Olympiadis 65, Imperii verò Tiberii decimus quintus in quartum Olympiadis* 201 (patente mendo legitur in textu tum Græco, tum Latino, 203) *incurrit. Quocirca Darium Persam inter, ac Tiberium Romanorum Imperatorem* (seu annum ejus 15) 137 *Olympiades intercedunt; quæ summam annorum 548 conficiunt:* comprehensis nimirum annis extremis. Annus 2 Darii & primus Olympiadis 65, incidit (calculo Eusebii, tum Latinæ editionis Pontaci, tum Græcæ Scaligeri) in annum Abrahæ 1497; atque ita, *juxta Lemma 7 cit*, in annum Per. Jul. 4194. Utrique anno adde 548 (demptâ prius, de more, unitate, ut anni extremi comprehendantur) conflabitur annus Abrahæ 2044, & Periodi Jul. 4741; & consequenter annus Vulg. 28. Porrò in verbis jam allegatis, rursum habes annum Tiberii 15 comparatum cum anno 4 Olympiadis 201; qui utique, juxta dicta *in Prolegom. Lemmate* 8, alius esse non potest, quàm Vulgaris 28. Ostendimus enim Eusebium ei anno singulos Olympiadum annos adscribere, cujus æstate hi fluere incipiunt. Unicum hoc argumentum illis abunde sufficere deberet, qui minimam Eusebianæ methodi notitiam habent.

At enim Eusebius *in Chronico, ad Annum Abrahæ* 2047, disertè scribit, *Post decimum-quintum annum Tiberii Cæsaris tribus annis Dominum prædicâsse.* Cœpit igitur anno Tiberii 16, eodemque baptizatus est, ex mente Eusebii, Baptismum & initium Prædicationis perpetuò conjungentis. Ita recens Scriptor, qui etiam verba illa, *Anno 15 Tiberii*, in Eusebio expungendâ contendit. Objectio

Imbellis aries tantæ machinæ, quantam modò ereximus, evertendæ. An non præpositio *POST* sæpissimè in Scripturis Sacris, aliisque libris, imò & in familiari sermone, ita usurpatur; ut tempus, cui adjungitur, non excludat? An non, cum proportione, eadem est ratio præpositionis *ANTE*; adeò ut si quid gestum dicatur ante diem decimum Calendas Apriles; idem sit, ac si diceretur, die 10 Calendas; ut patet *ex L.* 132, *ff. de Verborum obligat.* ubi legitur, quòd *ante Calendas proximas*, nihil differat *à Calendis*? An non dicitur Christus circumcisus, *postquam consummati sunt dies octo*; & suscitatus *post tres dies*; & ita de aliis? Omissis innumeris, unicus sufficiet Cedrenus Eusebio explicando, cujus verba transcribit, *in Cõpendio Hist. pag.* 156, *ac nominatim illa*, μετὰ τὸ ιε ἔτ. Τιβερίου, *Post annum decimum-quintum Tiberii:* & tamen disertissimis verbis, eâdem prorsus paginâ, sic habet: *Regni ejus* (Tiberii) *anno 15 baptizatus est Christus, & prædicare Evangelium cœpit; Anno 18 Regni ejus crucifixus.* Post triennalem videlicet, quam & ibidem asserit, prædicationem. Eodemque modo Eusebii verba acceperunt, tum qui proximè, tum qui diu pòst, ejus Chronologiæ inhæserunt. Sed quid tot verbis opus est, cùm Eusebius ipse id, quod intendimus; perspicuè affirmet *in sui Chronici Præfatione? Quadragesimo secundo anno Imperii Augusti Christus natus est; quinto-decimo Tiberii anno prædicare orsus est?* Potéstne post hæc superesse vel minima dubitatio, junctis præsertim tot aliis, tamque patentibus testimoniis, quot paulò ante ex Eusebio congessimus? Unum hîc observari velim, nos in solo Eusebio anni 28 patrono, habere suffragatores plerosque omnes complurium sæculorum Scriptores ejus sectatores: quos proinde necesse non sit nimis operosè recensere. Solutio.

Augustinus, Sulpitius, Orosius, Hesychius, Chrysostomus

Traditio illa in Orientē invecta.

in Psalm. 132, *& lib.* 4. *contra Cresc. cap.* 7. *& lib.* 4 *de Trinit. cap.* 5. Severus Sulpitius, *lib.* 2. *Hist. Sacra.* Orosius *lib.* 7 *Hist.* Hesychius, *apud Anastasium Nicænum*, *Quæstione* 92, aliique permulti. Præteriri nullo modo hîc debet Chrysostomus, qui *pluribus Orationibus, ac nominatim eâ quæ est* 31 *Tomi* 3, *editionis nostri Frontonis Ducæi*, luculentissimè testatur morem Romanum, passim in Occidente receptum, celebrandi Festa Christi Natalitia die 25 Decembris, fuisse suâ ætate introductum in Orientem, & obviis ulnis vulgò exceptum; scribitque diem verum, quo natus est Christus, ex monumentis Romanis de Censu, in quem is relatus est, deprehensum fuisse. Aliter rem narrat Joannes Archiepiscopus Nicænus, *in Epistolâ ad Zachariam Catholicum Armeniorum*, ubi refert Julium Pontificem Romanum ex Judæorum libris didicisse, Angelum Zachariæ Joannis Baptistæ parenti in Templo ministranti die 10 Mensis Tisri, 23 Septembris, prædixisse nasciturum ei filium; indeque cognovisse Christi Natalem in diem 25 Decembris incidisse; & ab eo tempore fuisse Romæ die illo celebratum. Addit Gregorium Nazianzenum jussu Julii conatum inducere hunc morem in Orientem; sed nonnullos restitisse. Advenisse postea illuc Imperatorem Honorium, qui cùm Matri ac Fratri exposuisset quâ ratione Romani Festum Christi Natalitium observarent; effecisse ut ea etiam ab Orientalibus reciperetur. Rectè autem observat Combfies, *in suis ad hanc Epistolam Notis*, varia illi narrationi inesse hinc inde, quæ falsi suspicionem ingerant: generatim tamen ex hujus Scriptoris & Chrysostomi consensu habemus, alligationem Natalis Christi ad diem 25 Decembris in Oriente, ab Ecclesiâ Romanâ profectam esse; nec dubium quin primis Ecclesiæ sæculis eumdem morem tenuerint Romani, & quidem ab ipsis Apostolis edocti, ut significat *Homilia* Chrysostomi nomine prænotata, & Latinè tantùm extans, *in Natalem S. Joannis Baptistæ*; patetque ex eo, quòd Vetustissimi quique Patres Latini ita in Decembrem conspirent; ut nullius unquam mutationis factæ meminerint; imò Augustinus *in Psalmum* 132 *cit.* disertè Traditionem Ecclesiasticam agnoscat. Huic quoque pertinent Patres illi, qui licet Nativitatis diem non exprimant; scribunt tamen Christum die 25 Martii, aut in Æquinoctio Verno conceptum. Qui enim ita sentiunt, solent communissimè illi mensi ac diei favere quoad Natalem.

Martyrologia varia.

In eumdem mensem ac diem cum Martyrologio Romano conspirant hodie Menæum Græcorum, Martyrologium Syrorum, Coptitarum, aliarumque Gentium, quarum aliquæ etiam ab illo die suos annos olim inchoarunt.

Ipsi Mahumetani.

Quin & ipsi Mahumetani, Arabes & Persæ, (teste Thomâ Gravio, *in Annotationibus, quas Polyglottis Biblis Londinensibus subjecit ad Persicam Evangeliorum Versionem, Lucæ cap.* 2 *v.* 11) hac in re cum Christianis consentiunt. Nam apud eos (inquit) *Natalis Messiæ* quasi in proverbium abiit pro *longissimâ nocte*. Subdit deinde quemdam ex iis Scriptorem ita loqui: *Tempus Nativitatis IESV, super quem pax, fuit nox totius Anni longissima:* item longissimam illam noctem à Persis dici, *Noctem perfectionis*; eo quod tunc Solis curriculum perficiatur: sed eam appellationem nos sublimiore sensu possumus accipere. His conforme est quod scribit Scaliger *lib.* 4. *de Emend. Temp. pag.* 254, se vidisse Ephemeridem Persicam, in quâ ad diem 25 Canun prioris, id est, Decembris, perspicuè scriptum erat, *Natalis IESU.*

Huc

Huc insuper spectat Patrum expositio illius dicti, Joannis Baptistæ, *Joan. c.* 3. *v.* 30: *Illum* (Christum) *oportet crescere; me autem minui.* quæ verba in eam etiam partem explicant, quod Joannes in Solstitio æstivo natus sit, dum dies decrescere incipiunt; Christus verò in Solstitio hyberno, dum incipiunt crescere, & Sol novum velut cursum à Tropici Capricorni carceribus orditur, ac è Brumæ tenebris emergens quodàmmodo renascitur: unde & *Sol novus* ab Antiquis appellabatur, ut patet ex Censorino, *libro de Die Natali*, *cap.* 21., & Servio, *in librum 7 Æneidos, ad illud, Vel cum Sole novo*, ubi ita loquitur: *Propriè Sol novus est octavo Kal. Januarias.* Non de nihilo addit, *propriè*: nam, ut rectè observat noster Ludovicus La Cerda *in illum locum*, Virgilius locutionem istam extendit ad Solstitium æstivum, binos annos semestres distinguens in anno Romano, seu Solari, quem *lib.* 3. *Æneid. Magnum annum* appellat. Quod si (ut rectè observat Lindenbrogius, *in Notis ad caput Censorini citatum*) tam Varro, *lib.* 5 *de Linguâ Latina*, quàm Ovidius, *lib.* 1 *Fastorum*, Januariis Kalendis assignent *Novum Solem*; oritur id ex antiquâ persuasione, quòd Solstitia & Æquinoctia fierent in octavis partibus suorum Signorum; quâ de re agemus infrà *Quæst.* 3, *cap* 24. Pulchrè hanc hyberni Solstitii cum Christi Natali conjunctionem expressit Prudentius, *Hymno jam citato*:

Quid est quod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christus ne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?

Eleganter etiam, nec sine reconditioris eruditionis auctario diem, illum ac mensem aliter explicat antiquus Author, *Homil. cit. de Nativ. S. Joannis, planè in fine*: *Dominus nascitur in mense Decembris, hyemis tempore, octavo Calendas Januarias, &c. Sed & INVICTI NATALEM appellant. Quis utique tam INVICTUS, nisi Dominus noster? qui mortem subactam devicit. Vel, quod dicant SOLIS esse NATALEM; ipse est SOL Justitiæ &c.* Præclaram hic habemus explicationem verborum duorum adjectorum antiquissimo Calendario quod ediderunt Petavius, *in Uranologio*, & Bucherius *in Commentario ad Victorii Canonem Paschalem*, ubi ad diem 25 Decembris adscriptum legitur; NATALIS INVICTI. Hoc nomine SOLEM significari, manifestè ostendunt jam allata Chrysostomi verba; epitheton autem INVICTI olim fuisse communissimè SOLI attributum, solus ille ignorare potest, qui Nummos antiquos *Gallieni*, *Quieti*, *Maximini*, *Maximi*, *Licinii*, *Constantini Magni*, nunquam viderit. Innumeri siquidem hujusmodi extant, quorum aversa facies imaginem Solis exhibet cum hac Epigraphe: INVICTO, vel SOLI INVICTO, vel, SOLI INVICTO COMITI; quæ & in pluribus aliis vetustissimis monumentis visitur, quorum Inscriptiones profert Gruterus, *in vasto suo Opere Inscriptionum.* Vide Juliani Apostatæ *Orationem* 4 *sub finem*, ubi testatur statim post *Saturnalia* (quæ a die 17 Decembris initium ducebant, & ad septem dies, comprehenso Sigillariorum festo, producebantur) celebrari solitos magnificentissimos Ludos SOLI INVICTO; quod cum jam dictis planè congruit. Consule & Petavium, *in illam Juliani locum*. Ex his obiter observo falli Bucherium,

Natalis Solstitio hyberno tributus.

Quid Sol novus.

Prudentius.

Natalis Invicti ex Calendario Ethnicorũ, applicatus Natali Christi.

Natalis Invicti, Ethnicis est Natalis Solis.

cherium, dum ad dicti Calendarii marginem annotat, NATALEM INVICTI, *indubiè* esse diem, quo Constantius Vetranioni purpuram ademit; unde & *Invictus* dictus sit. Sed molliùs postea, re meliùs examinatâ, locutus est, *lib.9 Belgii Romani, cap. 7 extremo*; & errorem suum ex parte correxit.

Solstitium hîc latiùs sumẽdum.

Porrò quæ de Solstitio hyberno, Christique Natali in illud incidente hucusque dicta sunt, ita debent omnino accipi; ut ad rigorem mathematicum nequaquam exigantur: sed morali dumtaxat consideratione intelligatur, idque plus minùsve, pro ratione anni, cui hæc aut illa opinio Natalem Christi tribuit. Anno Juliano 41, quem suprà elegimus præ aliis, ingressus Solis in cardinem Solstitialem contigit manè, die 23 Decembris strictè Juliani à mediâ nocte supputato; qui dies, juxta Calendarium vitiosâ Romanorum Sacerdotum intercalatione corruptum, ac nihilominus reipsâ usu tunc receptum, erat 21 Decembris. Si igitur Christus die 25 Decembris tunc usurpati sit natus (prout omnino dici debet, cùm dies ex illo Calendario vitiato tunc numerarentur & apud vulgus, & in omnibus Actis publicis) Sol, eo nascente, jam plusquam ad quatuor gradus punctum Solstitii fuerat prætervectus, & versabatur in quinto gradu Capricorni die illo, qui erat 27 Decembris strictè Juliani. Sed hoc, quoad tempus Solstitii, eo minori dignum est consideratione; quo minùs Sol per aliquot dies à Tropico Capricorni recedit; adeò ut stare videatur: unde etiam nomen Solstitii ortum est.

Error Astrologorũ in Themate cœlesti Natalis Christi.

Cæterùm hinc videre est, quàm parum, ad id quod agebant, attenti fuerint varii Astrologi, de quibus suprà; dum operosissimè Genethliacum Cæli Thema erexerunt, ad punctum mediæ noctis diem Romanum 25 Decembris strictè Juliani inchoans Hierosolymis Anno Juliano 45; quasi eo præcisè momento natus esset Christus. Cùm enim Calendarium tunc vulgò usurpatum die uno per defectum discreparet à Juliano; necesse est etiam illorum Astronomorum calculos solido die aberrare ab eorum scopo; adeoque eo ipso momento, quod sibi proponunt, inchoatum populari usu fuisse diem dumtaxat 24 Decembris, & Christum non nisi totis 24 horis seriùs genitum fuisse. Ex quo ulterius conficitur (etiam dissimulato errore quoad annum Natalem) quàm ineptè ex tali Themate collegerint quidam Astrologi Judiciarii, ea quæ ad naturalem Christi constitutionem & indolem, ad vitæ genus, doctrinam, miracula, mortem violentam, & alia ejusdem modi pertinent.

Corollariũ.

Cùm ex suprà explicato perpetuo Ecclesiæ Romanæ, imò Occidentalis sensu, & antiquissimo Orientalis consensu in Mensem Decembrem, ejúsque diem 25, satis manifestum sit reliquas omnes opiniones antea recensitas habendas esse ut omninò falsas; non est quod iis refellendis immoremur. Non âbs re tamen fuerit præcipua earum fundamenta convellere, & quàm parum firma sint demonstrare, nominatim adversus Scaligerum; qui pervicaciæ accusare audet eos, qui Romanæ Ecclesiæ hac in parte consentiunt. Hoc sequenti capite præstituri sumus, postquam paucula expediverimus, quæ de feriâ hebdomadis, & horâ in quam divinus Natalis incurrit, dicenda supersunt.

Feriâ primâ natũ Christũ statuũt, Sexta Synodus,

Sicut de hac Feriâ nihil fuit apud Antiquos certi; ita nec apud Recentiores. Illorum plerisque placuit Feria prima, seu Dominica. Ita Sexta Synodus *cap.* 8. Augustinus *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 6. Hippolytus Thebanus, *apud*

apud Henricum Canisium, To. 3, Antiq. Lect. pag. 42. Sophronius, *Homil. de B. Virgine*, Cassiodorus, *in Psal.* 117. Nicephorus Callistus *lib.* 1 *Hist. cap.* 12. Fuit communissima hæc Computistarum opinio ante annos circiter ducentos; adeò ut ex hac hypothesi, quibusdam aliis præjudiciis junctâ, in maximos errores fuerint abducti, quos superiùs indicavimus, *capite* 2. Augustinus, Hippolytus Thebanus, Sophronius, Cassiodorus Nicephor. varii Computistæ.

Feriam tertiam præfert Author *libri de Argumentis Lunæ, in Operibus Bedæ, cap. de Solstitiis.* Temporarius, *pag.* 166. M. Ant. Cappellus *pag.* 128. Feriâ tertiâ, Author incertus, Temporarius, Capellus.

Feriam quartam assignant Chronicon Alexandrinum, *pag.* 480. Maximus, *Parte* 1 *Computi, cap.* 32. Cedrenus, *in Compendio.* Feriâ 4. Chronic. Alex. S. Maximus. Cedrenus.

Feriæ sextæ patrocinatur Hesychius, *Sermone de Natali Domini.* Anastasius Sinaita, *lib.* 7 *in Hexaëm. & lib. Quæstionum, Quæst.* 93. favet Salianus, *Anno Mundi* 4052, *num.* 58, *& seqq.* & Author Calendarii Apostolici, *cap.* 19. Feriâ 6. Hesychius, Anastasius, Salianus, Anonymus.

Nullo negotio decideretur hæc quæstio, si de Anno, Mense, ac die Nativitatis Christi inter omnes conveniret: habitâ tamen ratione discriminis dierum, quod eâ ætate inter Calendarium strictè Julianum, & id quod vulgò usurpabatur, intercedebat; quod fatendum est nec à Sanctis Patribus, nec à medii ævi Scriptoribus attentum fuisse, imò nec à quibusdam Recentioribus satis attendi. Exemplo sit Baronius, *tum in Apparatu ad Annales; tum in Notis ad Martyrol. Rom.* Ubi, Antiquos secutus, Feriam primam Christo nascenti deputat, quæ ejus Chronologiæ convenire non potest; seu ad Calendarium strictè Julianum respexerit, seu ad erroneum usu receptum. Ad eundem lapidem passim hîc & alibi offendunt Chronologi, dum ex aliorum dictis inter se pugnantibus centones malè variegatos texunt. Decisio pendet ab Anno Natalis Christi.

Nobis Annum Julianum 41 amplectentibus, diémque 25 Decembris usu tunc recepti, consequens esse debet Christum Feriâ quartâ natum esse. Illius enim Anni Littera Dominicalis erronea est F, affixa diei 22 Decembris; ut proinde dies 25 cum Feriâ quartâ concurrat necesse sit. Mirificè congruit hic dies hebdomadis quartus, quo natum Solem Justitiæ statuimus, cum Feriâ 4, quâ primùm Solem hunc aspectabilem à Deo conditum scribit Moses, *cap.* 1. *Genesis.* In nostrâ sententiâ Natalis cōgruit Feriæ quartæ.

Nimiæ, opinor, curiositatis non accusabimur, si & in horam Christi nati inquiramus; quando & ipsi Sancti Patres nobis hac etiam in parte præivere. Hesychius, *apud Anastasium Sinaitam, aliàs Nicænum, Quæst.* 93, asserit Christum natum horâ diei tertiâ. Widmestadius, *Notâ* 12, *in Theologiam Mahometis*, scribit se in antiquo Codice Græco legisse, natum die 25 Decembris, horâ diei sexta. Author antiquus, quem sub nomine Clementis Romani citat Anastasius *loco citato*, horâ diei septimâ; idémque habet Chronicon Alexandrinum, *pag.* 533, ubi non rectè à Radero corrigitur textus. Pro nocturno tamen tempore facit Universalissimus Ecclesiæ sensus, à quo etiam Antiquos non penitùs abhorruisse, satis declarat Problema Stephani Gobari initio hujus capitis allatum. Apertè id significat Lucas, *cap.* 2, *V.* 8: *Pastores erant in regione eâdem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Deinde Scriptores jam allegati, qui de die loquuntur, agunt fortassis De horâ Nativitatis non cōsentiunt sancti Patres. Hesychius horâ 3 diei Christum natū cēsuit. Anonymus horâ sextâ, Clemens horâ 7, uti & Chronicon Alex. Pro tēpore nocturno sensus Ecclesiæ.

fortaſſis de die naturali, ſumpto ejus initio ab occaſu Solis, more apud multos Orientales recepto. Ut ut ſit, non cenſeo ſine urgentiore causâ recedendum ab horâ mediæ noctis, quam probare videtur communiſſimus Eccleſiæ ſenſus, his etiam ſolemnis Miſſæ verbis teſtatus: *Cùm medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet &c.*

[Margin: … pro mediâ nocte.]

[Margin: Conciliatio Orientaliũ circa diem Natalis in Januario.]

Ex nocturnâ hac Chriſti Nativitate, ac maximè ſi ipſo mediæ noctis articulo contigit, facile eſt aſſequi, cur illam quidam ex Orientalibus Januario faventes ad quintum, alii ad ſextum Januarii diem retulerint. Potuit enim, etiam ex uſu recepto, facilè ad utrumvis diem referri, qui in unius fine & alterius initio natus eſt; &, eo ſecluſo, cùm eadem nox fuerit apud quoſdam præcedentis diei pars poſterior, apud quoſdam principium ſequentis; nihil factu pronius fuit, quàm ut ex hac conſideratione è duobus diebus contiguis, unus ab his, alter ab aliis numeraretur. Vide etiam Gellium, *lib.* 3, *cap.* 2.; & Plutarchum, *in Quæſt. Romanis*, ubi de ſimili dubio agunt. Suſpicari etiam fortè quis poſſet, diverſitatem illam ortam ex modo quo Romani *diem ſextum* Januarii exprimunt, dum eum vocant, *diem ante octavum Idus Ianuarias.* Videntur enim nonnulli è Græcis ita locutionem illam accepiſſe, ut cenſuerint eum eſſe quintum Januarii, ut pote qui præcedat diem octavum Idus. Hoc ſenſu eam phraſim ſumpſiſſe videtur Epiphanius, v. g. *Hæreſi* 51, *n.* 24; quo loco verba illa, πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίων, ſic explicat: ἥτις ἐστὶ κατὰ Ῥωμαίους πέμπτη τοῦ Ἰανουαρίου μηνός. Eodem etiam modo locutionem illam ſumpſit Stephanus Gobarus, *apud Photium Codice* 132. Alii è Græcis, qui meliùs modum loquendi Romanum callucrint, rectè cenſuerint per illum non alium diem exprimi, quàm Januarii ſextum; ideóque Chriſti Natalem illi tribuerint. Conſule omninò Petavium, *lib.* 5. *Auctarii*, *cap.* 11. Quâ autem occaſione factum ſit, ut tam multi diem quintum aut ſextum Januarii dixerint Chriſti ortu conſecratum, in hujus capitis fine examinabimus.

[Margin: Quot diebus manſerit Chriſtus in utero materno?]

Quot dierum moram in Virginis Matris utero traxerit Chriſtus, ſuperfluum ſit hodie quærere; cùm nobis ex antiquiſſimâ Traditione conſtet Verbum divinum die 25 Martii carnem induiſſe. Cúmque ex hactenus dictis habeamus Dei-Hominis Natalem incidiſſe in 25 Decembris; evidens eſt materni uteri anguſtiis concluſum fuiſſe diebus 275, menſibus Romanis novem præcisè, Lunaribus novem ac diebus inſuper novem aut decem; menſibus Ægyptiacis novem, & diebus quinque. Poſtremus hic dierum & menſium numerus in memoriam mihi revocat ratiocinationem Catholici Armeniorum, *in Diſputatione cum Theoriano*, *in Bibliothecâ PP. Græcorum*, dum tueri conatur popularium ſuorum morem celebrandi Natalem Chriſti die 5 aut 6 Januarii, allegato loco *ex Sapientiæ cap.* 7, *V.* 1 *&* 2, ubi dicitur Salomon *figuratus decem menſium tempore.* Ex his enim verbis, & ex receptâ apud Armenios opinione de infantibus primogenitis ex utero non prodeuntibus niſi poſt expletos in eo novem menſes ac dies quinque, contendit populares ſuos legitimè Chriſti Natalem recolere; quæ reſponſio videtur indicare Catholicum illum cenſuiſſe Chriſtum primo die Aprilis conceptum fuiſſe. Malæ huic ratiocinationi rectè quidem opponit Theorianus Salomonem de Menſibus Judaïcis ac Lunaribus egiſſe:

[Margin: Opinio Armenorum.]

ſed

ſed addere potuiſſet, cum nec Davidis, nec Bethſabee primogenitum fuiſſe; quandoquidem (ut de aliis taceam) ex utriuſque adulterio jam antea natus eſſet infans, qui ſtatim vivis ereptus eſt.

Explodendi verò ſunt ii, quos Epiphanius, *Hæreſi* 51, *num.* 29, refert exiſtimaſſe, Chriſtum ſeptimo poſt conceptionem menſe in lucem editum; quod palàm receptæ apud omnes Traditioni adverſatur: præterquam quod Chriſtus, qui reliquis omnibus in rebus nobis tantopere ſimilis factus eſt, minimè credendus ſit ſe temporis ordinarii legibus exemiſſe. Rejecti qui ſeptem tantùm mēſes tribuerunt.

Quærat hîc aliquis, quid porrò cauſæ eſſe potuerit, cur Ægyptii, aliique per Orientem quàm plurimi, opinati fuerint Chriſtum natum die 5 aut 6 Januarii? Suprà enim vidimus Scriptores jam illum, jam iſtum diem expreſſiſſe. Unde ortū ut Ægyptii crediderint Chriſtum natū die 5. vel 6 Januarii?

Reſpondeo id inde probabiliter oriri potuiſſe, quod dies 25 Decembris, juxta Calendarium tunc uſu receptum (quocumque demùm anno, ex hodie controverſis, natus ſit Chriſtus) inciderit in diem ſextum Ægyptiaci Menſis Tybi in Anno Nabonaſſareo vago. Sicut enim varii, qui menſes Lunares Judæorum cum Romanis comparant, ſolent menſem Niſan cum Martio aut Aprili ſimpliciter comparare; ita qui Ægyptiacos menſes, à Cæſare Auguſto fixos poſt expugnatam Alexandriam, componebant cum Romanis, facilè, imò potiori jure, cum Januario compoſuerint Menſem Tybi, qui in Anno fixo Ægyptiaco ferè totus cum Januario ſemper concurrit. Cùm igitur inaudiiſſent à majoribus ſuis Chriſtum natum die ſexto aut quinto menſis Tybi (nam, ob rationem ſuprà allatam de diverſis diei initiis, utrumque verum eſſe poterat) quod illi intellexerant de menſe Ægyptiaco vago; id poſteri de menſe Romano, cùm quo Menſem ſuum Tybi componebant, acceperint, & ad Januarium tranſtulerint. Poſtea verò cùm adverterent diem ſextum Januarii (uti & quintum in Annis intercalatis) concurrere cum undecimo die Menſis Tybi fixi; attribuerint Chriſti Natalem diei 11 Tybi, & quinto aut ſexto Januarii; in ſimilibus enim facillimus eſt tranſitus ab unâ acceptione ad aliam. Hujus ſeu conjecturæ, ſeu ſuſpicionis, mihi occaſionem dedit Nicolaus Mullerus, *pag.* 74 *Iſagoges in Calendarium*; ubi tamen non rectè aſſerit Chronologos paſſim diem quintum Tybi deſignaſſe ut Chriſti Natalem; nam communiter tum Antiqui, tum Recentiores diem undecimum Tybi deſignant. Conjectura noſtra.

Aliunde hujus rei originem arceſſunt nonnulli; ab homonymiâ ſcilicet vocum Θεοφάνεια, & Ἐπιφάνεια, quæ cum *Dei Adventum*, ſeu *Apparitionem*, & *Manifeſtationem* ſignificent; cœperint primùm adhiberi ad Baptiſmum Chriſti deſignandum, qui tunc à Patre æterno palàm declaratus eſt *filius* ejus *dilectus*, *in quo ſibi benè complacebat*. Poſtea verò, quòd eædem voces Chriſti nobis per Nativitatem apparentis manifeſtationi convenirent; ad hanc etiam ſignificandam adhibitæ ſint. Denique cùm de Baptiſmo die ſexto Januarii ſuſcepto minùs vulgò dubitaretur; tam hujus, quàm Nativitatis ſolemnitas in illum diem conjecta fuerit; indeque paſſim in Oriente creditum, myſterium utrumque in diem quintum ſextúmve Januarii incidiſſe. Huic conjecturæ, uti & præcedenti, deferet unuſquiſque, me lubente volente, quantum viſum fuerit. Aliorum conjectura.

CAPUT TRIGESIMUM-QUINTUM.

Solvuntur nonnullæ objectiones, quæ à variis formantur contra Mensem Decembrem, ejusq; diem 25.

Objectio prima.

PRima *Objectio* est Orientalium, qui Chrysostomo Romanum & totius Occidentis morem inducere in Orientem satagenti opponebant: *Hic* (in Oriente) *Christus natus est. An ergò magis illi* (Romani) *sciunt* (quo mense & die natus sit) *qui longè* (à loco Nativitatis Christi habitant) *quàm isti* (Palæstini, Ægyptii, Syri) *qui propè sunt?*

Responsio Chrysostomi.

Respondet Chrysostomus, *Homiliâ de Nativitate Domini*, Occidentales id, quod est in quæstione, didicisse ab Apostolis, quos Judæi ex Palæstinâ ejecerant. In eâ Provinciâ, mox à Christi in cœlum Ascensione excitatam fuisse in Christianos persecutionem, & istic usque ad postremam Hierosolymæ destructionem semper viguisse bella; alibi pacem. Postea omnes tam Judæos, quàm Christianos à Vespasiano primùm ac Tito, deinde ab Hadriano ex Judæâ ejectos esse, inductamque in eâ solitudinem; ideoque non potuisse istic certi quidpiam haberi de die Christi Natali. *Magis itaque*, inquit, *Traditio ibi* (in Occidente) *debuit servari; quàm hic* (in Oriente) *ubi discordia* semper fuit, primis Ecclesiæ temporibus. Subdit: *Non sunt nostra, quæ loquimur; Majorum sententia est. Universus Mundus contra hujus Provinciæ* (Syriæ seu Palæstinæ) *opinionem loquitur.* Alibi, ut suprà dicebamus, respondet diem illum ex Censoriis Quirinii Tabulis innotuisse Romanis, & per hos Orientalibus à paucis annis: quæ responsio haud paulò solidior est, & magis animos inquietos sedare poterat. Vide Augustinum, *Epist.* 118, *quæ est ad Januarium*, ubi ait, ea quæ non scripta, sed tradita, toto terrarum Orbe observantur; intelligi commendata atque statuta, vel ab Apostolis, vel à Plenariis Conciliis.

Hospiniani cõmentum.

Ex his patet, quàm ridiculus sit Hospinianus, dum ait primos Christianos ideò Nativitatis Christi festum olim sub exitum Decembris celebrâsse; ut Ethnicorum Saturnalia in eumdem mensem jam adultum incidentia abolerent. Quasi verò Romæ fœdiora alia aliis mensibus defuerint, quæ inductâ Natalis Christi solemnitate abolerentur. Præterquàm quòd festum Natalis non in dies Saturnalium incurrerit; sed eos omnes secutum fuerit: ut constat ex Kalendariis Romanis vetustissimis hodieque extantibus.

Objectio 2.

Secunda est Scaligeri, qui ex ordine Ephemeriarum Sacerdotum in Templo Hierosolymitano ministrantium demonstrâsse se credit, Christum sub finem Septembris nasci debuisse; quod & amplectitur Calvisius, *cap.* 48 *Isagoges*, & ex Catholicis Vecchiettus.

rejecta suprà.

Sed prætensa illa Scaligeri demonstratio nihil aliud est, quàm Paralogismus nixus falsâ Hypothesi de Christo nato Anno Juliano 43. Imò clarè ostendimus suprà *cap.* 31, ordinem Classium Sacerdotalium, quo nititur Scaliger, optimè, juxta nostram Chronologiam, convenire cum Natali Christi affixo diei 25 Decembris,

cembris, indeque opinionem nostram meritò confirmavimus.

Tertia: Opinio Ecclesiæ Romanæ inde ortum habuit, quòd censuerint Antiqui Patres, Zachariam, Joannis Baptistæ parentem, summum Pontificem fuisse, eique à Gabriele prænuntiatam prolem die decimâ Mensis Tisri, quâ solâ, intra totius anni decursum, ingrediebatur Pontifex in Sancta Sanctorum; prout pluribus Homiliis disertè affirmat Chrysostomus, & plures è Sanctis Patribus. Subruto autem illo fundamento, quod falsum esse jam constat, quidquid nonnulli hodieque reluctentur; necesse est & alia illi inædificata corruere. Ita Scaliger & Calvisius, quorum posterior sibi persuadet id ab aliquo sciolo introductum fuisse. Objectio 3.

Respondeo sensum Ecclesiæ illâ ratiocinatione non niti; sed, ut suprà declaratum est, tum Traditione ab Apostolis acceptâ, tum Tabulis Census Christo nascente acti. Quod si aliqui è Sanctis Patribus, ut Ecclesiæ usum aliunde stabilitum novis rationibus firmarent, etiam argumentum illud adhibuerint, petitum à summo Zachariæ Sacerdotio, ejusque solemni ingressu in adytum Templi; non debet id fraudi esse veritati: quandoquidem, ut docet Aristoteles *in Analyticis*, etiam ex falsis possit verum elici; quamvis ex veris non possit vicissim elici falsum per legitimum Syllogismum. Solutio.

Quarta: Census, in quem relatus est Christus, non potuit commodè per hyemem haberi; potuit autem commodissimè tempore verno, vel Autumnali. Ita Wolphius, Hospinianus, Calvisius, & similes. Objectio 4.

Respondeo non totum Censum fuisse hyeme peractum (nec enim tam arduum negotium intra paucos menses confici potuit) sed vero-similiter Vere præcedente fuisse inchoatum; cumque non posset sine incommodo interrumpi (reditum in Italiam parante Saturnino hactenus Syriæ Præside, suffectoque illi Quintilio Varo, qui jam aut in Palæstinam appulerat, aut ab illâ proximè aberat) fuerit per hyemem continuatus; Romanis Censitoribus sua commoda facilè anteponentibus commodis Judæorum. Et fortassis hyems eo anno siccior vias duraverit, & ex eâ parte minùs molestas reddiderit. Solutio.

Quinta: Nascente Christo Pastores ovium *custodiebant vigilias noctis super gregem suum*, teste Lucâ, *cap.* 2, *v.* 8. Quis autem credat eos rigente hyeme in agris cum suis gregibus pernoctâsse? Verno igitur aut Autumnali tempore id contigisse dicendum est. Ita Beroaldus, Scaliger, Calvisius, Temporarius, Hospinianus, Wolphius, aliique horum Symmystæ. Objectio 5.

Respondeo valdè imperitos rerum videri eos, qui talia audent objicere. Scaligero ejusque sequacibus oppono Casaubonum, summum illum Scaligeri encomiasten. Asserit autem hic, *Exercit.* 2, *ad Annum Christi primum*, *n.* 14, *In Angliâ armenta saltem, toto anno in agro pernoctare, neque propter frigus, aut pluviam, aut ventos, ulli tecto unquam subire.* Et mox concludit: *Quare vetusta traditio Ecclesiæ* (de Christo nato die 25 Decembris) *non temerè nobis rejicienda.* Acriùs etiam loquitur Langius, dum *lib.* 2 *de Annis Christi*, *Parte* 2, *cap.* 2. *extremo*, scribit suprà allatum Scaligeri argumentum *ne hilum quidem esse*; subditque: *Sanè in Daniâ meâ oves totâ hyeme in agris degunt, nisi terra ita penitùs nive tecta sit; ut nihil pabuli extra villas habere possint. At quid Judæa* Solutio.

 ad

altiùs supra nubes aliquando evolasse. De me profitebor, nulli jam à pluribus annis labori pepercisse, ut in tam nobili argumento verum eruerem; &, si aliud nihil, hoc saltem esse me consecutum, ut in eâ sententiâ, quam amplector, penitùs acquiescam; planéque mihi persuadeam falsum esse non posse, quod tot verissimis pronuntiatis, tam solidè stabilitis, tam indivulsè inter se connexis, tam inaniter hactenus oppugnatis, innititur. Aliis, non dubito, longè aliter videbitur. Nimirum ita sunt humana omnia, in quibus & *Velle*, & sentire *suum cuique est*; & ut *voto non uno vivitur*; ita nec judicio. Spero tamen fore, ut si semotis præjudiciis ratiunculisque popularibus, maturo judicio per otium expendantur, quæ, paulò fortassis expliçatiùs quàm hactenus factum sit, totâ hac Quæstione proposui; deprehendant cordati & harum rerum intelligentes Lectores, quàm non de nihilo huic parti inhærendum putarim. Spem hanc meam firmat, quòd videam doctissimos viros paulatim oculos aperire, & præcipuos quosque Chronologos hujus temporis, omnibus æquâ lance libratis, ab opinione quam tuendam suscepi, alienos non esse; quosdam etiam apertè illam profiteri. Ut fortè non ex vano conjicere liceat, futurum hîc etiam locum Horatiano illi dicto: Spes progressum opinionis nostræ. Opinionum vices.

Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadent'q;
Quæ nunc sunt in honore.

Rectè Plinius, *lib.* 17 *Hist. Nat. cap.* 4: *Mutantur sæpe judicata quoque, ac diu comperta*; quod præsertim quadrat in problemata Chronologica, quorum neutra pars seu Ecclesiæ judicio, seu eruditorum omnium consensu, transiit in rem judicatam.

Lentiores initio fuisse hujus opinionis progressus, mirum esse non debet. Nempe semper verum erit tritum illud: Cur tam lenti fuerint hujus opinionis progressus.

Dediscit animus ægrè, quod didicit diu;

& nunquam non erit difficile Oratori dicere apud præoccupatos. Deinde quotus quisque eâ, quâ par esset, seu patientiâ, seu accuratione, in Quæstionem hanc innumeris difficultatibus implexam incumbit? Robusto sanè stomacho est opus ad eas exsorbendas, delicato præsertim hoc sæculo, ne dicam fastidioso ac nauseabundo, quo (ut aliâ occasione post Plinium loquitur Hieronymus, *Præfatione in lib. Paralipomenon, ad Domnionem & Rogatianum*) *optima quæque malunt contemnere plerique, quàm discere*. Præterquàm quod Deckerianæ Sententiæ progressibus & incrementis ita aliquamdiu obstiterit Vir maximus, qui tunc, ob recenter editos Annales Ecclesiasticos, authoritatis arcem tenebat; ut eam pænè in cunis suffocarit: & fortè suffocasset; nisi subsidio in tempore venisset doctissimus Kepplerus, omnibus ad eam rem præsidiis instructissimus.

Tam diu hoc arcanum latere potuisse (si quidem veritate nitatur) nonnullis incredibile videtur: mihi verò minimè. Tardè eruuntur, quæ altè jacent. Semper verum fuit, potuitque quavis ætate de qualibet implexâ & arduâ controversiâ usurpari illud Senecæ velut vaticinium, *lib.* 7. *Quæstionum Naturalium, cap.* 25: *Veniet tempus, quo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Ad inquisitionem tantorum, ætas una non sufficit. . . . . . Itaque per successiones istas longas explicabuntur. Veniet tempus, quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur.* Eodem spectant quæ scribit *ejusdem libri cap.* 31: Tempus & multorum labor multa latentia proferunt in lucem.

Multa

Multa venientis ævi populus ignota nobis sciet; multa sæculis tunc futuris, cùm memoria nostri exoleverit, reservabuntur. . . . . . Quemadmodum *rerum natura, sacra sua non simul tradit*; ita nec Doctrina sacra. *Initiatos nos credimus; in vestibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiscuè nec omnibus patent: reducta, & in interiore sacrario clausa sunt: ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ post nos subibit, aspiciet. Quando ergo ista in notitiam nostram perducentur? Tardè magna proveniunt; utique si labor cessat*; aut si alio, quàm oporteret, modò ea quis excolat.

Pacifica conclusio. Finem toti huic Diatribæ impono pacificis verbis Chrysostomi de simili controversiâ agentis, *Homiliâ de Natali Christi: Non damnamus aliorum opinionem; nostram sequimur doctrinam. Unusquisque in suo sensu abundat: & forsitan revelabit unicuique Dominus. Et illi qui tunc* (die sexto Januarii) *dicunt Nasci Salvatorem, & nos qui hodie* (25 Decembris) *dicimus nasci, unum Dominum colimus, unum Infantulum. Sed videamus quia magis rationabilius* (fortè legendum, *rationabilis*) *ratio nostra non reprehendit* (seu, damnat) *alios; sed nos probat.*



R.P. MICHA-

R. P.

MICHAELIS SENESCHALLI
E SOCIETATE JESU,

QVÆSTIO SECVNDA.
De anno, menſe, die, Chriſti baptizati.

CAPUT PRIMUM.
Quinam ſenſerint Chriſtum baptiſmum ſuſcepiſſe ante Annum 28 Æra Vulgaris.



IDERI non nemini primâ fronte poſſit, vix de Anno Baptiſmi hujus relictum eſſe dubitandi locum; ex quo illum S. Lucas tam arctis, quantùm apparet, limitibus circumſcripſit, *capite* 3, ſignato *Anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris.* Et verò plerique, qui ſolo rerum cortice contenti, in difficultatum adyta non penetrant ſeſe, facillimè hinc ſe expediunt: at qui eas penitiùs introſpiciunt, fatentur vel inviti ſuas huic etiam quæſtioni ineſſe ambiguitates, nec leves. Hoc ipſum ſatis ſuperque declarat opinionum ſuper eâ re diverſitas orta non ex uno capite, prout ex poſtea dicendis perſpicuum fiet: neque negari poteſt, earum nonnullis ſuam eſſe veri ſpeciem ac probabilitatem. Aliud certè expectari non debuit à ſummâ ſententiarum varietate circa Chriſti Natalem, quàm ſuprà, *Quæſt.* 1, expoſuimus; quandoquidem Natalis à Baptiſmo nonniſi triginta circiter annorum intervallo disjungi poſſit: ut proinde neceſſe ſit in hunc redundare immane illud diſſidium, quod illìc reperitur. Accedit quod etiam inter eos, qui de Natali conſentiunt, non continuò de Baptiſmo conveniat; idque multiplici ex causâ, quæ poſtea commodiùs explicabitur. Etiam circa Baptiſmum variant opiniones; & cur?

Cæterùm etſi de Baptiſmi anno non parum diſcrepent judicia; ferè tamen præcipui quique Scriptorum de Anno Dionyſiano 28, aut 29, aut 30, litem movent. In horum recenſendis opinionibus eamdem adhibebimus methodum, quam ſuprà, *Quæſt.* 1; ſed minùs operoſè quoad pleroſque: quando jam earum fundamenta ſunt ibidem rejecta, & patens quarumdam falſitas indicata. non tamen adeo inter pleroſque.

Et ut ab iis initium ducamus quæ Baptiſmo annum aliquem vigeſimo octavo Dionyſiano priorem aſſignant, non eſt quod hîc illas nullius pretii ſententias refricemus ſeu Judæorum, ſeu Antonii Dulciati, ſeu Sigeberti, Mariani Scoti, Matthæi Paris, & Foroſempronienſis, quas *Quæſtione illâ* 1, *cap.* 2, expoſuimus. Sicut enim hæ, quoad Natalem, nimis enormiter aberrant à vero: ita & quoad Abſurdiorũ opinionum recenſio omiſſa.

Q Annum

Annum Baptismi non possunt non vehementer aberrare; ideoque exactiorem non merentur discussionem. Neque multùm ab his sejungenda est opinio Frederici Braubomi, *apud Contzen in cap. 2 Lucæ*, quâ Baptismus Christi (ex causis infrà, *cap. 5*, indicandis) conjicitur in annum 18 Æræ Vulgaris, qui est à morte Augusti quartus.

Capellus pro Anno Vulg. 26. Pro Anno Vulgari 26 operosè decertat Cappellus, *Dissertat. de Cœnâ Christi supremâ, cap. 5, pag.* 128, cum quo tamen Anno, *pag.* 131, imperitè jungit Annum 3 & 4 Olympiadis 201; cùm sit primus & secundus: item Annum Nabonassari 775 & 776; cùm sit 773 & 774. Hujus quoque rationes paulò pòst proferemus & discutiemus: præcipua autem quæ illum eò adigit, est, ut cum pluribus Antiquis Passionem conferre possit in Annum Vulgarem 29, & Geminorum Consulatum, retentâ tamen triennali Christi Prædicatione, quam Veteres illi non admittebant.

Victorius & Prosper pro Anno Vulg. 27. Ad 27 Annum Vulgarem pertinent Victorius Aquitanus, & Prosper, qui (ut ostensuri sumus *Quæst. 3, cap. 2*) Passionem consignant Anno 28; vulgóque, & meritò creduntur annum unicum Christi Prædicationi concessisse, ex recepto tunc apud plures sensu. Huic assertioni firmandæ specialiter conducit, quod ait Prosper, Christum passum Anno Tiberii 15; utique exeunte: adeoque censet eodem ineunte Baptizatum; cùm annus ille 15, stante Evangelii veritate, anteverti non possit. Eamdem ob causam eidem anno accensendus erit Hegesippus & quidam alii, de quibus *Quæst. 3, cap. 2*, si Passionem tribuerint Anno 28 Vulg. Cùm his quoad annum Baptismi sentire videtur, licet in aliis dissentiat, Jacobus Usserius, *Tom. 2 Annalium*.

forte Hegesippus, & alii. Usserius.

CAPUT SECUNDUM.

Quinam Baptismum referant ad Annum Vulgarem 28.

Cur accuratiùs hic agatur de Anno 28. Vulg. CUM aut hunc annum ineuntem, aut proximè præcedentem exeuntem (quæ duo morali consideratione in unum confundi possunt) simus postea amplexuri; operæ pretium erit ejus patronos paulò accuratiùs à nobis proferri, stabilitâ eorum mente: ut hinc nostræ opinioni authoritas accrescat; planumque fiat quâ ratione Veteres Annum Tiberii 15, adeoque & reliquos, supputarint.

Pro eo Clemens Alex. Satis apertè pro hoc anno stat Clemens Alexandrinus, *lib.* 1 *Stromat.* dum Baptismum tribuit Anno Tiberii 15, cùm Christus esset annorum 30; inchoatorum scilicet: nam universim vitæ Christi annos dumtaxat triginta deputat (completos nempe, & neglectis pauculis mensibus ultrà excurrentibus) annum autem unicum Prædicationi. Cùm igitur (ut *Quæst.* 1, *cap.* 5, docuimus) divinum Natalem in affectum Novembrem Anni Juliani 43 conjecerit; significetque Baptismum incidisse in medium circiter Mensem Tybi, seu ineuntem Januarium (qui fuit speciatim Ægyptiorum communissimus sensus) dicendus omnino erit Baptismum affixisse ineunti Anno Vulgari 28, dum jam Christus per duos circiter menses annum ætatis tricesimum inchoasset.

Prorsus paria cum Clemente facere existimo Tertullianum, *lib.* 1 *adversus Judæos*, *cap.* 8. Sicut enim (ut *Quæst.* 1, *cap.* 5, declaravimus) Clementi quoad annum Christi nati consentit; ita eo loco etiam quoad Annum Passionis incidentem in *decimum quintum Imperii Tiberii*, *Consulesq; Geminos* (seu Annum Vulgarem 29) dum Christus *haberet annos quasi triginta*. Præcedenti igitur anno Baptizatum censuit; quo utique etiam numerabatur annus 15 Tiberii; ante quem nimirum Vir tantæ eruditionis non potuit credidisse Christum Baptismo fuisse tinctum; cùm id Evangelio Lucæ nimis apertè adversetur. Quod unicum prædicationi Christi annum concessisse dicatur, non est illi peculiare; sed, ut jam dicebam, cum pluribus aliis commune. Hinc facilè emendabis quod in Tertulliani *libro* 1 *contra Marcionem* legitur, *dominum à XII anno Tiberii Cæsaris revelatum esse*; in Baptismo scilicet. Quæ verba Pamelius, *in suis ad Tertullianum Prolegomenis*, *Paradoxo* 14, *& alibi*, non tantùm ut apertum errorem Evangelio repugnantem exagitat; sed etiam inde elicit Christum, Tertulliani judicio, solidum triennium Prædicationi impendisse. Est haud dubiè compertus error, si ita scripsit Tertullianus: sed cùm minimâ mutatione XV in XII, quæ in oscitantem Librarium facillimè cadat, liberari possit Vir tantus à tam turpi notâ; planè existimo hac in eum benignitate utendum. Certè cùm Pamelius eodem libro, in verbis, quæ suprà allegata immediatè præcedunt, numerum alium alio substituto correxerit; *etsi* (ut fatetur) *refragantibus omnibus Codicibus*; poterat hîc quoque eâdem benignitate uti erga Authorem quem illustrandum susceperat. In hunc etiam annum concurrere videtur Anonymus Scriptor sub Alexandro Severo, de quo aliàs. Nam cum Clemente & Tertulliano triginta tantùm vitæ annos largitur Christo; & ejus Mortem Anno Vulgari 29 contigisse censet; ut infrà dicetur *Quæst.* 3, *cap.* 3.

Tertullianus — emendatur. — Anonymus sub Alexandro Severo.

Reperiri hodieque nonnullos qui Eusebium Cæsariensem pro anno 30 Dionysiano, Tiberii 16, allegare audeant, tam mihi mirum videtur, quàm quod maximè: adeò luculentè Scriptor ille Christi Baptismum & Prædicationis exinde secutæ initium refert ad annum Tiberii 15, & Vulgarem 28. Hic est cardo totius Chronologiæ ejus, circa quem omnes anteriores posterioresque anni volvuntur. Hic est lapis Lydius, ad quem ipse Eusebius præcipuas suas Epochas sæpiùs explorat: nec ullus est annus in toto ejus Chronico aliisque Operibus, de quo magis constet.

Eusebius apertè.

Et quidem, quod ad Tiberii annum 15 attinet, res evidens est, *ex lib.* 1 *Hist. Eccl. cap.* 10; *Cùm* (inquit) *Tiberius Cæsar decimum quintum Imperii sui annum, & Pontius Pilatus quartum Præfecturæ suæ ageret* (missus in Judæam fuit Anno Imperii Tiberii 12, ut ibidem narrat, *cap.* 9.) . . . . . *Servator & Dominus noster Jesus Christus Dei*, *incipiens esse quasi annorum triginta* (quod exactè respondet Anno Natalis Christi Juliano 44 ineunti, ex mente Eusebii explicatâ suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 6) *ad Joannis Baptisma venit*; *eodemq; tempore prædicandi Evangelii initium fecit*. Quid clarius dici potuit? Similiter *in Chronico*, *ad Annum Tiberii* 15: *Joannes* (inquit) *filius Zachariæ in deserto juxta Jordanem fluvium prædicans*, *Christum Filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoque Dominus Jesus Christus hinc* (id est ab hoc anno inclusivè, ut patet ex verbis

Probatur ex Anno 15 Tiberii Eusebiano.

paulò antè recitatis) *in populos salutarem viam annuntiat.* Item *in Præfatione Chronici: A Dario* (seu ab anno 2 Darii, quo censet Templum Hierosolymitarum instaurari cœpisse) *usque ad prædicationem Domini nostri Jesu Christi, & usque ad 15 annum Tiberii Principis Romanorum* (en iterum conjungit annum hunc 15 cum prædicatione) *explentur anni* 548: quæ postrema verba paulò magis statim explicabuntur. Consentit & Chronicon Græcum Eusebii à Scaligero editum: τῷ ιέ ἔτει τοῦ Τιβερίου βαπτίζεται ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. *Anno 15 Tiberii Baptizatur Dominus noster Jesus Christus.* Ibi tamen fallit & fallitur Scaliger, dum ex suo judicio, & contra apertissimam Eusebii mentem, illi anno 15 Tiberii jungit & Geminos Consules, & annum 1 Olympiadis 202; cùm jungere debuerit Consules Silanum & Nervam, ac Olympiadis 201 annum 4, si Operis à se editi sinceritati consultum voluisset. Firmat hanc lectionem Epitome Græca Chronologiæ Eusebianæ à Petavio edita cum Nicephori Breviario Historico, ubi asseritur Christus *anno 15 Tiberii Baptizatus.* Firmant & plurimi tum Græci, tum Latini, qui Eusebium secuti, in annum Tiberii 15 magno consensu concurrunt quoad Baptismum; nulla ut eâ de rè subesse possit dubitatio. Vide & Codicum consensum in Notis Pontaci, *pag.* 549.

Annus Tiberii 15 est, ex Eusebii mente, 28 Vulgaris.

Superest nunc ut probemus annum illum 15 Tiberii Eusebianum esse Vulgarem 28. Patet autem id *primò* ex Anno Abrahæ 2044 ad annum illum 15 Tiberii adscripto in Chronico Eusebii; quem confirmat tum Præfatio; tum tota structura ejusdem Chronici; tum consensus Codicum, imò & editio Latina Scaligeri; qui proinde manifestè errat, dum in Chronici editione Græcâ, quam arbitratu suo interpolavit, annum 15 Tiberii comparat cum anno Abrahæ 2045. Ex dictis autem *in nostris Prolegomenis, Lemmate* 7, si ad Annum Abrahæ 2044 addideris annos 2697; exsurget correspondens annus Per. Jul. 4741, idemque Vulgaris 28. *Secundò* ex Natali Christi, quem (juxta dicta suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 6) tribuit Eusebius anno Juliano 44 ineunti. Si enim anno suo 30 ineunte Baptizatus est Christus (ut *lib.* 1 *Hist. Eccl. cap.* 10 *cit.* significat Eusebius) confecta res est pro Anno Jul. 73; adeoque & pro anno 28 Dionysiano. *Tertiò* ex anno Mortis Christi, quem *infrà*, *Quæst.* 3, *cap.* 4, *parag.* 2, validè ostendemus esse, ex Eusebii sententiâ, Dionysianum 31, & Tiberii 18. Nam cùm Christus, eodem Eusebio teste, *lib.* 8 *Demonst. Evang. pag.* 400, *Edit. Græcolat.* non toto quadriennio, sed annis dumtaxat tribus ac dimidio (præter propter, & comprehenso etiam tempore, quod à Resurrectione fluxit ad Ascensionem) prædicarit; consequens est ut Baptismus in annum 28 Vulgarem inciderit. *Quartò* ex Eusebii epilogismis ad Annum Abrahæ 2086, quo Templum Hierosolymitanum dicitur fuisse à Tito destructum, intervallo *annorum 42 à 15 Tiberii Cæsaris anno, & ab exordio Evangelicæ prædicationis.* Subductis siquidem 42 ex 2086, superest annus Abrahæ 2044; sicut subductis 42, ex 70 (quo anno Vulgari certò contigit clades illa) supersunt 28. In illis verò Eusebii verbis iterum observandum, annum Tiberii 15 componi disertè cum exordio prædicationis Christi; adeoque & cum ejus Baptismo, qui cum præcedente aliquo anno componi non potest. *Quintò, ex lib. 1 de Præparat. Evang. cap.* 9. item *ex Præfat. Chronici, & ex Chronico ipso ad Annum Abrahæ* 2044; ubi disertè scribit Eusebius, *ab anno 2 Darii*

Darii usque ad 15 Tiberii reperiri annos omnino 548. Nam (inquit *cap. 9 cit.*) *Darii annus 2 in primum Olympiadis 65, Imperii verò Tiberii decimus quintus in quartum Olympiadis* 201 (patente mendo legitur in textu tum Græco, tum Latino, 203) *incurrit. Quocirca Darium Persam inter, ac Tiberium Romanorum Imperatorem (seu annum ejus 15) 137 Olympiades intercedunt; quæ summam annorum 548 conficiunt:* comprehensis nimirum annis extremis. Annus 2 Darii & primus Olympiadis 65, incidit (calculo Eusebii, tum Latinæ editionis Pontaci, tum Græcæ Scaligeri) in annum Abrahæ 1497; atque ita, *juxta Lemma 7 cit*, in annum Per. Jul. 4194. Utrique anno adde 548 (demptâ prius, de more, unitate, ut anni extremi comprehendantur) conflabitur annus Abrahæ 2044, & Periodi Jul. 4741; & consequenter annus Vulg. 28. Porrò in verbis jam allegatis, rursum habes annum Tiberii 15 comparatum cum anno 4 Olympiadis 201; qui utique, juxta dicta *in Prolegom. Lemmate* 8, alius esse non potest, quàm Vulgaris 28. Ostendimus enim Eusebium ei anno singulos Olympiadum annos adscribere, cujus æstate hi fluere incipiunt. Vnicum hoc argumentum illis abunde sufficere deberet, qui minimam Eusebianæ methodi notitiam habent.

At enim Eusebius *in Chronico, ad Annum Abrahæ* 2047, disertè scribit, *Post decimum-quintum annum Tiberii Cæsaris tribus annis Dominum prædicâsse.* Cœpit igitur anno Tiberii 16, eodemque baptizatus est, ex mente Eusebii, Baptismum & initium Prædicationis perpetuò conjungentis. Ita recens Scriptor, qui etiam verba illa, *Anno 15 Tiberii*, in Eusebio expungendá contendit. Objectio

Imbellis aries tantæ machinæ, quantam modò ereximus, evertendæ. An non præpositio *POST* sæpissimè in Scripturis Sacris, aliisque libris, imò & in familiari sermone, ita usurpatur; ut tempus, cui adjungitur, non excludat? An non, cum proportione, eadem est ratio præpositionis *ANTE*; adeò ut si quid gestum dicatur ante diem decimum Calendas Apriles; idem sit, ac si diceretur, die 10 Calendas; ut patet *ex L.* 132, *ff. de Verborum obligat.* ubi legitur, quòd *ante Calendas proximas*, nihil differat *à Calendis*? An non dicitur Christus circumcisus, *postquam consummati sunt dies octo*; & suscitatus *post tres dies*; & ita de aliis? Omissis innumeris, unicus sufficiet Cedrenus Eusebio explicando, cujus verba transcribit, *in Cōpendio Hist. pag.* 156, *ac nominatim illa*, μετὰ τὸ ιε ἔτος Τιβερίου, *Post annum decimum-quintum Tiberii:* & tamen disertissimis verbis, eâdem prorsus paginâ, sic habet: *Regni ejus* (Tiberii) *anno 15 baptizatus est Christus, & prædicare Evangelium cœpit*; *Anno* 18 *Regni ejus crucifixus.* Post triennalem videlicet, quam & ibidem asserit, prædicationem. Eodemque modo Eusebii verba acceperunt, tum qui proximè, tum qui diu pòst, ejus Chronologiæ inhæserunt. Sed quid tot verbis opus est, cùm Eusebius ipse id, quod intendimus, perspicuè affirmet *in sui Chronici Præfatione? Quadragesimo secundo anno Imperii Augusti Christus natus est; quinto-decimo Tiberii anno prædicare orsus est?* Potéstne post hæc superesse vel minima dubitatio, junctis præsertim tot aliis, tamque patentibus testimoniis, quot paulò ante ex Eusebio congessimus? Unum hîc observari velim, nos in solo Eusebio anni 28 patrono, habere suffragatores plerosque omnes complurium sæculorum Scriptores ejus sectatores: quos proinde necesse non sit nimis operosè recensere. Solutio.

 Hiero-

Hieronymus.

Hieronymus nominatim, ut alibi passim; ita & hîc Eusebii premit vestigia. Nam in exiguâ illâ laciniâ, quam assuit illius Præfationi in Chronicon, ita loquitur: *A Tiberii 15 anno usque ad 14 annum Valentis, quo interiit, numerantur anni 351*: quod ipsum repetit in Epilogismis ad calcem sui Supplementi adjectis, in quibus etiam Christi prædicatio jungitur cum anno 15 Tiberii. Interiit Valens anno Dionysiano 378, die 9 Augusti; à quo ad Annum 28 ineuntem computantur anni solidi 350. Hos subtrahe ex 378; supererit Annus Vulgaris 28. Confirmantur hæc ex dictis *Quæst.* 1, *cap.* 5, ubi ostendimus Hieronymum existimâsse, Christum anno Juliano 43 exeunte natum, & tricesimo ætatis ineunte baptizatum. Hoc siquidem dato, necesse est omninò, ut Baptismus in Annum 28 Vulgarem, Julianum 73 incurrerit. Nec ab his abludit, quod scribit, *Epistolâ 22 in fine: Usque ad triginta annos* (inchoatos) *ignobilis, parentum paupertate contentus est*: quin etiam assertionem nostram stabilit.

Chrysostomus.

Chrysostomus quoque palàm Eusebium affectatur, *Homiliâ in illud, Exiit edictum à Cæsare Augusto, To. 6 Operum ejus Editionis Græco-Lat.* Ibi siquidem & anno 15 Tiberii baptizatum Christum, & 18 crucifixum scribit, post triennalem prædicationem; congruitque ætas annorum triginta (inchoatorum scilicet) quam tempore Baptismi attigisse Christum memorat. Vide dicta suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 5, de mente Chrysostomi.

Lactantius.

Severus Sulpitius, & alii Antiqui.

Eadem sententia sedisse videtur Lactantio, *lib.* 4 *Institut. cap.* 10, quo Mortem Christi Geminis Consulibus, post unius dumtaxat anni Prædicationem, contigisse affirmat. Idemque dicendum de Severo Sulpitio, aliisque Antiquis, Passionem Anno 29 Vulgari adscribentibus, de quibus infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 3.

Cassiodorus.

Pro anno hoc 28 perspicuè pronuntiat Cassiodorus *in Fastis*, dum Consulibus Appio Silano, & Silio Nervæ, Christi Baptismum & exordia Prædicationis tribuit in editione Cuspiniani. Et quamvis id in aliis editionibus aliquot, quas vidi, non legatur; videtur tamen esse ex Authoris illius mente, congruuntque anni tum Natalis, tum Passionis ab eodem assignati.

Chronicon Alexandrinum.

Chronicon Alexandrinum tot, tamque illustribus characteribus annum hunc signat; ut nullum dubitandi locum relinquat. Ait siquidem Christum baptizatum Indictione 1, Anno Mundi 5536 (Periodi Constantinopolitanæ exeunte) die 6 Audinæi, seu Januarii (hic enim author Menses Syro-Macedonicos cum Romanis absolutè componit) dum anni ætatis suæ tricesimi primi diem numeraret decimum-tertium (ostendimus autem suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 4, Christum ex hujus Chronologi sententiâ natum anno Juliano 42 desinente) item dum annus Mundi 5537 die 21 Martii proximè secuturi initurus esset cum Cyclo Solis (Constantinopolitano) 21, Lunæ 8; Luna autem 14 Paschalis futura esset die 27 (malè in textu Græco & Latino habetur 17) ejusdem Mensis, & Feriâ 7, seu Sabbatho; quæ omnes irrefragabiles notæ sunt Anni 28 Vulgaris. Addit quidem susceptum à Christo Baptismum *Feriâ quintâ*; cùm tamen Cyclus Solis *tertiam* certò exigat. Sed novum non est ut hic Author in supputandis Feriis hallucinetur: qui error tot aliis characteribus summè consentientibus prævalere non debet.

Par

Par certitudo est de Cedreno, qui totidem ferè verbis Chronographum Alexandrinum transcripsit; unde & ad eumdem *Feriæ quintæ* lapidem offendit. Ex quibus colliges à Cedreni mente aberrare Scaligerum, *lib. 7 de Emendat. Temp.* uti & Petavium *lib. 8 Auctarii cap. 6.* Hippolytus Thebanus Cedreno antiquior, sicut eamdem cum hoc & Chronologo Alexandrino rationem temporum amplectitur quoad Christi Natalem & Mortem; ita & procul dubio quoad Baptismum, quem susceptum scribit, dum natus esset annos 30 (completos scilicet), exinde autem subsecutam triennalem Prædicationem, ac denique Mortem die 23 Martii: qui postremus character aliis junctus dubitare nos non finit, quin eo loco Christum anno Dionysiano 28 baptizatum senserit. Neque ab his abit Nicephorus Callistus, licèt annum Baptismi non exprimat. Mens enim ejus vel inde satis elicitur, quòd cum iisdem sentiat, tum quoad annum Natalis ac Passionis; tum quoad triennalem Prædicationem, ac ætatem annorum 33; completorum scilicet, prout ex totâ ejus Historiâ fit manifestum. Cedrenus. Hippolytus Thebanus. Nicephorus Callistus.

Consentit etiam, ex mediâ vetustate, Abbas Urspergensis, *in Chronico*, attentâ totâ structurâ annorum ejus. Item Marianus Scotus, *in Chronico*, ubi (omissâ suâ opinione, de quâ suprà *Quæst. 1, cap. 2*) ex Eusebianâ & communi sententiâ, Christi Baptismo deputat Consules Appium Sillanum, & P. Silvium, seu Silium Nervam. Martinus item Polonus, *in suis Supputationibus*, ubi apertè Eusebii vestigiis insistit; uti & Hermannus Contractus *in Chronico*, Otto Frisingensis *lib. 3 Chronici, cap. 11.* Urspergēsis Marianus Scotus, Martinus Polonus, Herman. Contract. Frisingēsis.

E Recentioribus, eamdem opinionem sectantur David Chytræus, *in Indice Historiæ Thucydidis*; Joannes Laziardus, *in Epitome Historiæ Univers. lib. 2, cap. 4 collato cum capite 20.* Funccius, *in Chronol. ad annum Mundi* 3992: ubi tamen observandum est, ab eo omitti Consulatum Caii Cæsaris & Æmilii Probi anno Juliano 46 congruentem: ex quo fit ut ad annum unum ab eo accéleretur mors Augusti, & Imperatoria potestas Tiberii. Deckerius, *Velificationis Parte 2, Thesi 1.* Tirinus, *Chronici sacri cap. 47, 48, 49.* Bucherius, *lib. 4 Belgii, cap. 2.* His etiam accensendus Gerardus Joannes Vossius, *Dissert. de Annis Christi, Thesi 3, 4, 5*; ubi unicum annum ac tres menses interjicit inter Baptismum ac Passionem, quam affigit anno Dionysiano 29. Videri possit paulò aliter loqui, *Dissert. de Anno Natali, Thesi 35, & 36*: sed in Authore passim vacillante id maximè attendendum videtur, quod maximè & magis constanter probat. Chytræus, Laziardus, Funccius, Deckerius, Tirinus, Bucherius, Vossius. Epiphanius.

Huc usque consultò dilatus est Epiphanius. Quamvis enim etiam in hunc annum conspiret; tamen non illi ineunti; sed pœnè exspiranti, diei nimirum 8 Novembris, Baptismum attribuit, *Hæresi 51, num. 24*, adscriptis Consulibus legitimis Silano & Nervâ, ac die 7 Mensis Marchesuan, pro quo reponendus videtur *Casleu*: quia Marchesuan (regulariter loquendo) nunquam initium suum habet in Novembri; sed in Octobri aut Septembri, juxta formam Calendarii Judaici ab Epiphanio descriptam. Vide Petavii *Animadversiones in illum locum, nominatim pag. 141*; item Bucherium *in Canonem Victorii, pag. 400, & in Tractatu de Paschali Judæorum Cyclo.* Epiphanio eatenus subscribit Kepplerus, *in Eclogis Chronol. pag. 68, & 72*, quatenus dicit pro Baptismo suscepto hoc anno 28 vulgari, ac die 5 Novembris, stare rationem. Quod verò subdit pro die 6 Januarii Kepplerus.

Januarii sequentis stare authoritatem; non ita crudè pronuntiâsset, si nostra hæc vidisset, quibus ostendimus authoritatem Antiquorum, & plerorumque & præcipuorum, facere pro hoc anno; vix ullum pro sequente.

CAPUT TERTIUM.

Quinam Christum Anno 29, vel 30 Vulgari baptizatum velint.

Vix ulli Antiqui.

TAnta est pro duobus hisce annis Antiquorum Scriptorum solitudo, ut reipsâ plurimùm aberrent à vero Recentiores nonnulli, qui pro horum annorum alterutro Antiquitatis testimonium jactant; dum non satis intelligunt quâ ratione annos Tiberii supputârint Veteres, ac nominatim decimum-quintum. En ex Antiquis pauculos, quos aliquâ veri specie pro altero illorum annorum proferri posse comperi.

Pro Anno 29. Apollinarius Laodicenus. Fl. Dexter.

Anno 29 favere omninò videtur Apollinarius Laodicenus, *apud Hieronymum in cap.* 9 *Danielis*, ubi Christi Evangelismum ad binos dumtaxat annos extendit. Cùm verò (ut ostensuri sumus *Quæst.* 3, *cap.* 4, *Parag.* 3) Passionem alligârit anno Vulgari 31; dicendus erit credidisse, Christum incunte anno 29 baptizatum. Suffragatur & Flavius Dexter; si tamen sincerus sit ejus textus. Scribit enim Christum natum Lentulo & Messalâ Coss. hoc est, anno Juliano 43; & prædicare cœpisse anno ætatis suæ 31, qui in annum Julianum 74, Vulgarem 29, incurrit.

Onuphrius, Tẽporarius, Scaliger, Calvisius, Buntingus, Bucholcer, Christmãns Suares, Sigonius, Baronius, Torniellus, Contius, Mariana, Haræus, Philippæus, Samerius, Salianus, Gordonus, Petavius, Occo, Cornelius à Lapide, Langius, Malbranc, I. Cappellus.

E Recentioribus in hunc annum conveniunt Onuphrius, *lib.* 2 *in Fastos*, Temporarius, *lib.* 2 *Chronol. Demonst. pag.* 165, *&* 166, ut patet ex toto ejus discursu. Fallitur tamen dum ait, Pleni-Lunium Paschale eo anno contigisse die 29 Martii; hoc enim præcedenti anno 28 Vulgari congruit; non 29, quo Paschatis Pleni-Lunium Astronomicum incidit in 17 Aprilis. Eidem Anno calculum suum dat Scaliger, *lib.* 6 *Emendat. Temp. pag.* 516, *& seqq. editionis secundæ*, dum asserit Christum Baptizatum Cyclo Lunæ 11 (qui in annum illum 29 quadrat) ante Pascha, Geminis Coss. additque hanc esse opinionem omnium Veterum; sed, ut jam dicebamus, falsò. Eum, ut solet, sequitur Calvisius, *ad annum* 3978. Idem docet Buntingus, *in Chronologiâ Catholicâ*; ubi tamen Baptismum jungit cum die 7 Octobris, ipsoque Judaico Festo Expiationis. Bucholcerus, *in Isagoge, & Indice Chronologico*, Autumno Baptismum assignans. Christmannus, *Comment. in Alphraganum.* Suares *To.* 2 *in* 3 *P. disp.* 26, *sect.* 2. Sigonius, *Comment. in Sulpitium Severum.* Baronius, *ad annum* 31. Torniellus, *To.* 2 *Annalium.* Antonius Contius, *in suis Fastis.* Mariana, *Tract. de Morte Christi, cap.* 11. Haræus, *in Concordia Hist. Sacræ ac proph. pag. ult.* Philippæus, *in Osee cap.* 4, *pag.* 751 *&* 753: sed varia pugnantia interserit. Samerius, *Chronol. Sacra Anno* 3981. Salianus, *ad Annum* 4082. Gordonus, *To.* 2 *Operis Chron. cap.* 3 *Apparatûs, & in Tabulis.* Petavius, *lib.* 13 *de Doctr. Temp. ad Annum Per. Jul.* 4742; Adolphus Occo, *libro de Numismatibus, in Summario*

Vna

Vita Tiberii, *collatis iis quæ scribit de Augusto pag.* 66 *&* 67, *edit.* 2. Cornelius à Lapide, *in Chronotaxi*: alibi tamen nonnulla habet parum his consentanea. Langius, *lib.* 2 *de Annis Christi*; *Parte* 2; *cap.* 3. Malbrancus, *Tract.* 1 *Chronolog. pag.* 758: non est tamen admodum alienus ab anno proximè sequente.

Pro Anno 30 Dionysiano patronum ex Antiquis hactenus reperi neminem, præter Julium Africanum, *in Fragmento, quod infrà*, *Quæst.* 3, *cap.* 4, *parag.* 1, *fusiùs examinabitur.* Ibi enim cùm annum unicum Baptismo ac Passioni interponat; hanc autem tribuat Anno 16 Tiberii, qui (ut eo loco declarabitur) est, ex ejus sententiâ, Vulgaris 31; debet Baptismus in annum 30 incurrisse, si Januario Mense, ex communiore sensu, fuerit à Christo susceptus. Aliquot pòst sæculis eamdem opinionem probavit Philoponus, *lib.* 2 *de Creatione Mundi*, *cap.* 21. Probavit & diu pòst Matthæus West-Monasteriensis, *in Floribus Historiarum*; sed malè orditur annos Tiberii ab Anno Dionysiano 16, & sibi non constat de ætate Christi, dum Baptizaretur; spectato ejus Natali, quem censet anno 1 Vulgari accidisse. Pro Anno 30. Jul. Africanus. Philoponus. Matt. West-monast.

Inter Recentiores, pro eodem facit Massæus, *in Chronico*, si habeatur ratio Consulum Vinicii & Cassii, & Anni 2 Olympiadis 202, per prolepsin scilicet revocati ad Calendas Januarias. Sed alia miscet prorsus asystata de Cyclis; quod illi solemne est. Facit etiam Tostatus, *Parte* 2 *defensorii*, *cap.* 11 *&* 12. Joannes Lucidus, *lib.* 7 *Emendat. Temp. cap.* 2. *& in Tabulis Annalibus*, *pag.* 113. Sed in eo errat, quod annum 15 Tiberii componat cum Vulgari 30, & mortem Augusti rejiciat in Vulgarem 15; ita ut annus 16 Vulgaris sit primus Tiberii (ad quem lapidem etiam offendit Pitatus Lucidum secutus) quod admitti nullo modò potest. Atque hinc patet quàm immeritò de correcto à se Eusebio glorietur. His adhærent Michael Beuterus, *lib.* 1 *Fastorum*, *Capite*, *de Die Passionis Christi.* Author Calendarii Apostolici, *cap.* 20, quatenus Baptismum Christi sextâ Januarii peractum deputat feriæ 6. Pererius, *Comment. in Danielem*, *lib.* 11, *Quæst.* 6, *&* 7: sed admixtis nonnullis minimè inter se congruentibus. Grandamicus, *Quæst. Evangelicâ de die supremo &c. l.* 2. *cap.* 1. Labbæus, *in Concordiâ Chronol. sub finem.* Brietius, *in Annal. Mundi*, *ad annum* 4083. Eamdem olim sententiam secutus fuerat Scaliger, *in primâ editione Operis de Emend. Temp*: sed *in secundâ*, annum 29 prætulit, de quo suprà. Massæus, Tostatus, Lucidus, Beuterus, Pitatus, Author Cal. Apost. Pererius, Grandamicus, Labbæus, Brietius.

CAPUT QUARTUM.

Qui docuerint Christum fuisse Baptizatum post annum 30 Vulgarem.

Sibi admodum hac in parte indulget Thomas Lydiatus, *in suâ Recensione*, *cap.* 17, 18, *& seqq. & in Tabulis.* Quamvis enim existimet Joannem è latebris deserti in apertum prodiisse, & Prædicationi suæ initium dedisse anno Vulg. 29, Geminis Coss. tempestate vernâ; Baptismum Christi nihilominus differt ad solidum triennium cum semestri, nempè in Autumnum anni Dionysiani 32. Eò Pro Anno 32 Lydiatus.

 scilicet

scilicet illum adigit Christi Nativitas inconsultò collata in Annum 3 Vulgarem; quo dato, annum ætatis ejus tricesimum ineuntem nancisci non potest ante annum Vulgarem 32. Partim anno 31, partim 32, aut etiam 33 suffragati fuerint, qui anno 35 aut 36 Vulgari mortem Christi consignant, de quibus infrà *Quæst.* 3, *cap.* 7: nec est operæ pretium eorum opiniones sigillatim exponere; cùm jam passim ab omnibus rejiciantur. Unicum hîc subjicio Authorem Opusculi de Argumentis Lunæ, *To.* 1 *Operum Bedæ*, qui Baptismum Christi adscribit Feriæ 2, ad diem sextam Januarii. Erat igitur Littera Dominicalis E; & (junctis iis, quæ de hoc Authore diximus *Qu.* 1, *c.* 9) annus Dionysianus 32: non consequenter.

& quidam alii.

Pro Anno 39. S. Maximus,

Græci sectatores Periodi Alexandrinæ, sicut quoad annum Nativitatis, ita & Baptismi, enormiter aberrant. Hunc enim affigunt anno suo 5530 exeunti, seu Vulgari 39 ineunti: cùm nimirum jam à biennio mortuus esset Tiberius, & Pilatus à suâ Judææ Procuratione dejectus; quod Scriptores illi non adverterunt. Ita disertissimè S. Maximus, *Parte* 1 *Computi Ecclesf. cap.* 32: *Splendidissimus* (inquit) *imò splendore quolibet major Baptismus contigit anno* 5530, *anno Solis* 14, *Lunæ* 1, *Feriâ* 3. Sunt hi indubitati characteres anni 39 Vulgaris, *juxta dicta in Prolegom. Lemmate* 4; & quoad Feriam patet ex Litterâ Dominicali D, anno illi congruente; quâ dies 6 Januarii necessariò conjicitur in Feriam illam 3.

Pseudo-Eusebius.

Eosdem prorsus characteres profert antiquus Author, quem falsò Eusebium Cæsariensem esse existimat Anastasius Nicænus, *Quæst.* 93; nisi quòd Librarius pro anno Lunæ 1, scripserit 10; mendo utique tam proclivi, quàm manifesto, si tota Periodi Alexandrinæ structura spectetur. Eadem haud dubiè sentit Georgius Syncellus, *in Chronographiâ*, *pag.* 319, licèt annum non exprimat. Insistit enim S. Maximi vestigiis quoad annos Nativitatis & Passionis Christi: ut proinde illùm minimè deseruisse censendus sit quoad annum Baptismi. Clariùs mentem suam pro eodem anno exprimit Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, *in Chronographiâ*, dum scribit, anno Tiberii 15, salutiferæ & Evangelicæ doctrinæ Dominum Nostrum JESUM-CHRISTUM initium dedisse; moxque subdit, anno Mundi 5533, Tiberii 18, salutiferam pro nobis Passionem Hierosolymis subiisse: qui annus, ex Nicephori sententiâ est Vulgaris 42; ut infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 8, dicemus. Huc quoque pertinent Annianus, Theophanes, Joël Chronographus, Nicetas Pectoratus, aliique, quorum Chronologia ad Periodum Alexandrinam est conformata.

Georgius Syncellus,

Nicephorus Const.

Annianus, Theophanes, Joël, Nicetas Pectoratus.

CONSECTARIUM.

Antiquitas nullum certum annum definit.

Favet tamē Anno 28 Vulg.

Opinionum hactenus enumeratarum diversitas satis superque declarat, quàm nihil universim aut Antiquis Patribus, aut ipsi Ecclesiæ exploratum fuerit circa annum Christi baptizati. Sed & illud perspicuum est, plerosque Veterum in annum Vulg. 28 convenisse; adeoque Antiquitatis suffragium meritò illi adscribi: contra quod cùm nihil satis efficax, aut etiam consideratione dignum proferri possit; non leve pro anno illo præjudiciū inde potest elici. Non immoror hîc singulis opinionibus huic adversantibus refellendis. Stabilito enim anno 31 Vulgari tamquam Passioni Christi consecrato (quod infrà *Quæst.* 3, præstiturus sum

ſum) ſuppoſitaque communiſſimâ ſimul ac probabiliſſimâ ſententiâ de triennali Prædicatione Baptiſmum ſtatim excipiente; fit illicò manifeſtum, hunc aut in annum 28 ineuntem, aut in 27 exeuntem debere quadrare; quæ omnia paulò fuſiùs infra explicabuntur. Quia tamen ſine flagitio non poteſt omitti accuratius examen eorum criteriorum, quæ nobis ſuggerit Evangelium Lucæ *cap.* 3, ideò ad illa ſequentibus capitibus diſcutienda me accingo; ut diſpiciam quid in illis poſſit eſſe præſidii ad annum baptizati Chriſti definiendum exactiſſimè.

CAPUT QUINTUM.

An ex Anno Tiberii decimo-quinto, de quo Lucas cap. 3, *certò definiri poſſit annus Baptiſmi Chriſti.*

ANno (inquit Evangeliſta) *quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarchâ Ituræa & Trachonitidis Regionis, & Lyſaniâ Abilinæ Tetrarchâ, ſub Principibus Sacerdotum Annâ & Caiphâ, factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto, &c. Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & JESU baptizato & orante, apertum eſt cælum*, &c. Varii characteres ex S. Lucâ.

In tam operoſâ tot characterum congerie, unus ſeſe primùm nobis offert cæteris reſtrictior, *annus* nimirum *Tiberii quintus decimus*, qui ad id quod agimus, maximè videri poſſit idoneus. Diſpiciendum igitur eſt, an ex illâ limitatiore temporis notâ ſatis apertè eruatur annus, quo Chriſtus Joanni baptizandum ſe ſtitit; prout contendunt nonnulli, qui ad pauca attendentes, ut ait Ariſtoteles, facilè pronuntiant. Primus character.

Quid enim, inquiunt, exploratius, quàm Imperii Tiberiani annos initium ſumere à die 19 Menſis Auguſti, anni Dionyſiani 14, quo Octavianus Cæſar & vitâ ſimul & Imperio defunctus eſt: ac proinde *Annum quintum-decimum Imperii Tiberii Cæſaris*, à Lucâ tam diſertè ſignatum, quo Chriſtus Baptiſmo tinctus eſt, à die 19 Menſis Auguſti, Anni Vulgaris 28, ad eumdem diem Anni inſequentis decurrere? Cùmque ex conſtanti Eccleſiæ ſenſu, inciderit Baptiſmus in diem ſextum Januarij; inciderit omninò in annum Vulgarem 29 ineuntem. Nullus enim alius eſt Januarius, qui cum quinto-decimo Tiberii Anno componi poſſit. ita illi. Ex eo argumentum quorûdam.

Verùm huic ratiocinationi ſtatim præſcribitur, id unum ex Lucâ conſtare, Joannem *quinto-decimo* illo *Tiberii anno* Prædicationem ſuam exorſum eſſe; an autem eodem anno labente Chriſtum Baptiſmo impertiverit, inde certò elici non poſſe; Eccleſiam verò rem hanc in medio relinquere Interpretum ac Chronologorum diſceptationi. Unde Suares, *Tô. 2 de Incarnat. Diſputat.* 26, *Sect.* 2, Petavius, *Lib.* 12 *de Doct. Temp. cap.* 5, aliique, licèt Baptiſmum Chriſti anno 15 Tiberii ab Auguſti morte ſupputato tribuant; nihilominus diſertè teſtantur, hoc ex Lucæ verbis non haberi; affirmatque nominatim Petavius, *neſcire nos* (ſpectato Evangeliſtæ contextu) *quantum inter initium Prædicationis Joannis, & Bapti-* Refellitur.

& Baptismum Christi, tempus intercesserit. Unde postulatum esse, non probatum, anno ipso Tiberii 15 baptizatum esse Christum. Consultò hæc protuli, ut manifestum fieret quàm immeritò dicat recens Scriptor, *se aperuisse errorum fontes, qui Petavium, aliosq; non paucos nec ignobiles viros in fraudem induxerunt*; item, *discussisse se errorem cōmunem de baptizato Christo sub Consulatu Geminorum, & Tiberii decimo-quinto anno.* Satis ex dictis patet, nec Petavium, nec alios benè multos viros doctos, ex errore illo, qui ipsis malè affingitur, adscripsisse Christi Baptismum anno Tiberii 15, & Consulatui Geminorū; sed ex aliis causis uniuscujusque Chronologiæ propriis. Quòd verò *erroris* damnetur ea opinio, quæ Baptismum illum affigit Anno Tiberii 15; minimè tolerari aut debet, aut potest. Sepositâ enim quæstione de Geminorum Consulatu (in quem soli ferè Recentiores Baptismum distulerunt) indubitatissimum est totam ferè Antiquitatem passim hæc duo simul junxisse, Baptismum Christi, & annum 15 Imperii Tiberii. Hanc autem adeò crudè, & universim, ream fieri *erroris qui aliorum fons sit*, idque tam nullo sufficienti fundamento; nescio an satis æquis auribus excepturi sint, quibus erga Sanctos Patres tot ac tantos aliquid superest venerationis. Ex aliâ parte modum etiam excedit Philippæus *Comment. in Osee cap. 4, v. 6, pag. 751*, dum asserit, tamquam *fide certissimum, baptizatum esse Christum anno ætatis suæ trigesimo, qui erat annus 15 Tiberii.* Problema illud est, non fidei dogma; seu Tiberii annum 15 spectes, seu Christi ad Baptismum accedentis ætatem.

Rejecta censura Recentis Scriptoris; item Philippæi.

Alia refutatio.

Ex illo insuper capite dubia redditur mens Lucæ, quòd nobis incompertum sit, quânam anni formâ utatur; nimirum an Judaicâ sacrâ ab ineunte Vere initium ducente; an Romanâ à Calendis Januariis; an alterâ Judæorum, ac popularium suorum Antiochenorum, toto passim Oriente receptissimâ, annos civiles supputante à principio Autumni. Ambigi etiam non immeritò potest, an Tiberii annos per Collegia Consulum, quorum Magistratu imperavit, numeret; & an partem anni primi Imperii ejus in annum civilem integrum imputet per Synecdochen aliàs satis familiarem; vel (quod in idem relabitur) an per Prolepsin privatos Tiberii annos revocet ad caput anni civilis aut sacri, seu Judaici, seu Romani, seu Antiocheni: an è contrario postremum Augusti annum imperfectum extendat, per Metalepsin, ad ejusdem finem; anno insequente plenè attributo initiis Tiberii, quod Chronologis simili in casu est usitatissimum; vel, an denique Imperii Tiberiani annos sic ab Augusti morte inchoet, ut ab eo die, ad eumdem proximè secuto anno recurrentem, computentur. Sunt hæ omnes annorum formæ ac supputationes usu tritæ; ut *Quæstione* 1, ex omni Scriptorum genere planum fecimus, & speciatim quoad annos Tiberii à variis reipsâ adhibentur. Nam, exempli causâ, modo illo Proleptico utitur Eusebius, fixo Tiberii initio in Autumno Anni 13 Vulgaris; ad cujus etiam vernum tempus Prolepsin suam extendit Author Chronici Alexandrini; ut de utroque alibi diximus. Baronius verò, aliique permulti, annum 14 Vulgarem per Metalepsin simpliciter assignant Augusto, qui eo labente mortuus est; & annum sequentem primum Tiberii numerant. Scrupulosior illa supputatio præcisè ab obitu decessoris ita nunc apud multos viget; ut ex his aliqui alias suprà enumeratas nolint admittere. Sed frustra contra stimulum calces: certior res est, quàm ut, etiam à præfractissimis, negari possit.

Cùm

Cùm hæc jam dudum scripsissem, in manus meas venit Gerardi Joannis Vossii *Dissertatio de Annis Christi*, ex quâ, quoniam ad ea, quæ modò dicebam, firmanda conducunt, nonnulla hic visum est adscribere. Ita autem habet *Dissertat. de Anno Natali*, *Thesi* 35: *Non constat unde Evangelista ordiatur Annum Tiberianum. Puta, num à* 3 (lege 14) *Kalend. Septembris, quo Tiberius cœpit imperare: an ab initio anni Civilis; quod fieri potuit trifariam: more Romano, à Kalendis Januariis; more Judaico, à mense Nisan, vel Tisri; more Antiocheno ac Syriaco, à mense Hyperberetæo, sive Octobri. Tertiam opinionem illud veri-similem facit, quòd Lucas fuit Antiochenus. Nec secunda abludit à vero, ut se accommodârit consuetudini Judaicæ. Potuit interim & morem sequi Romanorum, quibus Judæi suberant & Syri. Potuit & numerare à tempore, quo Tiberius Imperium accepit*, &c. Hactenus ille de Anni capite; at de Synecdoche, seu Prolepsi in verbis Lucæ admittendâ; ita loquitur *in Dissert. de Tempore Dominicæ Passionis, Thesi* 3: *Cùm verò quintum-decimum Tiberii Annum dicimus, numeramus annos more Romano; non Judaico, uti fecit B. Lucas; qui hunc* (annum Vulgarem 29) *vocâsset annum Tiberii sextum-decimum. Quippe Judæi, uti & Antiocheni* (*Antiochenus autem B. Lucas fuit*) *incipiunt annum à mense septimo, puta Tisri: quodq; eum mensem antecessit, præcedenti anno accensent. At Tiberius imperare cœpit mense Augusto; nimirum* 14 *Kal. Septembris. Id spatium pusillum, quod* (à die 14 Kal. Septembris) *ante Tisri fuit, habetur pro primo Tiberii anno: ac alter ejusdem* (Tiberii annus) *inchoat à mense Tisri* (initium ducente eo anno à die circiter 27 Septembris) *secundùm hunc Canona, convenientissimè etiam à doctissimo Petito adductum: Jom echad beschanah besoph schanah, chaschoub schanah. Dies unus in fine anni pro anno numeratur. Si dies unus; quantò magis aliquam multi, ut hîc fit? Nulla igitur pugna est, dum B. Lucas ait, Joannem cœpisse baptizare anno Tiberii XV, à quo tempore duo Christus celebravit Paschata: & tamen à nobis, uti & à Theologis Antiquis, dicitur mortuus anno Tiberii decimo-quinto. Nam secundùm Canona Hebræum Christus est baptizatus anno Tiberii quinto decimo, passus anno decimo-sexto. At more Romano si numeres, baptizatus est anno quarto decimo; passus decimo-quinto.* Hactenus Vossius, qui varia hîc admiscet ex peculiari suâ opinione de morte Christi oportuniùs discutienda postea; ut interim dissimulem illud *de more Romano*, minùs commodè dictum: cùm mos ille sit ut per Prolepsin revocentur res gestæ ad Kalendas Januarias præcedentes; Vossius autem primum annum Tiberii incipiat per Metalepsin à Kalendis Januariis secutis mortem Augusti. Interim ex his apparet quo sensu quidam ex Antiquis dixerint Christum anno 15 Tiberii passum: licèt juxta S. Lucam Joannes anno 15 ejusdem orsus sit suum Evangelismum; prout suprà observavimus.

Consonat Vossius.

Varii modi quibus sumi potest Annus XV. Tiberii.

Canon Judaicus.

Quo sensu Christus dicatur à quibusdâ mortuus Anno Tiberii XV.

Porrò quanta ex hisce tam diversis annorum formis & initiis sequi possit diversitas in designandis Tiberii annis, vel inde satis elucescit; quod spectatâ triplici formâ jam explicatâ, adhibitâque jam prolepsi, jam metalepsi, possit quintus-decimus Tiberii annus ab autumno anni Vulgaris 27 ad Ver iniens anni 30 extendi. Attentâ enim formâ Antiochenâ, si prolepsin adhibere libeat; inchoabitur decimus quintus Tiberii annus Autumno anni Dionysiani 27, ut jam

Diversitas Annorum ex dictis.

dictum est; & ineunte sequente Autumno desinet. At si postremum Augusti annum per metalepsin tantisper ampliaveris; inibit annus ille 15 Autumno anni 28 Vulgaris; terminabiturque Autumno anni 29: adeoque vix mense solido, aut paulò amplius, differet à supputatione quæ instituitur à die mortis Augusti; & eadem ferè est ratio de formâ Civilis anni Judaici. Spectatâ verò forma anni sacri Judaici, si prolepsi utaris; decurret annus 15 à Vere anni Dionysiani 28 ad Ver anni 29: si metalepsi paulò antè explicatâ; fluet à Vere anni Vulgaris 29 ad Ver anni 30. Primus enim Tiberii annus, in hac hypothesi, ab ineunte demum Vere anni 15 Vulgaris initium duxerit, ad quod, per metalepsin, productus fuerit ultimus annus Augusti. Media inter hosce terminos extremos hæret anni Romani forma; juxta quam per prolepsin supputatus annus Tiberii 15 totum annum Vulgarem 28 sibi vendicat: totum autem 29 occupabit, si totus annus Vulgaris 14 fuerit Augusto per metalepsin attributus. Quia igitur tantopere ultro citroque vagari potest annus 15 à Lucâ designatus, nec ullis aliis limitibus circumscriptus; non poterit satis certò ad aliquem è quatuor jam expressis annis Vulgaribus reduci Baptismus Christi; quamvis in decimum quintum Tiberii annum incidisse dicatur: quanto minus autem, si in decimum sextum Tiberii, aut etiam ad alium quempiam ex sequentibus rejiciatur, nihil repugnante Lucâ, ut paulò antè significabamus?

Alia difficultas, ex aliâ Epochâ Tiberii.

Crescet non parum hæc incertitudo, si quid deferendum putemus quorumdam Recentiorum opinioni, qui, ex mente Lucæ, Imperii Tiberiani annos adhuc altiùs accersendos putant. Omnium altissimè, inter recentes Scriptores, Tiberii Imperium repetit Braubomus, apud nostrum Contzen, *in cap. 2 Lucæ, v. 1. Quæst. 5*, ubi ejus annos advocare dicitur, ab anno Æræ Vulgaris quarto; quo nimirum, jam mortuis Caio & Lucio Cæsaribus, Tiberius ab Augusto est in eorum locum adoptatus. At Cappellus, *Dissert. de Cænâ Christi supremâ, cap. 5*, principium Imperii Tiberiani figit in anno Dionysiano undecimo, M. Æmilio Lepido, & Statilio Tauro Coss; qui fuit annus ante Augusti excessum tertius; non autem *quartus*, ut malè contendit Cappellus *suprà, pag.* 80, ubi & perperam addit, inter dictos Consules, & duos Sextos (in quorum Consulatu obiit Augustus) tria esse paria Consulum; & ex his sequi Tiberium annis quatuor cum eo imperasse. Constat enim ex ipsis Cappelli Tabulis bina dumtaxat Consulum Collegia interiacere; &, ex ejus hypothesi, commune Augusti & Tiberii Imperium solido tantum triennio durare potuisse. Jo. Georgius Hervartus *Nova Chronologia cap.* 248, Tiberianum Imperium uno anno seriùs orditur; ab anno nimirum ante Augusti obitum secundo; quem, ex fundamento manifestè falso, malè comparat cum anno Vulgari 15. Bucherius, *lib.* 3 *Belgii Romani cap.* 3, ita prius Hervarti assertum amplectitur; ut posterius repudiet, annumque communicati cum Tiberio Imperii componat cum anno Dionysiano 12, quo Consules fuere Germanicus Cæsar, & C. Fonteius Capito. Cum Bucherio sentit, & ab eodem anno Principatum Tiberii advocat Jacobus Usserius, *To. 2 Annalium*; indidemque advocaret Petavius, *lib.* 11 *de Doctr. Temporum, cap.* 7, nisi novam, ut credit, hanc Tiberii Æram improbandam putaret.

Braubomus annos Tiberii accersit ab Anno 4. Æræ Vulg.

Capellus ab Anno 11. Vulg.

Hervartus ab anno 12.

item Bucherius,

& Usserius.

Causæ, quæ hos Scriptores ad viam hanc minùs tritam sectandam perpulere, non

non eædem apud omnes fuere. Braubomus siquidem qui (ut suprà *Quæst.* 1. *cap.* 2. docuimus) inconsultissimè Natali Christi annum Julianum 34, seu duodecimum ante Æram Vulgarem, delegerat; cùm animadverteret, ex jactis à se fundamentis sequi, annum ætatis Christi tricesimum anno Dionysiano 18 necessariò inire debere; atque ita annum Imperii Tiberii decimum quintum ab eo longè abesse non posse, stante Evangelicâ veritate; Annos Tiberii inchoandos censuit ab anno Vulgari 4, quo constat Tiberium ab Augusto adoptatum fuisse, & qui ab anno Vulgari 18 est quintus decimus. Cappellum ad eam, quam diximus, opinionem adegit præproperè accelerata Christi Passio, & in annum Dionysianum 29 collata, juncto triennio Prædicationis. Ex his enim hypothesibus nimis apertè conficiebatur, Christi Baptismum anno Tiberii 15 congruere non posse, si hic ab Augusti morte supputandus foret, etiam adhibitâ quacumque anni formâ, & quantacumque prolepsi. Hervartus, primus inter Recentiores Epochæ illius Tiberianæ author, dum Fastos Consulares & receptissimam ac verissimam Imperatorum Chronologiam arbitratu suo susque deque invertit, propriis suis hypothesibus constrictus est ad hanc verborum Lucæ interpretationem. Bucherium nihil cogebat eò confugere, si Tiberii annos à Calendis Januariis anni Vulgaris 14 accersere voluisset; quam prolepsin *Commentario suo in Canonem Victorii, pag.* 226, probaverat. Sed cum hanc methodum postea, *in suo Belgio*, acriter insectatus fuisset, dum, ut suprà vidimus, ageret de annis Regni Herodis; ne secum ipse in eodem Opere pugnare videretur, annos Tiberii plenos quacumque demum ratione sibi indagandos censuit; ut Christi Baptismum incunte anno 28 Vulgari cum illius Imperatoris quinto-decimo conjungeret. Hunc in finem ita Hervarti usus est invento, ut & repudiaret ea, quæ in eo Scriptore à receptâ Chronologiâ discrepabant; & ea, quæ ejus scopo subserviebant, amplecteretur. Usserius denique cùm Christum anno 33 Dionysiano passum existimet, nulla etiam necessitate constringebatur ad tantopere accelerandos Imperii Tiberiani annos, ipsumque Christi Baptismum (ut suprà dicebamus) alligandum anno 27 Vulgari. Verùm eò illum perpulit imbibita penitùs persuasio de solidis quinque annis interjectis Baptismum inter & Passionem, quam anno quarto Olympiadis 202 tribuendam censebat.

Causæ diversitatis opinionum de illâ. *Braubomus.* *Capellus.* *Hervartus.* *Bucherius.* *Usserius.*

Rationes quibus hæc Hervarti ac sequacium ejus opinio fulcitur, petuntur potissimùm ex Suetonio, Velleio, ac Tacito, ex quibus satis constare videtur Tiberium, binis circiter ante Augusti excessum annis, ad aliquam Imperatorii fastigii participationem evectum fuisse. Luculentum est eâ de re testimonium Suetonii, *in Tiberio, cap.* 21; *Dedicavit* (Tiberius) *& Concordiæ Ædem* (quod Dio, *lib.* 56, Tauro & Lepido Coss. seu anno Vulgari 11, factum scribit) *ac non multo pòst, Lege per Consules latâ ut Provincias cum Augusto COMMUNITER administraret, simulq; Censum ageret, condito Lustro in Illyricum profectus est.* De condito hoc à se Lustro, *CONLEGA TIBERIO, Sexto Pompeio, & Sexto Apuleio Coss.* (hoc est, anno Dionysiano 14, quo ex hac vitâ decessit) testis est Augustus ipse, *in Monumento Ancyrano.*

Fundamenta hujus Epochæ Tiberianæ, ex Suetonio,

Expressiùs de supremâ illâ potestate loquitur Velleius, *lib.* 2, in hæc verba: *Cùm Senatus Populusq; Romanus postulante patre ejus* (Augusto) *ut ÆQUUM* *Velleio,*

EI JUS IN OMNIBUS PROVINCIIS EXERCITIBUSQUE ESSET, QUAM IPSI (Augusto) *etenim absurdum erat non esse sub illo* (Provincias) *quæ ab illo vindicabantur*; *& qui ad opem ferendam primus erat*: *ad vindicandum HONOREM non judicari PAREM*, *in Urbem reversus est.*

Tacito, Habemus hîc aliquam Tiberii cum Augusto *æqualitatem*, *paritatem*, *& communem administrationem*, satis disertis verbis ab utroque hoc Historico expressam; quam egregiè confirmat, quod ait Tacitus, *Annali* 1, Tiberium ab Augusto *assumptum COLLEGAM IMPERII ET CONSORTEM TRIBUNITIÆ POTESTATIS*; quatenus scilicet hæc, quoad certum modum, Imperatoribus ipsis erat propria. Confirmat & illud quod idem Tacitus recitat ex Oratione Tiberii in Senatu habitâ, quâ hic, per familiarem sibi simulationem, fingens se Imperium detrectare, asserit *solam Divi Augusti mentem tantæ molis* (regendi Imperium Romanum) *capacem fuisse*, *se in partem curarum ab illo vocatum* (utique dum Imperii Collega factus est) *experiendo didicisse*; *quàm arduum*, *quámque subjectum fortunæ*, *regendi cuncta onus* esset.

Georgio Syncello. Eò quoque respexisse videtur Georgius Syncellus, dum, *ad Annum Mundi* 5513 (qui ex ejus calculo mortem Augusti biennio præcessit) ita scribit: *Tiberium privignum adoptatum*, *illustrem totius Imperii Successorem*, *& tertium Romanorum Imperatorem renuntiavit* Augustus. Ac paulò pòst, *ad Annum Mundi* 5515, subjungit: *Romanorum tertius Monarcha Tiberius* (nota τὸ *Monarcha*, significans tempus, quo solus ab obitu Augusti Principatum obtinuit) *Imperium tenuit annis* 22: plenis scilicet. Quæ omnia pulcherrimè cum suprà dictis congruunt, & ex illis explicationem accipiunt.

Eadem magis firmantur ex honoribus antea Tiberio delatis. Dudum antea Tiberius binos gesserat Consulatus. Jam Tribunitiam Potestatem per repetita ex intervallo quinquennia fuerat adeptus. Jam vitâ functis Caio & Lucio Cæsaribus, fuerat in eorum locum adoptatus. Jam septimùm Imperator fuerat, re benè gestâ, renuntiatus. Jam Senatûs Decreto triumphum de hostibus egerat. Jam, (ut ait Suetonius, *cap.* 15) *certum erat uni* Tiberio *spem successionis* in Imperium *incumbere*. Jam *Parthorum Legati* (ut idem scribit *cap.* 16) *mandatis Augusto Romæ redditis*, *Tiberium quoque adire in Provinciam* Germaniam *jussi erant*; quod præter morem fuisse nemo inficias ierit. Sed hæc omnia Tiberium summo gradui reipsâ necdum admovebant. Ut igitur tantis honoribus suprema velut manus imponeretur, quantum dignitas Augusti adhuc superstitis poterat pati, hujus Tiberius declaratus est COLLEGA, & editum Decretum, ut cum eo *Censum* ac *Lustrum* ageret, & *æquo jure Provinciis omnibus exercitibusq. præesset*, essetque *par ad vindicandum honorem*; servata nimirum, præsertim intra Urbem ejusque pomœrium, Augusti prærogativâ; quam etiam tum Vitrici, tum Soceri, ac maximè Patris authoritas non parum augebat, certosque limites Tiberio, quantumvis Imperii consorti, circumscribebat.

Communicatio Imperii non fuit merus titulus. Non fuisse hæc meros titulos sine re; satis manifesto indicio est quod scribit Dio, *lib.* 56, *ad annum Urbis* 765, quo Tiberius in *Imperii Collegam* assumptus est; videlicet *Augustum senio jam gravem*, *Germanicum* (qui Consul tùnc erat) *Senatui*; *at Senatum ipsum Tiberio commendasse.* Enimverò tantúmne honoris Tiberio detulisset sapientissimus Imperator; nisi eum supra Senatum ipsum à se evectum,

evectum, sibique aliquousque parem agnovisset? Quid quod anno insequente, & ante mortem suam penultimo, invitus (ut paulò pòst asserit Dio) in quintum decennium Reipublicæ gubernationem admisit? An non eo facto satis declaravit se illi rei jam satis prospexisse adlecto Tiberio, cui mox etiam Tribunitiam Potestatem, sed superioris quàm antea ordinis, prorogavit?

Agnita in Provinciis.

In Provinciis quoque agnitam & celebratam fuisse hanc summi fastigii participationem, argumento non levi esse potest antiqua Inscriptio Viennæ Galliæ reperta, quam recitat Hervartus, *Nova Chronol. cap.* 248. Ibi siquidem Tiberius, superstite adhuc Augusto, dicitur & PROCONSUL, & CENSOR: prior enim illa appellatio in Provinciis semper tribuebatur Imperatoribus, teste Dione, *ad Annum Urbis* 727; quod eruditè illustrat Hervartus, *suprà*. Unde non adeò mirum esse debet, si nominatim in Syriâ, quam Tiberius aliquando adiverat, habita sit ratio communionis Imperii jam explicatæ; fuerintque istic Anni ejus ab illâ Epochâ supputati Antiochiæ Urbe Metropoli Syriæ, ex quâ Lucas erat oriundus. Certè Antiochenos fuisse speciali nomine ad colendum modis omnibus Tiberium obstrictos nemo jure negaverit, si vera sint quæ Nicephorus Callistus, *lib.* 1 *Historiæ, cap.* 17, scribit in hæc verba: *Ipse* (Tiberius) *ab eâ expeditione* (Persicâ, seu Parthicâ) *revertens, Antiochiam divertit, quam splendidiùs magnificentiusq; exornare constituens, muro firmo & inexpugnabili cinxit, porticus extruxit, columnis æreis, statuis, aliisque ædificiis variis exornavit. Templa quoque Jovi & Dionysio, Castorique & Polluci ædificavit. Plurimáque præterea alia opera illum ibi perfecisse ferunt.* An non tot ac tanta singularis beneficentiæ specimina meritò Antiochenorum gratitudinem provocarint, ad accelerandam, quantum fas erat, Epocham Imperii Tiberiani?

Nominatim ab Antiochenis, & cur?

Vis vocis ἡγεμονία.

Non urgebo hîc operosiùs argumentum, quod tamen nòn negligendum censent nonnulli; nempe Lucam, dum de *quinto-decimo anno IMPERII Tiberii* loquitur, non uti voce αὐτοκρατορίας aut βασιλείας, quæ certò suprema dignitas Imperatoria significaretur; sed voce ἡγεμονίας, latiùs patente: ut proinde videri possit Evangelista consultò eam appellationem adhibuisse, quasi indicaturus se non solos Monarchiæ Tiberianæ annos supputare; sed illos etiam comprehendere, quibus communiter cum Augusto imperavit. Verùm ultrò profiteor vocabulum hoc à Græcis Scriptoribus ita promiscuè usurpari, ut & Imperatoriam dignitatem ejus qui solus imperat, & inferiorem aliquam Præfecturam sonet, prout suprà, *Quæst.* 1 *cap.* 13, fusiùs explicui. Hoc itaque, si ita lubeat, omisso; disquirendum nunc superest an quæ Petavius, *lib.* 11 *de Doctr. Temp. cap.* 7, Henricus Philippi, *Quæst. Chronol. de Annis nati & passi Salvatoris, cap.* 3, aliique opponunt Tiberianæ huic Epochæ à participatione Imperii ab Augusto collatâ, sint satis efficacia ad eam labefactandam. Eò lubentiùs illa excutiam, quòd à nemine, quem quidem viderim, satis refellantur. Paucis tamen agam & strictim; ne in re, in quâ opinionis nostræ cardo non vertitur, diutiùs immorer, quàm par sit.

CAPUT SEXTUM.

Diluuntur nonnulla, quæ, adversus Epocham Tiberianam à participatione Imperii cum Augusto, opponuntur.

Objectio I. OPponitur *primò*, neminem prorsus Veterum accersere Imperii Tiberiani annos ab illâ qualicumque participatione supremæ potestatis. Item neminem olim extraxisse annos Tiberii ultra tertium ac vicesimum; quot nimirum, nec pleni, ab obitu Augusti ad obitum Tiberii numerantur.

Solutio. Respondetur, Clementem Alexandrinum, *lib.* 1 *Strom.* meminisse quorumdam, qui Tiberio Imperii annos 26 tribuebant. Cumque tot annos inter Augusti ac Tiberii exitus interjici non patiatur legitima Chronologia; superest ut dicantur hi primordia Imperii Tiberiani fixisse in anno 12 Vulgari; finem verò in 37, quo reipsâ desiit. Eamdem quoque mentem necesse est fuisse Antiquis illis Scriptoribus, qui Christi Passionem ad annum Vulgarem 28 retulerunt, quâ de re infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 2: nec enim calculos suos ita unquam subducent, ut locum Prædicationi Joannis, adeóque & decimo quinto Imperii Tiberii anno, ac secutæ Prædicationi Christi reperiant, nisi annos Tiberii numerare incipiant ab aliquâ Epochâ, quæ Augusti mortem antecedat. Nullus autem est annus commodior, quàm Vulgaris 12 labens, si annum unicum Prædicationi Christi tribuisse dicantur. Nam ineunte anno Vulgari 27, in cursu erit Annus 15 Tiberii plenus; & Martio anni insequentis, annus 16 ejusdem. Quod si duos, trésve annos, aut plures Christi Evangelismo concesserint; adhuc altiùs Epocha illa erit repetenda. Suffragio igitur Antiquorum non penitus destituitur ratio illa Tiberianos annos supputandi; & immeritò, tamquam hactenus inaudita, suggillatur à nonnullis.

Cur Epocha illa minùs attenta sit à Scriptoribus? Cæterùm quamvis pro eâ nulli proferri possent, adhuc in promptu esset facillima responsio; nempe passim à Scriptoribus, maximè ab Historicis ac Chronologis, ex quibus alii hauriunt, solere potissimùm attendi supremum, illimitatum, Monarchicum, & independens Imperium; item successiones subsequentium Imperatorum in locum decessorum, quatenus eæ ad texendam Chronotaxin exactam conferre possunt. Addi potest brevitate communicatæ Tiberio dignitatis supremæ, maximè autem prærogativis ac eminente gloriâ Augusti, fuisse adeò obscuratam illam summæ authoritatis consortionem, præsertim Romæ; ut antiquiores Historici mentione illius contenti, nullam sibi ejus rationem habendam putarint in annis supputandis. Alioqui; cùm nemine improbante, annos Imperii Augusti advocent varii vel à cæde Julii Cæsaris, vel à primo Consulatu, vel ab occupato Triumviratu gestoque per cōplures annos variâ admodum fortunâ, plurimumque discrepante à summo apice Imperatoriæ dignitatis; quidni potuerint tum Romani, tum Provinciales, ac maximè Antiocheni (ob rationem paulò antè allatam) unum alterúmve annum participatæ supremæ potestatis conferre in summam annorum Imperii Tiberiani?

Opponitur

Opponitur *secundò*, Tribunitiam potestatem fuisse Marco Agrippæ aliisque concessam, uti & Proconsularem Germanico Drusi filio adoptato a Tiberio: hos tamen inter Imperatores non censeri. Ex similibus igitur titulis nihil extundi poterit pro asserendâ Tiberio Imperatoris dignitate ante mortem Augusti. Objectio 2.

Negari non potest Tribunitiam Potestatem si seorsim spectetur, non satis adstruere supremam dignitatem de quâ nunc agitur; ut, vel in ipsomet Tiberio perspicuè videre est, qui primum Tribunitiæ Potestatis suæ quinquennium inglorius egit Rhodi, florentibus Caio ac Lucio Cæsaribus adoptatis ab Augusto, & ad spem Imperii destinatis. At his jam vitâ functis, moxque adoptato in eorum locum Tiberio, deinde aliquot post annis concessâ illi tamquam *Imperii Collega*, *communi administratione*, *& æquo jure* cum Augusto *in omnes Provincias & Exercitus*; meritò asseritur Tribunitiam illam Potestatem, cujus tunc *consors* factus est, longè diversam fuisse à priore; habendamque ut appendicem participatæ Imperatoriæ authoritatis. Hanc appendicis rationem habebat in Augusto, consecutique deinceps Romanis Imperatoribus, qui Principatûs sui annos ex repetitâ toties aut toties Tribunitiâ Potestate supputabant, prout ex innumeris eorum Nummis ac Inscriptionibus antiquis liquidò constat. Hoc autem ita est accipiendum, ut etiamsi merum titulum illius Potestatis habuissent, antequàm ad Imperium eveherentur; in unam nihilominus summam imputârint, tam hos, quàm illos annos. Apertè id demonstrant Nummi & Inscriptiones, quæ Tiberio adscribunt annos octo & triginta Potestatis Tribunitiæ; cùm tamen solus nonnisi annos tres & viginti, nec omninò plenos regnârit. Annis igitur Imperii junguntur anni quindecim, quibus, licèt semel interruptis, Tiberius Tribunitiam Potestatem obtinuerat superstite Augusto: quem supputandi modum in numerandis annis Tribunitiæ Potestatis secuti sunt postea Titus, M. Aurelius, Commodus, aliique, ut perspicuè ostendunt eorum Nummi cum iis annis collati; quibus Imperium tenuerunt. Solutio primæ partis Objectionis

Fatendum insuper est, nudum Proconsulis nomen, eique adjunctam potestatem ordinariam, ad id quod agimus non sufficere. Tribuebatur siquidem hæc appellatio & authoritas iis etiam annuis Magistratibus, qui ad regendas Provincias, ex Augusti divisione populo reservatas, sorte lecti, ac velut Consulum Vicarii mittebantur; de quibus eruditè Lipsius, *in Excurs. ad Annal.* 1 *Taciti*, *Litterâ M.* Nec inficias iero quiddam etiam supra hos concessum fuisse Germanico cum titulo Proconsulis; licèt nunquam ad dignitatem Imperatoriam evecto. At longè aliter se habuit res quoad Tiberium assumptum ad *communem administrationem & æquum jus in Exercitus & Provincias omnes*, tam eas quæ Populi Romani; quàm eas quæ Augusti propriæ erant. Ex quo sequitur Tiberium nomen Proconsulis eâ ratione in Provinciis ursurpâsse, quâ Imperatores ipsi usurpabant, ut ex Dione diximus, *capite præcedente*. Vide Claudii Salmasii Notas ad Julium Capitolinum, *in vitâ M. Aurelii Imp.* Solutio secundæ partis.

Opponitur *tertiò*: si superstite Augusto suprema illa authoritas collata esset Tiberio, nihil subesse poterat causæ cur Livia *acribus vigiliis domum & vias sepiret, donec Tiberius advenisset*; ut nempe *simul excessisse Augustum, & rerum po-* Objectio 3.

CAPUT SEXTUM.

Diluuntur nonnulla, quæ, adversus Epocham Tiberianam à participatione Imperii cum Augusto, opponuntur.

Objectio 1. Opponitur *primò*, neminem prorsus Veterum accersere Imperii Tiberiani annos ab illâ qualicumque participatione supremæ potestatis. Item neminem olim extraxisse annos Tiberii ultra tertium ac vicesimum; quot nimirum, nec pleni, ab obitu Augusti ad obitum Tiberii numerantur.

Solutio. Respondetur, Clementem Alexandrinum, *lib.* 1 *Strom.* meminisse quorumdam, qui Tiberio Imperii annos 26 tribuebant. Cumque tot annos inter Augusti ac Tiberii exitus interjici non patiatur legitima Chronologia; superest ut dicantur hi primordia Imperii Tiberiani fixisse in anno 12 Vulgari; finem verò in 37, quo reipsâ desiit. Eamdem quoque mentem necesse est fuisse Antiquis illis Scriptoribus, qui Christi Passionem ad annum Vulgarem 28 retulerunt, quâ de re infrà, *Quæst.* 3, *cap.* 2: nec enim calculos suos ita unquam subducent, ut locum Prædicationi Joannis, adeóque & decimo quinto Imperii Tiberii anno, ac secutæ Prædicationi Christi reperiant, nisi annos Tiberii numerare incipiant ab aliquâ Epochâ, quæ Augusti mortem antecedat. Nullus autem est annus commodior, quàm Vulgaris 12 labens, si annum unicum Prædicationi Christi tribuisse dicantur. Nam ineunte anno Vulgari 27, in cursu erit Annus 15 Tiberii plenus; & Martio anni insequentis, annus 16 ejusdem. Quod si duos, trésve annos, aut plures Christi Evangelismo concesserint; adhuc altiùs Epocha illa erit repetenda. Suffragio igitur Antiquorum non penitus destituitur ratio illa Tiberianos annos supputandi; & immeritò, tamquam hactenus inaudita, suggillatur à nonnullis.

Cur Epocha illa minùs attenta sit à Scriptoribus? Cæterùm quamvis pro eâ nulli proferri possent, adhuc in promptu esset facillima responsio; nempe passim à Scriptoribus, maximè ab Historicis ac Chronologis, ex quibus alii hauriunt, solere potissimùm attendi supremum, illimitatum, Monarchicum, & independens Imperium; item successiones subsequentium Imperatorum in locum decessorum, quatenus eæ ad texendam Chronotaxin exactam conferre possunt. Addi potest brevitate communicatæ Tiberio dignitatis supremæ, maximè autem prærogativis ac eminente gloriâ Augusti, fuisse adeò obscuratam illam summæ authoritatis consortionem, præsertim Romæ; ut antiquiores Historici mentione illius contenti, nullam sibi ejus rationem habendam putarint in annis supputandis. Alioqui; cùm nemine improbante, annos Imperii Augusti advocent varii vel à cæde Julii Cæsaris, vel à primo Consulatu, vel ab occupato Triumviratu gestoque per cõplures annos variâ admodum fortunâ, plurimumque discrepante à summo apice Imperatoriæ dignitatis; quidni potuerint tum Romani, tum Provinciales, ac maximè Antiocheni (ob rationem paulò antè allatam) unum alterúmve annum participatæ supremæ potestatis conferre in summam annorum Imperii Tiberiani?

Opponitur

Opponitur *secundò*, Tribunitiam potestatem fuisse Marco Agrippæ aliisque concessam, uti & Proconsularem Germanico Drusi filio adoptato a Tiberio: hos tamen inter Imperatores non censeri. Ex similibus igitur titulis nihil extundi poterit pro asserendâ Tiberio Imperatoris dignitate ante mortem Augusti. Objectio 2.

Negari non potest Tribunitiam Potestatem si seorsim spectetur, non satis adstruere supremam dignitatem de quâ nunc agitur; ut, vel in ipsomet Tiberio perspicuè videre est, qui primum Tribunitiæ Potestatis suæ quinquennium inglorius egit Rhodi, florentibus Caio ac Lucio Cæsaribus adoptatis ab Augusto, & ad spem Imperii destinatis. At his jam vitâ functis, moxque adoptato in eorum locum Tiberio, deinde aliquot post annis concessâ illi tamquam *Imperii Collega*, *communi administratione*, *& æquo jure* cum Augusto *in omnes Provincias & Exercitus*; meritò asseritur Tribunitiam illam Potestatem, cujus tunc *consors* factus est, longè diversam fuisse à priore; habendamque ut appendicem participatæ Imperatoriæ authoritatis. Hanc appendicis rationem habebat in Augusto, consecutique deinceps Romanis Imperatoribus, qui Principatûs sui annos ex repetitâ toties aut toties Tribunitiâ Potestate supputabant, prout ex innumeris eorum Nummis ac Inscriptionibus antiquis liquidò constat. Hoc autem ita est accipiendum, ut etiamsi merum titulum illius Potestatis habuissent, antequàm ad Imperium eveherentur; in unàm nihilominus summam imputârint, tam hos, quàm illos annos. Apertè id demonstrant Nummi & Inscriptiones, quæ Tiberio adscribunt annos octo & triginta Potestatis Tribunitiæ; cùm tamen solus nonnisi annos tres & viginti, nec omninò plenos regnârit. Annis igitur Imperii junguntur anni quindecim, quibus, licèt semel interruptis, Tiberius Tribunitiam Potestatem obtinuerat superstite Augusto: quem supputandi modum in numerandis annis Tribunitiæ Potestatis secuti sunt postea Titus, M. Aurelius, Commodus, aliique, ut perspicuè ostendunt eorum Nummi cum iis annis collati; quibus Imperium tenuerunt. Solutio primæ partis Objectionis

Fatendum insuper est, nudum Proconsulis nomen, eique adjunctam potestatem ordinariam, ad id quod agimus non sufficere. Tribuebatur siquidem hæc appellatio & authoritas iis etiam annuis Magistratibus, qui ad regendas Provincias, ex Augusti divisione populo reservatas, forte lecti, ac velut Consulum Vicarii mittebantur; de quibus eruditè Lipsius, *in Excurs. ad Annal.* 1 *Taciti, Litterâ M.* Nec inficias iero quiddam etiam supra hos concessum fuisse Germanico cum titulo Proconsulis; licèt nunquam ad dignitatem Imperatoriam evecto. At longè aliter se habuit res quoad Tiberium assumptum ad *communem administrationem & æquum jus in Exercitus & Provincias omnes*, tam eas quæ Populi Romani; quàm eas quæ Augusti propriæ erant. Ex quo sequitur Tiberium nomen Proconsulis eâ ratione in Provinciis ursurpâsse, quâ Imperatores ipsi usurpabant, ut ex Dione diximus, *capite præcedente.* Vide Claudii Salmasii Notas ad Julium Capitolinum, *in vitâ M. Aurelii Imp.* Solutio secundæ partis.

Opponitur *tertiò*: si superstite Augusto suprema illa authoritas collata esset Tiberio, nihil subesse poterat causæ cur Livia *acribus vigiliis domum & vias sepiret, donec Tiberius advenisset*; ut nempe *simul excessisse Augustum, & rerum potiri* Objectio 3.

tiri Neronem (seu Tiberium) *fama eadem ferret* ; prout scribit Tacitus , qui & Tiberii *Principatum* eo tempore *novum* appellat ; utique minimè appellaturus , si jam à biennio ei collatum existimâsset.

Solutio. Respondetur Liviam meritò securitati Imperii Tiberii hâc ratione consulere debuisse, quamvis ei jam à biennio collati. Quid enim factu pronius erat, quàm ut & Senatus, & Populus avidi libertatis, se in eam vendicarent per occasionem demortui Augusti & absentis Tiberii ? Quòd Tacitus *novum* Tiberii *Principatum* appellet ; eatenus verum esse dicendum est, quatenus de absoluto, independente & Monarchico Principatu quæstio sit. Non ideò tamen consequens est, Tiberium antea Imperii consortem non fuisse, ad modum paulò antè explicatum, qui abundè sufficiat ut tempus illud, ampliatione minimè violentâ, annis imperantis Tiberii accenseatur. Equidem si Artaxerxi Longimano (ut de aliis sileam) passim in annos Regni imputantur etiam illi quibus cum parente, inæquali haud dubiè authoritate, regnavit : nihil causæ suberit cur etiam Tiberii Imperio accrescere non possint bini illi anni, quibus vivente Augusto (salvis ubique hujus prærogativis, & præcipuâ dignitate ac potestate) summi fastigii consors factus est.

Tacitus explicatur. Quod verò significat Tacitus, Senatum post Augusti excessum Tiberio Imperium contulisse ; ab iis, quæ ibidem addit, accipere debet interpretationem. Scribit enim Tiberium hæsisse spem inter ac metum, præsertim à *Germanico*, *in cujus manu tot legiones* (octo erant ad Rhenum in ripâ Gallicâ, præcipuum uno loco Imperii robur, ut observat Lipsius) *immensa sociorum auxilia* (quæ aliis copiis juncta ad centum millia accessisse idem Lipsius censet) *mirus apud populum favor.* Hinc non exigua formido ne is, excluso per vim Tiberio, *habere Imperium, quàm expectare* (post Tiberii obitum) *mallet.* Quàm longè ab eâ mente abesset Germanicus, satis ostendit quod narrat Tacitus *Annali* 1 : milites tamen paratos fuisse Imperium armis illi asserere, *ibidem* testatur ; additque Suetonius, *in Tiberio, cap.*25, *& in Caio Caligulâ, cap.* 1, eos *Imperatorem Tiberium pertinacissimè recusâsse, & Principem non à se datum detrectâsse.* Quod quidem consuetas exercituum seditiones satis demonstrat, quæ sæpè etiam in legitimos Principes eruperunt : sed jus Tiberio quæsitum antea non fuisse ex Augusti & Senatûs consensu, nequaquam probat.

Artes Tiberii. Hoc insuper mirus simulandi artifex Tiberius *dabat famæ* (subdit Tacitus) *ut vocatus electusq́, potiùs à Republicâ videretur, quàm per uxorium ambitum* (Matris suæ Liviæ, quæ ab Augusto marito id exambierat) *& senili adoptione* (Augusti) *irrepsisse.* Alioqui quàm non obscurè se pro Principe gesserit statim ab Augusti morte, declarat *ibidem* Tacitus, dum ait (quod suprà opponebatur) *simul excessisse Augustum & rerum potiri Neronem, eamdem famam tulisse*, & *primum facinus novi Principatûs*, vixdum mortuo Augusto, *fuisse Postumi Agrippæ cædem.* mox paucis interpositis, subjungit : *Defuncto Augusto, signum Prætoriis cohortibus, ut Imperator, dederat ; excubiæ, arma, cætera Aulæ. Miles in forum, miles in Curiam comitabatur. Litteras ad exercitus, tamquam adepto Principatu, misit*, &c. Testatur etiam Suetonius, *cap.* 24, Tiberium *neque Principatum occupare confestim, neque agere dubitâsse, statione militum, hoc est, vi & specie*

ſpecie dominationis aſſumptâ; diu tamen recuſaſſe. Vide & Dionem, *initio lib.* 57, ſimilia ſcribentem.

Opponitur *quartò*, conſtare ex Spartiano, M. Aurelium, & L. Verum *primos fuiſſe, qui duo pariter Remp. gubernarint.* item, *tunc primùm Rom. Imperium duos Auguſtos habere cœpiſſe*; aliaque id genus. Non fuit igitur Tiberius ita aſſumptus ab Auguſto in communionem Imperii, ut hujus dignitatis ratio haberi potuerit quoad annos, qui Auguſti obitum præceſſerunt. Objectio 4.

Facilis reſponſio eſt, Spartianum loqui de duorum Imperio per omnia æquali, & tam intra, quàm extra pomœrium, ipſamque adeò Urbem, aſſumptoque pariter prænomine *Imperatoris*, & cognomine *Auguſti*, &c, quæ jam diximus Tiberio non convenire, qui ſemper infra Auguſtum Patrem ſuum ac Vitricum fuit. Hujuſmodi autem Titulorum ita nullam ſibi rationem habendam ſemper cenſuit, ut *Patris patriæ appellationem, & ne in Acta ſua juraretur, obſtinatiſſimè recuſârit*, teſte Suetonio, *cap.* 67, qui & *cap.* 26 ſic habet: *Prænomen quoque Imperatoris, cognomenq. Patris patriæ, & civicam in veſtibulo coronam recuſavit; ac ne Auguſti quidem nomen, quamvis hæreditarium, ullis; niſi ad Reges ac Dynaſtas, epiſtolis addidit.* Certè obſervavi, quamvis innumeri extent Tiberii Nummi, tamen vix in ullis titulum Imperatoris nomini ejus præponi, etiam poſt obitum Auguſti. Videſis Dionem *ſuprà* plura de his ſuggerentem. Solutio.

Quæ hactenus paulò fuſiùs ſunt diſputata de Imperii Tiberiani Epochâ à nonnullis Antiquis indicatâ, & à quibuſdam Recentioribus aſſertâ ſanè plauſibiliter, ſufficienter, nî fallor, oſtendunt nihil hactenus ſatis improbatum, aut de ſe improbabile, allatum eſſe ab iis, qui contendunt S. Lucam non repetere *annum quintum decimum Tiberii* à morte Auguſti; ſed à ſupremi honoris conſortione, de quâ ſuprà. Probabilitas illius Epochæ,

Cæterùm non eò diſceptationem hanc ſuſcepi, quòd ea tuendæ opinioni meæ, quam mox aperiam, ſit neceſſaria; ſed ut planum fiat, me ad eam, quam paulò pòſt inibo, viam non ita arctari, quin laxiorem illam, ſi aut luberet, aut neceſſe foret, inire poſſem. quæ nobis minimè eſt neceſſaria:

Porrò ſi quis ex me quærat, à quonam anno Dionyſiano advocandam exiſtimem Epocham hanc Tiberianam: planè perſuaſum habeo de duobus duntaxat annis poſſe rationabiliter inſtitui quæſtionem; de anno ſcilicet undecimo Vulgari, quem elegit Cappellus; & de duodecimo quem prætulit Bucherius. Hic poſterior multò magis mihi probatur; uti & Petavio, *Lib.* 11 *de Doct. Temp. cap.* 7: ubi etiam Cappelli rationes refellit. Brauboni ſententia annos Imperii Tiberii accerſens ab anno 4 Vulgari, prorſus abſurda eſt. Ex illâ enim Hypotheſi annus Imperii Tiberiani decimus-quintus incurret in annum Vulgarem 18, quo Judæam necdum procurabat Pontius Pilatus. Hic ſiquidem nonniſi Anno circiter 25 Vulgari ſucceſſit in locum Valerii Grati, ut patet ex Joſepho *Lib.* 18 *Antiq. cap.* 3, *aliisq. locis.* Ex dictis hoc capite & præcedenti, facilè poteſt intelligi, certum Baptiſmi Chriſti annum ex quinto decimo Tiberii anno definiri non poſſe. Si tamen admittatur, advocanda eſt ab An. 12 Vulg.

CAPUT SEPTIMUM.

An Baptismi Annus ex aliis characteribus à Lucâ notatis deprehendi possit.

Secundus character.

SEcundus character quem nobis asserit Lucas, *cap.* 3. *cit.* est *Pontii Pilati Judæam procurantis.* Et quidem hujus Magistratum concurrisse cum anno 15 Tiberii, sive is sumatur à morte Augusti, seu à communione supremæ dignitatis, de quâ suprà, satis constat; quandoquidem ad Judææ Præfecturam missus sit anno Imperii Tiberii solius duodecimo, ut scribit Eusebius, *lib.* 1 *Hist. Eccles. cap.* 9, ex Josepho, *lib.* 18 *Antiq. cap.* 3. Sed cùm munus illud obierit totis decem annis, teste Josepho, *ibidem*, *cap.* 5, parùm nobis præsidii esse potest in hac Præfecturâ, sive secundùm se sumptâ, sive comparatâ cum anno Tiberii decimoquinto per tot annos Dionysianos vagante; quot assignavimus *suprà cap.* 5. Præterquàm quòd, licèt anno illo 15 prædicare cœperit Joannes, non continuò cogatur quis in eumdem annum conferre Christi Baptismum, ut jam aliquoties monuimus.

Parum in eo præsidii.

Tertius character dubium etiam non tollit.

Neque magis, ubi pes figi possit, suppeditat Tetrarchia Philippi, aut Herodis Antipæ, aut Lysaniæ. Nam in primis hujus postremi Acta omnia in obscuro sunt. Philippi autem ac Herodis Principatus sicut pluribus annis decimumquintum Tiberii antevertit; ita & pluribus certissimè secutus est; ut ex Josepho, aliisque innumeris manifestum est. Aliò igitur spes nostræ sunt convertendæ.

Quartus character æquè ambiguus.

Sed minorem secum non vehit ambiguitatem Pontificatus Annæ & Caiphæ. Nam ut ex Josepho, *suprà cap.* 3 *&* 6, perspicuum fit, Ananus, sive Annas, post summum Sacerdotium per annos circiter octo gestum, de gradu dejectus est à Valerio. Grato Pilati decessore in Judææ Procuratione, sub annum Æræ Vulg. 15; neque unquam postea illum recuperavit. Successerunt deinde tres annui Pontifices, Ismaël Phabi, Eleazarus Annæ filius, & Simon Camithi. Horum singulis post functionem annuam in ordinem redactis, ad fastigium illud ab eodem Valerio Grato evectus est Josephus Caiphas, in eoque permansit pluribus annis ante Pilati adventum in Judæam, & post hunc aliis citra interruptionem undecim circiter annis, ferè ad mortem usque Tiberii. Quæ omnia cùm certa sint ex Josepho, facilè apparet quàm immaniter fallatur Eusebius, *lib.* 1 *Hist. cap.* 10, & post eum, Chronicon Alexandrinum, *pag.* 529, Philoponus, *lib.* 2 *de Creatione Mundi*, *cap.* 21, Nicephorus Callistus, *lib.* 1 *Hist. cap.* 29, plurimique alii, dum tres annuos Pontifices modò recensitos, eos esse affirmant, qui simul triennium Prædicationis Christi suo Pontificatu annuo expleverint; ita ut ex illorum Scriptorum sententiâ, initium Prædicationis Joannis desinenti Sacerdotio summo Annæ conveniat; Passio autem Christi ineunti Caiphæ Pontificatui: quæ omnia ex Josepho, quem tamen se ducem sequi profitentur, apertissimè refelluntur. Cùm igitur Annæ dignitas summa in Christi adolescentiam tota incurrat;

rat; Caiphæ verò Pontificatus virilem ejus ætatem & præcesserit, & ad Passionem usque comitatus sit, imò & hanc pluribus annis sit supergressus; nemo non videt ex hoc etiam criterio à Lucâ signato non posse ullo modo verum Baptismi annum exprimi.

Quomodo autem his non obstantibus testetur Lucas Joannem *sub Principibus Sacerdotum Annâ & Caiphâ* exorsum esse munus suum; non est hujus loci operosiùs discutere: propriè enim ad Commentarium in Evangelia pertinet. Sufficiat in præsens obiter dixisse verosimillimam videri eorum interpretationem, qui censent Caipham ita toto tempore suprà explicato solum fuisse summum Judæorum Pontificem; ut nihilominus functionem sui officii communicârit cum suo socero Annâ alternis annis; prout post Augustinum censent Maldonatus, Lorinus, aliique, partim ex Joannis *cap.* 11 *v.* 49, ubi Caiphas dicitur *Pontifex anni illius*; partim ex *Act. cap.* 4, *v.* 6, ubi Annas ante Caipham nominatur, & simpliciter ac solus dicitur *Princeps Sacerdotum*. Explicatio Pontificatus Annæ & Caiphæ.

Superest nunc celebris ille Lucæ locus, *cap.* 3, *v.* 23, qui in Vulgatâ sic legitur: *Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*; dum scilicet Joannem Baptismi causâ conveniret. Textus autem Græcus verbis paulò aliter dispositis sic habet: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος: quæ verba mirum omnino est, quàm diversè à variis accipiantur. Alii enim volunt τὸ *incipiens*, ad annos Christi debere referri, & τὸ *quasi* esse particulam absolutè affirmantem; non secus ac dum *Joannis cap.* 1, *v.* 14, dicitur Christus *quasi Unigenitus à Patre*; sensum autem Lucæ esse hunc: Incipiebat Iesus reipsâ trigesimum annum agere. Potest hæc explicatio confirmari ex eo, quod illud ὡσεὶ absit à quibusdam exemplaribus Græcis, nec id legisse videantur Arabicus & Æthiopicus Interpretes; cùm non exprimant in suis Versionibus. Alii, qui vocem *quasi* sumunt ut diminuentem, censent significari Christum tunc egisse annum 29, & proximum fuisse tricesimo. Alii credunt hanc particulam esse notam ambiguitatis, idemque significare ac τὸ *circiter, præter propter, plus minus, &c.*: at τὸ *incipiens* aiunt non ad annos Christi referendum esse, sed ad initium Prædicationis ejus; ita ut exsurgat hic sensus: Jesus erat annorum circiter triginta, dum jam Baptizatus ad prædicandum Evangelium se accingeret. Huc facit quod idem Lucas, *Act. cap.* 1, *v.* 21, S. Petrum in hæc verba loquentem inducat: *Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quò intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens,* ἀρξάμενος, *à Baptismate Joannis &c.* Et iterum *cap.* 10, *v.* 37: *Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam; incipiens enim* (rursus hìc habetur ἀρξάμενον) *à Galilæâ, post Baptismum quod prædicavit Joannes &c.* Vides Lucam eâ voce sæpiùs uti, ad designandum initium prædicationis Christi inchoatæ à Baptismate Joannis. Planior fiet hæc explicatio, si loco illo Lucæ *cap.* 3, *v.* 23, pro ἀρχόμενος, legas cum Clemente Alexandrino, & Euthymio, ἐρχόμενος, id est, *veniens, proficiscens, &c.* Vide Petavium, *in Animad. ad Epiphan. pag.* 109 *& seqq.* item *lib.* 12 *Doctr. Temp. cap.* 5, & Harvillæum, *in Isagoge Chronol. pag.* 1443.

Quintus character.

Variæ difficultates circa textum Lucæ.

Prima explicatio.

Secunda.

Tertia.

Ex Lucæ explicationibus adeò variantibus ortæ sunt opiniones non parùm inter se discrepantes circa ætatem Christi se Joanni ad Baptismum sistentis. Qui- Inde varietas opinionũ de ætate Christi.

dam

dam enim, ut Cajetanus, Malbrancus & alii, baptizatum existimant anno suo 29 labente: Quidam anno 30, vel ineunte; ut Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus, &c. vel exeunte, ut Ammonius, Epiphanius, Jansenius Gandensis Episcopus. Quidam anno 31, ut Chronicon Alexandrinum, Cedrenus, Hippolytus Thebanus, Baronius, Torniellus, &c. Quidam ineunte 32, ut Deckerius, Tirinus, Bucherius. Quidam denique labente anno 33, ut Petavius. Neque mirum videri debet, si huc usque extendatur locutio illa, *quasi annorum triginta*; quandoquidem Lucas; *cap.* 9, *v.* 28, ad *dies ferè* (ὡσεὶ) *octo* extendat id, quod Matthæus *cap.* 17, *v.* 1, factum esse scribit, *post dies sex*; utique discrimine tertiæ partis minoris numeri: à quâ proportione longè abest numerus 30, respectu 32, aut 33.

Neque ex eâ potest lis dirimi.

Ex omnibus hactenus adductis conficitur locum Lucæ de ætate Christi longè abesse ab eâ certitudine anni tricesimi inchoati, quàm sibi fingunt nonnulli. Ex aliâ parte cùm suprà ostenderimus Lucam de anno Civili, quo Christus Baptismo initiatus est, nihil definire; sequitur neque postremum hunc Lucæ textum posse nobis lucem satis plenam affundere ad annum Baptismi, quem quærimus, deprehendendum.

CAPUT OCTAVUM.

Quæ ratio observanda videatur in determinando Anno Baptismi Christi.

Suspenso gradu hic procedendum.

CUM ea, quæ à Sacris libris sperabamus adminicula nos destituant; Sancti autem Patres suâ in opinando diversitate incertitudinem nostram augeant potiùs, quàm tollant; nec alibi facilè occurrat quicquam unum, cui solidè inædificare possimus; superest ut disquiramus num aliquâ viâ, velut tentando, ut in tenebris fieri assolet, & suspenso gradu ad verum Baptismi annum pertingere possimus, comparatis inter se ac libratis omnibus huc conducentibus.

Methodus servanda.

Ante omnia debet characteribus à S. Lucâ notatis authoritas sua plenissimè constare: sed cùm hi explicationes suprà ablatas minimè excludant, eæ præfractè repudiandæ non erunt. *Secundò*, providendum est ut anni Natalis Christi, quem, ni fallor, solidè stabilivimus *Quæst.* 1, permagna ratio habeatur; ne is annus Baptismo assignetur, qui plus æquo Christi ætatem ab anno trigesimo disjungat. *Tertiò*, cùm annus Baptismi Antiquis Ecclesiæ Patribus semper fuerit instar Basis, imò & cardinis totius Chronologiæ ejus, adeoque in illius investigatione præcipuam operam posuisse meritò credantur; postulare videtur æquitas ut ei sententiæ plurimum deferatur, in quam eorum plurimi convenerint, quamdiu ea satis patentibus argumentis everti non potest. *Quartò*, magnum etiam hîc pondus habere debet Oeconomia universa vitæ Christi à Baptismo ad mortem usque accuratè expensa; ac nominatim, an inter Baptismum & Nuptias in Canâ unus privatæ velut vitæ annus intercurrerit. Item quot annos impleverit Christi Prædicatio has nuptias subsecuta, & quo rerum gestarum ordine. *Quintò*, ut

Passionis

Passionis annus in quem maximè conspirat tum Antiquitas, tum ratio nixa symmetriæ totius ambitûs vitæ Christi, nobis perpetuò pro Cynosurâ sit, in quam oculos habeamus intentos; ne quid sit quod cum illo anno apprimè non conveniat.

Qui hæc partim jam stabilita, partim postea stabilienda, diligenter, seclusoque partium studio expenderit; non ægrè (opinor) mecum fatebitur, nullum esse annum in quem omnia jam recensita æquè quadrent, ac annum ineuntem 28 Æræ Vulgaris; sub quo comprehendi debet exiens Vulgaris annus præcedens, cujus postremi saltem tres menses ad eumdem Orientalium Civilem annum pertinent, quo utuntur Eusebius, aliique, præsertim Græci, prout aliàs monuimus. Eligitur An. Vulg. 27. exiens, aut 28. iniens.

Ac primùm quod attinet ad temporis notas à Lucâ signatas, nulla ex dictis superesse potest difficultas, quò minùs in annum 27 Vulgarem desinentem, aut in 28 incipientem incurrat tum Præfectura Pilati, tum Annæ & Caiphæ Pontificatus, tum Herodis, Philippi, ac Lysaniæ Tetrarchia. Solus igitur Tiberii annus quintus-decimus nonnullos remorari posset, qui, ejus annos ab Augusti morte supputando, contendunt postremo quadrimestri annni 27 Vulgaris, & priore septimestri anni 28, in cursu dumtaxat fuisse annum Tiberii quartum-decimum: ex quo consequens est Christum intra illud spatium non potuisse baptizari; sed, ut quàm citissimè, anno demum 15, initium ducente à die 19 Augusti, anni Dionysiani 28; ex quo ulteriùs sequitur, non potuisse ante Januarium anni 29 Vulgaris Baptismum suscipere, si quidem eo Mense susceperit. His applicatur characteres suprà allati. Difficultas ex Anno 15. Tiberi,

Hoc argumento se aliquando superatum fuisse, & Baptismum Novembri Anni 28 Vulgaris cum Epiphanio attribuisse, testatur Deckerus in MSS. Verùm cùm hoc omnes ejus rationes conturbaret: tandem tantus annorum solidorum patronus in causâ mortis Herodis Ascalonitæ, ad Prolepsin confugit in negotio Baptismi Christi, ut videre est in ejus *Velificatione*, *Parte* 2, *Thesi* 1, *Annotat.* 14: ubi quia quædam admiscet minùs vera, obiter tollendus erit nævus ille. Ait autem *Thesi illâ*, *Veteres Fastorum Tabulas signare annum quintum-decimum Tribunitiæ Potestatis Tiberii, atque adeò Imperii ejus, Julio Silano, & Silio Nervâ Consulibus, Anno Juliano* 73, *Indictione* 1; hoc est, Anno Vulgari 28: quod utique, quantumcumque nobis faveat, non potest ullo modo admitti. Nam ex superstitibus Fastorum Capitolinorum Fragmentis evidentissimum est, annum illum Vulgarem 28 fuisse Tribunitiæ Potestatis Tiberii tricesimum: quod ipsum tum ex antiquis illius Imperatoris Numis, tum ex variis Inscriptionibus, ac speciatim ex eâ, quæ Urnæ cinerum ejus apposita fuit, legiturque apud Gruterum, *pag.* 236, omninò constat; uti & ex iis, quæ *suprà* dicebamus de Annis Tribunitiæ Potestatis Tiberii pari passu non procedentibus cum Annis Imperii ejus: quandoquidem hi à morte Augusti non processerint ultra 23; illi ad 38 ascenderint. Denique ex veteribus monumentis jam dictis prorsus constat, decimum-quintum annum Tribunitiæ Potestatis Tiberii concurrisse cum anno Vulgari 13, qui Augusti mortem proximè præcessit; adeoque & Monarchicum Tiberii Principatum. Molesta Deckerio, cui nævus adimitur de Annis Trib. Pot. Tiberii.

Ut igitur argumento jam facto respondeam, dico annos Tiberii, prout jam suprà ostensum est, scrupulosiore illâ ratione non supputari à compluribus Antiquis Scriptoribus Ecclesiasticis; sed annum 14 Vulgarem, quo jam adulto, post Solvitur difficultas mota suprà.

Augusti Cæsaris obitum, solus Tiberius imperare cœpit, per Prolepsin numerari ejus primum à Kalendis saltem Januariis. Ex quo consequens est, ut annus Vulg. 28. iniens sit Imperii ejus decimus-quintus. Quod si cum Eusebio, aliisque, imò & (quantum apparet ex dictis suprà) cum ipsomet Lucâ Evangelistâ, annum primum Tiberii accersamus à capite Anni Antiocheni, seu ab Autumno anni Vulg. 13; habebimus Annum Tiberii 15 ineuntem Autumno Anni Vulg. 27, & desinentem vertente Æstate anni proximè sequentis: quæ posterior supputandi ratio commodissima est vel eo nomine, quòd plusculum temporis interjici possit inter initium Prædicationis Joannis, & Baptismum Christi, quem non omninò inter primos ad Baptistam accessisse censent varii admodū verò-similiter.

Solutio alia. Quod si cujuspiam plenorum annorum supputatoris aures ista non impleant; præstò est altera illa (de quâ *suprà*) Tiberii Epocha ab Hervarto asserta; à tempore nimirum communicati cum eo Imperii, labente, ut *suprà* dicebamus, imò jam affecto anno Vulg. 12. Juxta quam Epocham annus Tiberii quintus-decimus posteriore sui parte occupat prius octimestre aut nonimestre anni 27 Dionysiani, intra quod *factum fuerit verbum Domini super Joannem*; qui mox prodire in publicum cœperit, & injunctum sibi a Deo munus aggredi. Quo dato, Baptizatus fuerit Christus decimo-sexto Tiberii anno per pauculos peculiaris hujus Æræ Menses inchoato; quod Lucæ verbis minimè repugnare, suprà est demonstratum.

Explicatio Bucherii minùs probata. Paulò aliter hujus Epochæ calculos subducit Bucherius, *lib.* 3 *Belgii Romani, cap.* 3, *num.* 3. Annos enim communicati Tiberio Imperii deducit à *quarto Idus Decembris*, quo (juxta Dionem, *lib.* 53, & Dionysium Halicarnasseum, *lib.* 6) *solebant Imperatores Romani quotannis Potestatem suam Tribunitiam cum Tribunis plebis ejus anni renovare.* Verùm non videtur satis advertere non agi nunc de ipsa Tribunitiâ Potestate, quam utique jam dudum (Anno scilicet 4 Dionysiano, quo ab Augusto est adoptatus) resumpsit Tiberius, & nullâ factâ interruptione ad suum usque obitum retinuit: sed agi propriè de consortio Imperii collato statim à Triumpho Tiberii de Dalmatis & Pannoniis, qui utique nullum ad diem 4 Idus Decembres respectum habuit, & affectâ potiùs æstate anni 12 Vulgaris actus fuit; ut proinde potiùs circa initium Autumni illius anni figendus videatur cardo horum annorum Tiberii.

Prior solutio sufficit. Cæterùm hac posteriore solutione non utor, nisi velut subsidiariâ, &, ut dici solet, *ex abundanti.* Alioqui enim priorem, cui potissimùm inhærendum censeo, abundè sufficere nemo negare poterit, qui in Antiquorum Scriptorum lectione fuerit diligenter versatus.

Applicatur nostræ sententiæ character Ætatis Christi. *Secundum*, quod suprà dicebamus de Christi ætate, tempore suscepti Baptismi, non nimiùm removendâ ab anno trigesimo, satis religiosè, opinor, à nobis observatur; dum Baptismum adscribimus aut vertenti anno 27 Vulgari, aut 28 ineunti. Si enim prius illud admittitur; necdum compleverit Christus annum suum 31: si posterius; annum tricesimum secundum per tredecim tantùm dies inchoarit. Quis autem inficietur id ætatis hominem recepto passim loquendi modo dici esse annorum *plus minus*, seu *circiter* triginta; quem sensum cadere in verba Lucæ, suprà significabamus.

Tertium,

Tertium, de receptiore Antiquorum Patrum sensu, manifestum ex dictis: conspirant enim plerique omnes in annum 28 ineuntem, ad quem, morali consideratione, monebamus antea debere reduci annum 27 exeuntem; præsertim cùm & hujus finis, & illius initium, in eumdem annum seu Judaicum civilem seu Antiochenum toti Orienti maximè familiarem incurrant.

Antiquitas à nobis stat.

Circa *quartum*, quod paulò plures involvit difficultates, communissimæ ac probabilissimæ opinioni insisto, quæ, excluso anno inter Baptismum & Nuptias in Canâ medio, triennalem Christo Prædicationem tribuit cum S. Ignatio Martyre *in Epistola ad Trallianos*; quâ de re fusiùs & accuratiùs alibi dicendum erit. Qui plures annos Evangelismo Christi largiuntur, & contra Antiquitatis sensum, & citra ullam necessitatem id faciunt; nec tam sensa sua Scripturis sacris, ut par erat, quàm has suæ præjudicatæ Chronologiæ aptare satagunt. Opinio autem Antiquorum, qui annum unicum Prædicationi à Christo impensum existimarunt, adeò caduco nititur fundamento; ut jam penitùs exoleverit, & communi consensu rejiciatur. Quo magis mirum est eam potuisse recentissimè denuo suscitari à Vossio, *in Dissertat. de Tempore Dominicæ Passionis, Thesi* 5. Sed assertionem hanc suam tueri non potuit, nisi aut (contra omnium Græcorum Codicum, omniumque Versionum fidem) invehendo mendum in textum Joannis *cap.* 6. *v.* 4, in quem temerè suspicatur irrepsisse vocem *Pascha*; aut admittendo ὕστερον πρότερον in Evangelistâ, qui, omnium confessione, observantissimus est ordinis temporum; imò & ejus norma. De illâ equidem opinione scribere non veretur Nicolaus Abramus, *lib.* 15 *Phari Veteris Testamenti*, *cap.* 13, *num.* 81: *Cùm ex Evangelio constet Christum à Baptismo tria saltem Paschata peregisse, eam jam ita penitùs obsolevisse; ut Christianus nemo dubitet tam falsam esse, quàm verum est subesse nullam Evangelio falsitatem.* Biennium Prædicationis, ut olim ab Apollinario & Epiphanio probatum fuerit, vix cuiquam hodie probatur: neque nunc è Recentioribus quisquam, præter Petavium, memoriæ occurrit, qui illi suffragetur. Quod verò Vossius *suprà*, *Thesi* 18, cum his sentire scribit Eusebium & Hieronymum, graviter hallucinatur; ut partim ex dictis, partim ex dicendis patebit evidentissimè. Verba quæ velut ex Hieronymi Commentario *in caput* 9 *Danielis* desumpta allegat; clarum est Hieronymi ipsius non esse, sed Apollinarii: ut cuivis locum illum legenti patet.

Triennium Prædicationis statim à Baptismo inchoatæ à Christo.

Improbabilitas opinionis unicum annû Prædicationi tribuentis.

Biennium communissimè rejectum.

Quoad *quintum*, deligemus *Quæst.* 3 Passioni annum 31 Vulgarem, quem & Veteres plerique probaverunt, & Historia Ecclesiastica maximè confirmat, totaque rerum à Christo gestarum symmetria; quod postremum accuratiùs in Commentario Evangeliorum erit stabiliendum.

Symmetria opinionis nostræ cum Anno Passionis.

Ex his omnibus capitibus meritò, quoad Christi Baptismum, cæteris præferendus visus est annus Vulgaris 27 exiens, aut 28 iniens; ut sit locus trium annorum Evangelismo post Baptismum, attributâ, cum præcipuâ Antiquitate, Passione anno 31 jam dicto.

Consectarium.

Texunt hîc nonnulli prolixos discursus, ut suæ sententiæ de Baptismo accommodent Gabrielis vaticinium, de quo *Danielis cap.* 9, ubi evolvendæ dicuntur annorum hebdomades 69, seu anni 483, *ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem*, seu Legislatorem & doctorem. Ego in

Consensus Vaticinii Danielis, cum nostrâ sententiâ.

tantâ opinionum varietate satis nunc habebo significâsse eam mihi maximè probari, quæ hebdomadarum illarum initium figit in anno, præter propter, vigesimo Artaxerxis Longimani, ex quo cum parente Xerxe regnare cœpit: ita nimirum ut annales illæ hebdomadæ procedant ab Autumno (cardine apud Orientales receptissimo) anni Per. Jul. 4257, seu 457 ante Christi Æram Vulgarem, quo labente iniit annus 4 Olympiadis 80, completaque est à Nehemiâ Templi ac Urbis instauratio. Hanc enim à Gabriele, *Danielis cap.* 9, designari per *exitum sermonis* (seu finem, exitum, executionem mandati à dicto Rege profecti) *ut iterum ædificetur Jerusalem*, admodum probabile facit Tirinus, *sui Chronici sacri*, *cap.* 38; favetque vox textûs originalis *Motsa*, quæ inter alia, *adeptionem*, *consecutionem*, *existentiam*, *præsentiam* significat; ut colliges ex iis quæ adfert Buxtorfius in Lexico suo Chaldaico, ad dictam radicem. Quo concesso, si ab Autumno anni illius 4257 numeraveris 69 hebdomadas plenas, seu 483 annos Solares (quales hîc omninò admittendi videntur) incurres in Autumnum anni Per. Jul. 4740, seu Vulgarem 27. Atque ita sive Christus Autumno illo; sive Januario sequente dicatur baptizatus, & à Patre Doctor ac Legislator noster declaratus palàm; semper ad unguem cum veritate congruet Vaticinium Gabrielis. Vide plura de his apud Deckerium, *in Velificatione*, Henricum Philippi, *in Quæstionibus Chronologicis Veteris Testam.* & alios passim.

CAPUT NONUM.

Quo Mense, quo die, quâ Feriâ baptizatus sit Christus.

Plerique favent diei 6. Januarii.

PLurimorum semper fuit, estque hodie sensus, id peractum die sexto Januarii, seu Ægyptiaci Mensis Tybi die undecimo. Hieronymus tamen, *Comment. in Ezechielis cap.* 1, ad illa verba, *Anno trigesimo, die quinto quarti Mensis*, Baptismum diei quinto Januarii, qui ab Octobri annum olim apud Orientales inchoante quartus est, disertè tribuit. Idem sensisse videtur Author orationis postremæ in Pascha, *quæ To.* 5 *Operum Chrysostomi legitur*, dum ait, *decimâ-tertiâ die Mensis quarti secundùm Asianos*, peracta fuisse Theophania, seu Mysteria Manifestationis Christi in Baptismo. Initium enim apud Asianos sumebat quartus ille Mensis, *Peritius* dictus, à die 24 Decembris, ut declarat Usserius *lib. de anno Macedonum & Asianorum*; ac proinde tertius-decimus illius dies cum quinto Januarii concurrebat. Accedit quod Constantinopolitani olim Festum Baptismi Christi die 5 Januarii agerent; ut ex Curopalate & ex Manuelis *Novellâ* 1, *de Feriis*, colligit Petavius *in Animad. ad Epiphan. Hæresi* 51, *n.* 24, *pag.* 33. Quæ unici diei diversitas conciliari non ægrè potest, si existimetur Christus eâ nocte baptizatus, quæ intèr diem quintum & sextum Januarii fuit media; ideoque tam ad hunc, quàm ad illum diem potuit pertinere.

Quidam aliis diebus eiusdem Mensis.

Eodem Mense, sed non eodem die Festum hoc celebrabant Hæretici Basilidiani, quos Clemens Alexandrinus, *lib.* 1 *Stromat.* asserit solemnitatem hanc inchoasse à nocte præcedente diem 15 Mensis Tybi, seu 10 Januarii. Neque fortè

fortè ab his longè abibant Armenii, qui, ut testatur Isaac Catholicus, *in suâ contra eos Invectivâ*, *Hæresi* 14, die 12 Januarii Officium *Luminum*, seu Baptismi decantabant. In exeuntem usque Januarium vel ineuntem Februarium, Baptismum differt Temporarius, *Demonstrat. Chronol. pag.* 166: sed fundamento penitùs nullo.

Nonnulli etiam quibus hyemis rigor Baptismo parum conveniens videtur, ad Autumni teporem confugiunt. Ex his quidam satis habent generatim eam anni tempestatem expressisse; ut Bucholcerus & Lydiatus. Calvisius finem Septembris assignat: Funccius & Buntingus diem decimum Mensis Tisri, seu Judaicum Festum Expiationis, quo caper emissarius, de quo *Levitici cap.* 16, à Pontifice in desertum amandabatur; utique, inquiunt, typus Christi à Spiritu Sancto statim à Baptismo in desertum ducti, ut testantur Evangelistæ. Varii Autumnum præferunt. Bucholcer*, Lydiatus, Calvisius, Funccius, Buntingus.

Ammonius Alexandrinus, qui circa annum 200 Æræ Vulgaris florebat, satis indicat se ab Autumno, saltem adultiore, alienum non esse, dum *cap.* 3 *Harmoniæ Evangelicæ* scribit, Christum *dum à Joanne tinctus est lavacro*, *trigesimum fermè ætatis annum attigisse.* Quem enim, ex communi suorum Ægyptiorum sensu, natum credidit sextâ die Januarii, non potuit censuisse absuisse proximè à complendo anno suo 29, nisi aliquanto ante diem illam spatio temporis. Eadem est etiam ratio Caietani, *in cap.* 3 *Lucæ*, ubi iisdem ferè, quibus Ammonius utitur verbis; cum hoc tamen, uti credere par est, exiguo discrimine, quod de die Natali Christi sentiat quod hodie sentit Ecclesia tam Latina, quàm Græca. In eamdem sententiam accommodari possunt verba Irenæi; *lib.* 2, *cap.* 39, docentis Christum *ad Baptismum venisse*, *qui nondum triginta annos supplevisset* (seu implevisset) *sed qui inciperet esse tamquam triginta annorum.* hoc est, cùm non longè abesset à complendo anno suo 30. Ammonius. Cajetanus. Irenæus.

Præcisiùs rem hanc definit Epiphanius, *Hæresi* 51, *num.* 24, dum Christi Baptismum refert ad diem 8 Novembris, seu sextum ante Idus ejusdem Mensis, duodecimum Ægyptiaci Mensis Athyr, decimum sextum Macedonici Apellæi, &c. quæ diversarum, sed optimè inter se congruentium supputationum congeries nullum de Epiphanii mente dubium relinquit. In hanc etiam opinionem se propendere satis demonstrat Jansenius Gandensis, *cap.* 14 *Concordiæ Evang.* item Kepplerus, *in Eclogis Chronol. pag.* 68, ubi scribit, pro Baptismo die 5 Novembris suscepto stare rationem; authoritatem verò Antiquorum pro die sextâ Januarii. Ad Novembrem ineuntem non ægrè fortè pertrahi possent Ammonius, Irenæus, Caietanus, de quibus suprà; viderique potest ab eâ sententiâ non esse alienus Christmannus, *Præfat. in Calendarium Palæstinum.* Epiphanius. Jansenius Ganden. Kepplerus. Christmannus.

Si quod sentio, liberè expromere liceat, fateor valde durum mihi videri, quod nonnulli opinantur, Joannem ipso Januarii exordio aggressum esse publicè Præcursoris munus, & tum prædicationi, tum Baptismo suo initium dedisse. Quid enim alienius ab humano agendi modo fingi potest, quàm rigente hyeme homines provocare ad Baptismum, in quo tam viri, quàm fœminæ, tam juvenes quàm senes, sua corpora penitùs nuda aquis tantùm non congelatis tota immergere debebant? Collatum siquidem fuisse hac ratione Baptismum à Joanne, & censent varii, & satis significant Evangelistæ, ut paulò pòst videbimus; & suadet Mens Authoris favet Autumno. Ejus ratio. nuda penitùs corpora, tota aquis immersa in Baptismo.

similis Baptismi ritus in Ecclesiâ per plura sæcula usurpatus; haud dubiè Apostolorum ipsiusque Christi exemplo. Consule de hoc Ecclesiæ ritu Josephum Vicecomitem, *lib. 4 Observationum Ecclesiast. cap. 5, 10, 11.*

Exceptio contra extremam nuditatem.

Scio extremam illam nuditatem, etiam quoad Baptismum Ecclesiasticum, non probari nostro Rosweydo, *in Onomastico ad Vitas Patrum, Verbo, Baptismus nudorum*; eo quòd parum honesta & decens videatur. Unde ibidem existimat Sanctos Patres, dum scribunt *nudos* olim Baptizatos fuisse, sic esse intelligendos; ut tantùm velint detractam vestem superiorem, retentâ inferiore; aut saltem ita ut non excludant præcinctorium aliquod ventri lumbisque circumdatum. Rosweydo, quem citat, consentire videtur Henschenius, ad diem 19 *Februarii, in Vita S. Cononis.* Et verò negari non potest *nudos* ad eum sensum subinde quosdam vocari tum in Scripturis Sacris, tum in prophanis Authoribus. Clarissimum hujus acceptionis exemplum est in Davide, qui *lib. 2 Reg. cap. 6*, dicitur *nudus saltasse* ante Arcam Dei; cum tamen, ut ibidem habetur, saltem indutus esset ephod lineo. Item Seneca, *lib. 5 de Beneficiis, cap. 19*, observat, hominem malè vestitum & pannosum vocari passim *nudum.* Verùm hanc explicationem verbis SS. Patrum aliorumque Antiquorum, nullo modo satisfacere satis certum videtur. Proferam è multis paucos, atque in primis Dionysium, *lib. de Hierarchiâ Eccles. cap. 2*, ubi postquam dixit Baptizandum per Ministros exui ante abrenuntiationem; paucis interjectis, subdit, eum ad Sacram unctionem Baptismo præviam *exui penitus*, τελείως, seu, *perfectè.* Ex quo patet in priori detractione vestium solam superiorem, in posteriore omnes fuisse abjectas; & ita Dionysium intellexerunt tum S. Maximus, *in Scholiis ad illud caput*; tum Georgius Pachymera, *in Paraphrasi.* Scribit præterea Simeon Metaphrastes, *in Vita S. Sylvestri,* Constantinum Imperatorem, *confusione contemptâ, latum exuisse ultimam tunicam, probrum carnis subjecisse oculis, unctum fuisse, & piscinam Baptismalem ingressum.* S. Cyrillus Hierosol. *in Catechesi Mystag. 2, ad recens Baptizatos*, ita eos alloquitur: *Statim ut ingressi estis, vestem exuistis . . . . . atque ita exuti eratis nudi, imitantes & in hoc eum qui in cruce nudatus fuit, Christum* (omnino nudum crucifixum fuisse, sentiunt Ambrosius, Athanasius, Augustinus, Hesychius, Bonaventura, Ludolphus, Paleotus, & post eos Suares, *To. 2, de Incarnat. disp. 36, sect. 4* Theoph. Raynaudus, *in Metamorph. Latronis, cap. 2*) *O! rem admirandam: nudi fuistis in conspectu omnium; & non vos pudebat. Revera enim in hoc protoplasti Adam ferebatis exemplum, qui nudus in paradiso fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore.* Quid clarius dici potest? Pergit Cyrillus: *Deinde verò jam exuti, exorcizato oleo à summis capillis usque ad inferiora* (corporis) *peruncti estis.* Postrema hæc verba satis assecutus non fuit Joannes Prevotius, Cyrilli Interpres, qui *ad infimos usque* dumtaxat *capillos* unctionem pertigisse censuit: cùm tamen certum sit ex Euchologio Græcorum, *in Officio S. Baptismatis*, aliisque Antiquis totum Baptizandi corpus inunctum olim fuisse; quod non malè explicat Jacobus Goar de ductu olei à capite ad pedes per latera; ut verecundiæ ratio haberetur.

Excluditur ex Dionysio, Maximo, Pachymerâ.

ex Metaphraste.

ex Cyrillo Hierosol.

Confirmantur jam dicta ex ritu Unctionis.

Atque ex hoc unctionis ritu non parùm confirmatur omnimoda nuditas: nec enim totum corpus, etiam modo hoc honestiore, commodè inungi potuit retentâ

interulâ

interulâ, aut præcinctorio aliquo, quin incurrerentur incommoda, quæ alii student evitare studio honestatis. Confirmatur & ex eo quod Joannes Moschus, *in Prato spirituali*, *c.* 3. narrat de S. Conone Presbytero Monasterii Penthuculæ: Cùm enim *quoties mulierem inungeret* (modo jam explicato) *scandalizaretur*; ideóque ex Monasterio *abscedere vellet*, adstitit ei S. Jo. Baptista promittens se liberaturum eum ab hoc Bello. Sed cùm advenisset aliquando è Perside puella speciosissima Baptismum postulans, quam ob pulchritudinem *non posset* (citra scandalum) *nudam sacro oleo inungere*, aufugit Presbyter è Monasterio, nec ut reverteretur adduci unquam potuit, etiam à S. Joanne Baptistâ; donec hic, signo crucis infra umbilicum impresso, omnem illi sensum libidinis adimeret. Quo facto, ***unctam puellam baptizavit***, ***neque penitùs animadvertit eam esse naturâ mulierem.*** Postrema hæc verba satis apertè, ni fallor, extremam nuditatem indicant; aliunde autem tanta Joannis Baptistæ accuratio ut etiam nudam ad hunc modum puellam ungeret ac baptizaret; non obscurè innuit eum in suo quoque Baptismo de nuditate tam virorum quàm fœminarum, non fuisse admodum sollicitum, quod quidem ad eum spectabat. Cæterùm præter communem antiquæ Ecclesiæ morem fuit, quod Conon fœminis totum corpus per se ipsum inungeret: has enim olim inungebant Diaconissæ annum saltem sexagesimum, ex Apostoli præcepto, ingressæ, & plerumque viduæ, Ministro solam Baptizandi frontem liniente; ut patet ex Clemente Romano, *lib.* 3 *Constit. cap.* 15. variis tamen in locis etiam verticem, nares, pectusque liniebat.

ex facto S. Cononis.

Diaconissæ fœminas ungebant.

Quod verò de toto baptizandorum corpore aquis Jordanis immerso suprà dicebamus, fidem accipit tùm ab extremâ hâc nuditate, quæ alioqui sine causâ fuisset adhibita; tum quòd Baptismus dicatur factus in Jordane, & Christus ex hoc *ascendisse*; tum quòd scribat Evangelista Joannem sectatum esse locum in quo *multa erant aquæ*; quod ad meram aspersionem, aut levem suprà caput affusionem aquæ, aut etiam ad immersionem genuum tenus non erat necessarium; tum quòd plena illa immersio totius præteritæ vitæ sordes abluendas significaret; tum quòd talis olim universalissimè fuerit Ecclesiæ usus, ùt passim testantur SS. Patres, qui, quoad hoc, nullum inter Christi ac Joannis Baptismata discrimen ponunt. Vide eorum, ac Recentiorum Interpretum explicationes illius loci, ***ad Romanos cap.*** 6, *v.* 4: *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem:* ubi trinam immersionem comparant triduo sepulturæ Christi; & emersionem ex aquis ejusdem Resurrectioni. Vide nominatim Euthymium mox citandum pro Baptismo Joannis. Vide item Judæorum ritum in Baptismo mulierum proselytarum, apud Buxtorfium, *pag* 408 *Lexici Thalmudici*.

Totum corpus in aquas demittebatur,

Porrò argumentum à nobis suprà desumptum ex hyemis rigore contra administrationem Baptismi hiberno tempore peractam à Joanne, omnem vim suam obtinet; quamvis dicantur baptizandi vestem inferiorem retinuisse, aut linteum aliquod ventri ac lumbis præcinxisse. Aqua siquidem subintrans, & toto corpori adhærens, eumdem pœnè cruciatum intulisset; ac si nihil hujusmodi assumptum fuisset. Hæc tamen stabilienda existimavi, tum ad rei veritatem declarandam; tum maximè ad excludendum Baptismum pleno die administratum; de quo postea.

Etiam seclusâ summa nuditate, urget argumétum.

Quid

Mora in aquâ ad cōfessionem peccatorū.

Quid si autem non modico temporis spatio singulis in aquâ hærendum erat, dum scilicet, ut innuit Matthæus, *cap.* 3, *v.* 6, *peccata sua confiterentur*, non generatim tantùm & confusè; sed etiam (ut censent varii admodum probabiliter) sigillatim & distinctè: quod in Vetere Lege novum non fuisse facillimum est ex ipsismet Judæis demonstrare? Disertè id docet Rabbi Moses Ben-Majemon, *in Jad chazakah*, *Tract. de Pœnitentiâ*, *cap.* 1: *Si qui* (inquit) *peccaverunt & deliquerunt, offerentes sacrificia pro errore suo, aut proterviâ; reconciliationem oblationibus suis non consequentur; donec egerint pœnitentiam, & confessi fuerint confessione verbali, juxta illud, Levitici cap.* 5, *v.* 5: *& confessa fuerit id quo peccavit.* Hæc Levitici verba Hebræa ita etiam vertit Sanctes Pagninus, & alii; licèt nostra Vulgata aliter. Plura de his suggeret Josephus de Voisin, *tum in Theologiâ Judæorum*, *tum in Observationibus ad Proœmium Pugionis Raymundi Martini pag.* 144, ubi ex ipso Thalmudo, *in Tractatu Joma*, ostendit debuisse sigillatim exprimi peccata; item *ex libro Ikkarim*, inter alia probat fuisse Sacerdotum (ex quibus erat Joannes) audire confessionem, & absolvere (quatenus per Legem Veterem licebat) pœnitentem. Complures quoque ex Interpretibus sacris confessionem peccatorum fuisse apud Judæos olim frequentatam, docent, ac nominatim Bonfreiius, *Comment. in cap.* 6 *Levitici*; imò & ex Heterodoxis Grotius, *ad caput* 6 *Matthæi*. Non obscurè idem innuit Cyrillus, quem *in Catenâ Græcorum PP. ad Matthæi cap.* 3, *v.* 16, adfert Possinus noster in hæc verba: *Veteres, quiq; ante Christum fuêre, eos, qui ab ipsis baptizabantur, detinebant in aquâ, donec peccata sua confessi essent. Christus autem, cùm esset peccati expers, nec ejus capax, statim ascendit* (alludit ad verba Matthæi, *baptizatus autem JESUS confestim ascendit de aquâ*) *neque enim ut pœnitens baptizatus est; sed ut purgans peccata, & sanctificans aquas.* Ex luculentissimo hoc Cyrilli testimonio habemus: *Primò*, Baptismum per modum ritûs sacri adhibitum fuisse à Judæis, etiam ante Christum; prout hodieque certis occasionibus usurpatur ab iisdem, ut docent Grotius *suprà*, Buxtorfius *in Lexico Thalmudico*, *pag.* 407, & alii. *Secundò*, eos qui à Judæis baptizabantur, intra aquam hæsisse toto tempore, quo peccata sua confitebantur. *Tertiò*, ex oppositione eorum cum Christo peccati experte, ideoque statim ex aquis ascendente, satis apertè colligi, alios à Joanne baptizatos tam diu in aquâ detentos fuisse; quamdiu peccata sua explicabant.

Confessio probatur ex Judæis ipsis.

ex Interpretibus S. Scripturæ.

ex Cyrillo.

Ipsi S. Joanni applicatur difficultas.

Et verò hoc ipsum est, quod nonnullis (quos non nominat) tribuit, & tacitè approbat Euthymius, *in caput* 3 *Matthæi*, in hæc verba: *dicunt nonnulli, quod unumquemque baptizatorum in aquam ad collum usque immissum detinebat* (Joannes) *quousque peccata sua confessus esset; & post confessionem ascendebat de aquâ.* Scio Maldonatum *mirari* hoc ab Euthymio *creditum & dictum*: sed nulla prorsus est admirationis materia, ut ex jam dictis est manifestum; imò id omnino suadere videntur verba illa Matthæi: *Baptizabantur ab eo* (Joanne) *in Jordane confitentes peccata sua*; uti & similia Marci, *cap.* 1, *v.* 5. Quis enim magis obvius horum verborum sensus? Lubet suprà dicta obsignare præclarâ Estii observatione, *in Annotationibus*, *ad illum locum Matthæi: Non dicitur confiteri peccata sua, qui tantùm in genere confitetur se peccatorem esse; sed qui peccata sua cum agnitione culpæ*

culpa enumerat. Videntur autem propterea confessi peccata sua, qui ad Joannem baptizandi accedebant; quia Baptismus Joannis erat externa quadam professio pœnitentiæ, cui proinde conveniebat adjungi externam & vocalem peccatorum confessionem; eò maximè, quòd, qui à Joanne baptizabantur, simul etiam quærebant consilium vitæ in melius commutandæ; ut expressè Lucas refert: qui autem hujusmodi petit consilium, exponere debet actus vitæ præteritæ. Hac verò distinctâ peccatorum confessione, peragendâ in Jordane, semel admissâ, & ad Brumæ frigus relata; satisne causæ esse videbitur, cur tanta austeritas, aut etiam rigiditas, probanda non existimetur in ipso aditu, & velut limine hujus ritûs?

Crescit non parum difficultas, si Joanni ipsi, quantumlibet in seipsum severo, applicetur. Toto enim, quo Baptismum administrabat, tempore, morandum illi fuit in aquâ, saltem lumborum tenus; quod aurâ tam gelidâ fuisset diuturnitate ipsâ non tantùm molestissimum, sed prorsus intolerabile. Porrò Baptismi Ministrum in aquas olim descendere solitum simul cum baptizando, satis patet ex facto Philippi Eunuchum Candaces baptizantis, *Actor. cap.* 8, ubi dicitur *uterque in aquam descendisse*; tum ex vetustissimo Ecclesiæ usu, de quo sic loquitur Ordo Romanus, *cap. de Sabbatho Sancto: Presbyteri ingrediuntur in Fontem* (seu Baptisterium) *intrò aquam; & Baptizantur primò masculi, deinde fœminæ:* pro cujus ritûs universaliore confirmatione, consule Josephum Vice-comitem *lib.* 1 *de Baptismo, cap.* 10, ubi ostendit Baptisteria fuisse olim infra Ecclesiæ pavimentum depressa, & Baptizandos in illa per aliquot gradus descendisse. Vide & Fortunatum Scacchum, *Sacrorum Eleochrismatôn Myrothecio* 1, *cap.* 30, *pag.* 284, ubi disertè docet Joannem Baptizandos *abluisse, immersisse, & ex aquis levasse*; ac mox subjungit: *Qui verò ad illum Baptismi causâ venientes accessissent, illotus ipse in alvei ripâ, in saxo, aut scopulo non excipiebat, aut baptizabat, quemadmodum pictores coloribus contemplandam Baptismi Joannis historiam præferunt* (*licet hoc satis fuisset in aqua & ablutionis ministerium*) *sed unà cum baptizando ipsum quoque Joannem in aquam descendere consuevisse arbitror, ad fidei, amicitiæq; symbolum.* Et hoc ipsum in Christi Baptismo observatum speciatim fuisse scribit, *pag.* 287.

Ipsi S. Joanni applicatur difficultas.

Quod si quis opponat, in variis Ecclesiis, nominatim apud Græcos, vetusto illo ritu collatum fuisse Baptismum, etiam ipso Epiphaniorum die; adeoque non esse cur, ad excludendam hyemem, tanta fiat vis, seu in nuditate corporis extremâ, quæ tunc quoque non omittebatur; seu in auræ brumalis rigore. *Objectio.*

Respondetur, longè facilius fuisse intra locum conclusum depellendo aut mitigando frigori consulere, vel extructo foco, vel aquâ calidâ in Baptisterium immissâ, quàm in flumine, & loco patente, ac ventis aliisque aëris injuriis exposito. Præterquàm quòd, positâ peccatorum confessione apud Joannem instituendâ, multò plus temporis ad peragendum ejus Baptismum requireretur, quàm ad nostrum, qui pœnè momento absolvitur. *Solutio.*

Si urgeas, etiam olim Baptismo nostro præmissam fuisse peccatorum confessionem; ut constat ex Tertulliano, *lib. de Baptismo, cap. ult.* Cyrillo Hierosolymitano, *Catechesi* 1, Metaphraste, *in Vitâ S. Sylvestri*, aliisque. *Objectio.*

dem suam de tribus illis suprà recensitis mentem Ecclesia ipsa dubiam esse non sinit. Quinto enim infrà illius Festi Octavam die nobis, etiam inter divina Officia, recitandam offert Homiliam S. Maximi Episcopi ita loquentis: *Ferunt hodie Christum Dominum nostrum vel stellâ duce à Gentibus adoratum; vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse; vel suscepto à Joanne Baptismate consecrasse fluenta Jordanis.* His disjunctivè propositis subjungit S. Maximus: *Sed quid potissimum præsenti hoc factum sit die, noverit ipse, qui fecit. Nos tamen credere, nec dubitare debemus, quidquid illud sit, factum esse pro nobis.* Potuisset ne apertiùs Ecclesia nobis testari, nihil se hactenus satis explorati habere de tempore, quo hoc aut illud ex tribus enumeratis acciderit? An diversos dies non coguntur assignare Baptismo & conversioni aquæ in vinum innumeri illi Græci ac Latini, qui probabilissimè nobiscum negant à Baptismo ad nuptias in Canâ annum solidum fluxisse?

Equidem S.Leo Papa, dum *Epistolâ* 4 acriter objurgat Episcopos Siciliæ, quòd Baptismo Catechumenos initiarent in Epiphaniis, seu die 6 Januarii; satis perspicuè declarat se in eâ opinione fuisse, quæ Christi Baptisma in aliud tempus rejicit. Ibi enim *cap.* 6, sic habet: *Si quis autem Epiphaniæ festivitatem, quæ suo in ordine, debito honore veneranda est, ob hoc existimat privilegium habere Baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eâdem die Dominus ad Baptismum S. Joannis accesserit, sciat &c.* An ita locutus fuisset, si aut idem ipse sensisset, aut eum esse Ecclesiæ sensum credidisset? Cæterùm (ut hoc obiter inseram *ex Notis Jacobi Goar ad Euchologion*, *pag.* 467) quidquid & S. Leo, & Siricius Papa, imò & plura Concilia, à Pamelio, *in caput* 19 *Tertulliani*, *de Baptismo*, adducta, fategerint, ut mos ille solemnem Baptismum in Epiphaniis conferendi antiquaretur; id ab Orientalibus minimè impetrare potuerunt: eo quòd consuetudo illa, cujus testis est S. Gregorius Nazianzenus, *Oratione* 39, dudum apud eos invaluisset. Confirmatur ex Leone Papâ.

Quia tamen unum saltem ex tribus illis diei Epiphaniorum tribui aut conveniens est, aut omnino debet; quando id exigere videtur tum communior Fidelium sensus; tum S. Maximi contextus; commodissimè diei illi adscribetur Magorum adoratio, de quâ totum ferè Officium Ecclesiasticum tunc peragitur; imò addi præterea poterit aquæ in vinum mutatio, si Baptismus à Christo susceptus sit initio Novembris. Diei 6. Januarii tribuenda Magorum adoratio, fortè & nuptiæ in Canâ.

Hoc postremo de Novembri Mense hîc supposito, ac præterea inhærendo illi Hypothesi, quam suprà stabilivimus, de Annis Imperii Tiberio communicati advocandis ab Autumno Anni 12 Dionysiani, inchoabitur annus 15 Tiberii ineunte Autumno anni 26 Vulgaris, & initio sequentis Autumni 27 terminabitur, quo & inibit Annus 16 Tiberii: tota autem Christi ac Joannis Chronologia ab hoc posteriore Autumno ad Pascha sequentis Anni 28 poterit commodissimè digeri ad hunc modum. Præparatio ad distributionē temporis.

Sub medium Septembrem anni Vulgaris 27, expirante anno 15. Tiberii jam explicato, *factum fuerit verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto* interiore degentem, quo ei madabatur ut suum Præcursoris munus tandem aggrederetur, & universos ad Messiæ adventum præpararet. Mox Joannes ad Distributio temporis juxta priorem Epochā Tiberii.

partem deserti fluvio viciniorem migrans arripuerit præclaram occasionem, quam ei offerebat Mensis Tisri iniens eo anno à die circiter 18 Septembris. Hic enim Mensis erat Joannis instituto oportunissimus; quippe qui pluribus solemnitatibus celebris, ac nominatim Festo Expiationis agendæ pœnitentiæ destinato, ac Festo Scenopegiæ, quo Israëlitis omnibus Hierosolymæ conveniendum erat. Ad eumdem etiam finem non parum conferebat tum quod peracta jam ubique messis ac vindemia aliquam à rusticanis operibus quietem postularet; tum quod aura ipsa Autumnalis, Æstatem nostram pænè exæquans in Palæstinâ, ad Baptismum statim indicendum invitaret.

Initiū prædicationis Joannis.

Ipsâ igitur Neomeniâ Tisri, dum Tubæ passim Hierosolymis personant, & sequentibus diebus Orientales Judæi solemnitatem Scenopegiæ præoccupaturi Jordanem transeunt; alii autem ex aliis Mundi partibus, ipsique Judææ incolæ ad fluvium illum conveniunt, seu Balnei causâ, seu deambulationis, seu religionis; exaudiri cœperit *vox clamantis: Parate viam Domini, &c.* Primæ huic Joannis impressioni, præparandisque ad pœnitentiam ac Baptismum animis auditorum, non parum faverit jejunium triplex Judæis omnibus jam olim indictum ad diem 3, 7, ac 10 ejusdem Mensis.

qui Hierosolymam proficiscitur ad festum Scenopegiæ.

Post has velut primitias suæ prædicationis, profectus fuerit Hierosolymam, ex Legis præscripto, ad Festum Scenopegiæ istic peragendum, quod eo anno in diem circiter tertium Octobris incidebat. Ibi tum priorum dierum prædicatione, tum publicâ victûs ac vestitûs austeritate, tum aliis non vulgaribus sanctimoniæ indiciis authoritate seu comparatâ, seu auctâ, magnam sui admirationem & expectationem concitarit, ac multos ad se audiendum provocarit toto, quo solemnitas duravit, octiduo. Redeuntem deinde ad stationem suam secuta fuerit magna hominum multitudo, quam salutaribus primùm monitis instructam Baptismo postea expiarit.

Christus è Galilæâ venit ad Joannem,

Dum hos alii, ac mox alii excipiunt agminatim ad Joannem confluentes, Christus, qui à peracto Hierosolymis Scenopegiæ Festo, tantisper in Galilæam se receperat, postquam sui Præcursoris famam jam satis invaluisse viderit, ut se per eam occasionem in hominum notitiam daret, Mense Marchesuan sub exeuntem

baptizatur,

Octobrem iter arripuerit ad Joannem; ac paulò pòst ejus Baptismate, Patris æterni testimonio, ac Spiritus Sancti specie columbæ allapsu fuerit quodammodo initiatus ad magnum, quod tunc aggrediebatur, opus redemptionis nostræ. Secesserit

abit in desertum,

deinde in desertum ad quadraginta dierum jejunium, quibus expletis sub medium Decembrem, ac cacodæmone victoriâ triplici triumphato, ad Joannem, fortè plus vice simplici, regressus, eo indice declaratus sit *Agnus Dei.* Mox discipulos

interest nuptiis in Canâ.

aliquot sibi adjungere cœperit, cum quibus invitatus ad nuptias in Cana Galileæ, sexto Januarii die, primum aquæ in vinum conversæ miraculum patrarit. Sub

abit Capharnaum, inde Hierosolymam ad Pascha celebrandum.

finem Februarii profectus fuerit in Capharnaum cum Matre, Cognatis ac discipulis; ibique, ut scribit Joannes *cap. 2, v. 12, manserit non multis diebus*; v. g. non ultra tres hebdomadas. Post hæc, *cùm propè esset Pascha Judæorum* (quod anno illo Vulgari 28 circa diem 28 Martii celebratum fuit) *ascenderit Jerosolymam, ejeceritq; de Templo nummularios.* Quæ omnia commodissimam habent temporum distributionem.

Si cui

Si cui fortè minus arrideat Epocha illa Imperii Tiberii à participato summo fastigio, toto biennio ante mortem Augusti; alteram amplecti potest ab hujus morte, initio Tiberii (Eusebii exemplo) per Prolepsin revocato ad Autumnum anni 13 Vulgaris. Juxta hanc Hypothesim init annus 15 Tiberii Autumno Anni 27 Dionysiani, quo juxta priorem Epocham desinebat. Atque ita, priore dispositione rerum immutatâ, Joannes ipso principio anni 15 Tiberiani prædicationem suam exorsus fuerit, & eodem Christus Baptismum susceperit, ac reliqua jam enumerata perfecerit iisdem prorsus diebus.

Distributio eadem juxta posteriorem Tiberii Epocham autumnalem.

Denique, ne in re minimè necessariâ tricemur, si cui religio sit Baptismum avellere à die sexto Januarii; per me omninò licebit ut religioni suæ indulgeat, sibique insuper persuadeat auram hibernam ineunte anno 28 Vulgari fuisse solito clementiorem, nec obstitisse quò minùs Baptismus posset utcumque administrari. Hoc dato, immota manere possunt antè dicta de Joanne Evangelismum suum inchoante Autumno anni Vulgaris 27 suprà dicti, sive priorem sive posteriorem ex modò explicatis Epocham amplectamur. Post primum Prædicationis trimestre Christus Joannem convenerit, & die illo sexto fuerit baptizatus: cætera autem usque ad Pascha proximè insecutum peregerit temporibus mox designandis.

Alia distributio, retento baptismo in die 6. Jan.

Quin etiam, si quis tantam Prolepsin ægriùs concoquat, quâ initia Imperii Monarchici Tiberii ad Autumnum præcedentem revocentur, malitque cum Deckerio, aliisque contentus esse revocatione ad caput anni Romani; ne id quidem, etsi multò minùs commodum est, nimiùm rejiciam: adeò nostra opinio ad unicam annos Tiberianos supputandi rationem non est alligata. Huic Hypothesi insistendo, ipsis Calendis Januariis anni 28 Vulgaris, quibus annus Tiberii quintus-decimus Prolepticus inchoabatur, prodierit Joannes in publicum ad ripas Jordanis. Mox inter primos venerit Christus die 5 Januarii Baptismi causâ, & postridie illum susceperit, statimque jejunium inchoârit dierum quadraginta; quo finem accipiente ad diem 15 Februarii, postridie Satanam superaverit triplicì certamine. Paulò pòst Joannem rursus adiens ab eo declaratus fuerit *Agnus Dei*; & exinde, collectis aliquot Discipulis, aquam in vinum verterit circa initium Martii. Mox Capharnaum ad aliquot dies fuerit profectus, & inde Hierosolymam; quò appulsus sub 27 ejusdem Mensis, Pascha istic celebrârit; in quo controversiæ omnes jam agitatæ terminantur.

Alia insuper distributio.

Observandum hìc superest exiguum discrimen, quod ex diversis hisce explicandi modis exsurgit, juxta Chronologiam nostram, circa annum Tiberii, & ætatem Christi, dum Baptismo aquas Jordanis consecravit. Si enim dicamus id contigisse sub initium Novembris anni Vulgaris 27; fluxerit tunc Tiberii annus quintus-decimus à posteriore Epochâ Monarchiæ per Prolepsin revocatæ ad Autumnum Anni 13 Vulgaris; fluxerit autem annus decimus-sextus à priore Epochâ Imperii communicati ab Augusto Cæsare; neque anno illi decimo-sexto ullâ ratione adversatur Lucas, prout suprà satis declaravimus: Christus autem annum ætatis egerit 31, ac pœnè peregerit. Si magis arrideat dies sextus Januarii anni Vulgaris 28; fuerit tunc in cursu annus etiam 16 Tiberii ab Epochâ priore jam dictâ, vel 15 à posteriore Imperii Monarchici ad sensum paulò antè explica-

Discrimen ex varietate distributionum.

explicatum; Christus verò annum suum 32 per tredecim dies inchoârit. Utrivis ætati nullo modo adversari censendus est S. Ignatius, dum *in Epistolâ ad Trallianos* scribit Christum, *cùm jam per tres annorum decadas conversatus esset* (seu vitam hanc mortalem duxisset) *verè baptizatum fuisse.* Facilè enim respondetur eum rotundo, ut vulgò loquimur, numero usum esse; quemadmodum & quosdam è SS. Patribus, qui triginta annis definiunt ætatem Christi ad Baptismum venientis. Quin & eâ ipsâ solutione uti necesse est illos, qui censent Christum eo tempore aut annum vicesimum-nonum egisse, aut tricesimum dumtaxat inchoâsse, si quidem die 25 Decembris natum, & 6 Januarii baptizatum fateantur.

De Feriâ Baptismi Christi.

De Feriâ collati Christo Baptismi tanta ferè lis est, quanta de Anno aut Mense. Pro Feriâ primâ facit *Canon* 8 *sextæ Synodi*, & *Sermo* 154 *de Tempore*, *passim Augustino adscriptus*; item è recentioribus M. Anton. Cappellus. Pro Feriâ 2 Epiphanius; pro tertiâ Eusebius; & qui cum eo favent anno Vulgari 28, & diei 6 Januarii; item Periodi Alexandrinæ sectatores, qui stant pro anno Vulgari 39, & eodem Januarii die. Feriæ quintæ patrocinari debent, qui annum Dionysianum 29 amplectuntur; sextæ, qui trigesimum; Sabbatho, qui trigesimum primum: si quidem Baptismum diei illi sexto tribuant. Ego, qui ne de ipso quidem Baptismi die satis liquidò pronuntiare possum, quod de Feriâ statuam non habeo; nisi quod, ut modò significabam, in Feriam tertiam necessariò quadret, si in diem 6 Januarii Anni 28 Vulg. incidisse existimetur.

CAPUT DECIMUM.

Noctúne, an interdiu baptizatus fuerit Christus, & quâ horâ.

Silentium de hac quæstione.

NON semel miratus sum cur vix ulli è SS. Patribus, aut Scripturæ Sacræ Interpretibus quæstionem hanc attigerint; cùm aliis longè minoris momenti operam non parcè impendant. Impulit me tantum hoc silentium, ut tantisper inquirerem in tempus illud, meumque super eâ re judicium expromerem. Joannem pleno die Baptismum populo ad eum confluenti impertivisse, adeò vulgò persuasum videtur; ut propè verendum sit, ne, si quis contrà sentiat, parum æquis auribus audiatur à nonnullis. Mihi tamen omnibus hinc inde maturè perpensis, longè vero-similius apparet, noctem fuisse huic ministerio delectam: habeoque dicti mei authores, Antiquos aliquot paulò pòst producendos. Id mihi præterea planè persuadet ratio honestatis & naturalis verecundiæ. Cùm enim, ut suprà significabam, tam viri quàm fœminæ omninò nudi ad Baptismum admitterentur; quis credat eos, ac præsertim fœminas, hoc schemate se Joanni, omnibus spectantibus stitisse? Quis maritus uxorem, quis pater familias filiam non impedivisset, ne tantæ nuditatis probrum publicè subiret? Quis Baptistam tantæ turpitudinis authorem conviciis non onerasset? Non videtur itaque id rationabiliter posse admitti.

Videtur baptismus noctu collatus à S. Joanne.

Objectio.

Nec est quod quis alleget, apud Judæos tam viros, quàm fœminas balneis, adeoque & extremæ nuditati assuetos, non tanti illam fecisse. Item olim apud varias

varias gentes in usu fuisse balnea promiscua, seu utrique sexui communia; ut testantur Clemens Alexandrinus, *lib.* 3, *Pædagogi*, Cyprianus, *l. de habitu Virginum*, aliique.

Respondetur enim *primò*, verosimilius esse nulla fuisse apud Judæos balnea publica, nedum ita promiscua, ut simul in eis viri cum fœminis lavarentur: quod ex silentio Scripturæ Sacræ, Josephi, & Philonis videtur posse colligi. Fuerint igitur tantùm balnea privata & domestica, quibus tum ad munditiem, tum ad sanitatem, tum ad frequentes purificationes legales singuli, & soli, nullo verecundiæ dispendio se abluerint; quod non obscurè innuit factum Susannæ, *Danielis cap.* 13, *v.* 18. *Secundò*, balnea illa promiscua non fuisse usurpata nisi à quibusdam corruptorum morum & projectioris pudoris civitatibus: unde & acriter reprehenduntur à Clemente Alexandrino & à Cypriano citatis; item ab Hieronymo, *lib.* 2 *contra Jovinianum*, *in fine*. Quin & *L. Jubemus*, *Cod. de Repudiis*, *&* *Authent.* 22, *cap.* 16, fœminis ad ea accedentibus gravis pœna imponitur. Vide quæ de promiscuis hisce balneis statuuntur in Synodo Laodicensi, Canone 30, & in Trullanâ, Canone 77, contra Clericos, Monachos, & Laicos. Cōmunissimè autem apud populos honesti retinentiores, solitos in balneis publicis viros seorsim à fœminis lavare, constat ex Hesiodo, *lib. extremo de Oper. & dieb.* M. Varrone, *lib. de Analogiâ*, Vitruvio, *lib.* 5 *de Architecturâ*, *cap.* 10. A. Gellio, *lib.* 10 *Noct. Attic. cap.* 3. Singulare illud est, quod de veteribus Romanis narrat Valerius Maximus, *lib.* 2, *cap.* 1, tantam apud eos fuisse honestatis rationem habitam, *ut nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavarentur*. Quod si aliquando Romæ sub quibusdam Imperatoribus, invalescente morum licentiâ, inducta sint hujusmodi balnea promiscua, ea statim ab aliis fuêre submota; ut nominatim de Hadriano, M. Aurelio, Alexandro Severo, scribunt Dio, Jul. Capitolinus, Spartianus, & Æl. Lampridius. Vide Alexandrum ab Alexandro, *lib.* 4 *dier. Genial. cap.* 20. ibidemque Notas Andr. Tiraquelli. Hieron. Mercurialem, *lib.* 1 *Artis Gymnast. cap.* 10. Bern. Cæsium, *de Mineralibus*, *lib.* 1, *cap.* 6, *s.* 7. Lælium Bisciolam, *lib.* 16 *Horar. subsecsiv. cap.* 20, qui de suprà dictis plura suggerent.

Ejus depulsio.

Balnea promiscua olim improbata.

etiam ab Ethnicis.

Quod si Ethnici ipsi tantoperè honestati detulerint; quid hac in parte censebimus fecisse Judæos, qui saltem Christi ætate, adeò specialem profitebantur sanctitatem, eamque apud Gentiles sibi permixtos, tam operosè actibus externis ostentare studebant? Certè cùm & Apostoli, imò & Christus ipse balneis Judaicis passim uterentur, ut doctè probat Fortunatus Scacchus, *Sacrorum Elæochrismatôn Myrothecio* 1, *cap.* 32 & 33; satis manifesto indicio est, nihil in illis indecorum admissum fuisse. Huc quoque pertinere potest, quod adeò à promiscuis virorum ac mulierum conventibus alieni essent Judæi, ut etiam in Templo ipso esset his suum atrium peculiare; quod docent Josephus *lib. 6 de Bello*, *cap.* 6; Thalmud, *Codice Succa*, *cap. ult. & Codice Middoth*, *cap.* 2, *ubi & videndæ Notæ Constantini l'Empereur*. Villalpandus, *To.* 2, *Part.* 2, *pag.* 208. Menochius, *lib.* 5 *de Rep. Hebr. cap.* 3, *num.* 12. Quod si circa mulieres, quamvis honestissime vestitas, tanta à Judæis adhibita est cura; quanta, & quàm justa fuisset eorum offensio, si eas, Sole omnia collustrante, planè nudas (ut jam de virorum nuditate

Fœminæ apud Judæos separatæ à viris.

nuditate taceam) vidissent à Joanne ad Baptismum admitti? Alia igitur ineunda est ratio nuditatem suprà assertam retinendi citra scandalum; quod utique cómodiùs fieri non potest, quàm subsidio tenebrarum paulò pòst magis explicandarum.

Objectio gemina.

Præterea non est cur censeatur Joannes honestati consuluisse, vel imperato singulis supparo velandis partibus, quas pudor tegendas dictat; quod passim observant pictores, dum Christi Baptismum nobis exhibent: vel tentorium in ripà Jordanis erigendo, intra quod singulos seorsim Baptismo initiàrit.

Solutio primæ partis.

In primis enim illud de supparo ventri lumbisque præcingendo, satis exclusum arbitror *capite praced.* Deinde supparum tollit quidem ex parte præcipuam materiam naturalis verecundiæ; necdum tamen satis prospicit ingenito pudori sexûs fœminei, quem meritò puduisset etiam reliquo corpore nudato, pleno die palàm omnibus spectari. Deinde admodum ægrè mihi persuadere possem Joannem fuisse in conferendo suo Baptismo religiosiorem, quàm fuerint Apostoli, aut etiam Christus ipse, à quibus haud dubiè manavit mos in Ecclesiâ diutissimè servatus, nudos omninò tam viros, quàm fœminas Baptismo lustrandi. Atque hæc nuditas summa sicut in Christi Baptismate non carebat mysterio; ita nec in Joannis: in utroque enim indicabat hic ritus omninò *expoliandum veterem hominem cum actibus suis.* Quod si quis, ob jam dicta, velit fœminas fuisse à Joanne seorsim baptizatas, ei ului ultrò suffragabor: sed datâ extremâ illâ nuditate, admissaque diurnâ Baptismi administratione, necdum satis occurritur difficultati; cùm etiam inter fœminas turpissimum sit fœminæ, si clarâ die omninò nuda prostet, tum aquam subitura, tum ex aquâ emergens. Non est autem dubium quin Joanni Deus eum inspiràrit Baptismi modum, quo & decorum omnibus in rebus, quoad fieri posset, observaretur, omnisque offensionis ansa præcideretur; ne res tam sacra improborum calumniis meritò fieret obnoxia. His autem incommodis vitandis oportunissimum fuisse noctis utrumque crepusculum, de quo mox, nemo jure inficias ierit.

Solutio secundæ partis.

Tentorium quod suggeritur, minùs conforme videtur ei quod scribit Joannes Evangelista, *cap.* 3, *v.* 23; nempè Baptistam delegisse sibi locum *in Aennon juxta Salim*; *quia aquæ multæ erant illic.* Cui enim bono tantam aquarum copiam sectatus fuisset; cùm fossa admodum modica aquis plena tentorio erigendo longè oportunior esset? Adde, quòd ne sic quidem vitetur difficultas. Nam aut ante ingressum in illud tentorium nudandæ fuissent singulæ fœminæ ad Baptismum, & post illum denuò induendæ; & ecce iterum probrosa nuditas se oculis præsentium ingerit, quam, quoad licet, volumus declinare. Aut tam vestium depositio, quam iterata assumptio, intra vela tentorii fuisset perficienda; sed mora illa diuturnior nudæ baptizandæ cum baptizante in loco concluso apud malignos homines non caruisset suspicione mali; præsertim si, ut suprà significabamus, Baptismo præmittenda erat distincta peccatorum confessio. Et quamvis fortè nota palàm Joannis sanctitas suspicionem omnem malam facilè fuisset amolita, quantum quidem ad eum spectabat; non eadem tamen fuisset ratio Discipulorum ejus, si & ipsi ad Baptismi administrationem admittebantur: quod admodum verosimile est factum fuisse, dum frequentior esset baptismum expetentium concursus, cui solus Joannes non sufficeret.

Hæc

Hæc omnia, nisi fallor, satis ostendunt, commodissimè à Joanne deligi potuisse, adeoque etiam delectas reipsâ esse impertiendo Baptismo horas ineuntis noctis primas, & desinentis postremas, dum scilicet sublustris utriusque crepusculi tenebræ non omnino densæ ita pro vestibus sufficientes sunt pudori & honestati, ut tegenda membra ipsámque corporis formam oculis adstantium subducant, & ex aliâ parte lux maligna aliqua, quæ superest, locum malignis suspicionibus non relinquit. His adde separata viris ac mulieribus tum tempora, tum fortè etiam loca Baptismi; nec parum honestati prospectum fuisse agnosces. Utrumque crepusculū baptismo delectum.

Lumen aliquod, neque sanè exile, accipiunt hæ, quas asserimus, tenebræ ab antiquissimo Ecclesiæ usu, quo ut planè nudis viris ac fœminis, ita nonnisi de nocte solemnis administrabatur Baptismus. Nocturnam hanc initiationem luculentè probant tum Missale Romanum, *in Officio Sabbathi sancti*, tum varii è SS. Patribus, nominatim Augustinus, *lib. 2. de Symbolo*, & apertissimè Sermone ad Catechumenos, contra Judæos & Paganos, & Arianos: *Exigit* (inquit) *à nobis ratio hujus tantæ congregationis, & noctis transactæ vobis reddere rationem, & istius diei de tanto sacramento* (Baptismi) *veram sempiternamq; demonstrare salutem. Si enim, dilectissimi, opera tenebrarum transacta noctis* (collationem Baptismi nocturno tempore peractam) *consideremus, & quid egerimus Domino donante explicare voluerimus; inveniemus nos in nocte, non opera noctis, sed diei peregisse.* Et paulò pòst: *Quid egimus in hac nocte? Captivatorem captivavimus. Quid egimus in hac nocte? Tenebras diabolicas à cordibus vestris excussimus, & lumen verum* (Antiqui Baptismum *Illuminationem*, cum Apostolo appellabant) *hauriendum esse demonstravimus. Quid enim actum est in hac nocte? Veniens vera fortitudo alligavit fortem, & vasa domûs ejus diripuit. &c.* Vide in eamdem sententiam complura ibidem. Confirmatur ex antiquo Ecclesiæ usu.

Huc quoque pertinet, quod scribit Paschasinus Episcopus Lilybitanus ad S. Leonem Papam, in eâ Epistolâ, quæ inter hujus Epistolas legitur post sexagesimam tertiam. Illic siquidem narrat, in Ecclesiâ apud Miltinas, *consuetis Lectionibus nocte sanctâ* (Paschatis) *decursis, cùm Presbyter secundùm morem requireret* (aquam solemni istic miraculo quotannis Baptisterium replere solitam in nocte Paschatis) *usque ad lucem aquâ non veniente* (eo quòd Pascha illo anno, per Latinorum errorem, legitimo tempore celebrandum non esset) *non consecratos* (non Baptizatos) *qui baptizandi fuerant, recessisse.* Sed postea, *illâ nocte quæ lucescebat in diem Dominicam, decimo die Kalendarum Maiarum* (qui eo anno legitimus esse debuerat dies Paschatis) *fontem sacrum horâ competenti repletum fuisse, & evidenti miraculo claruisse, Occidentalium partium fuisse errorem* in Paschate indicendo. Consule hac de re Bucherium, *cap. 1 Comment. in Victorii Canonem Paschalem.* Vide & Rhabanum, *lib. 2 de Instit. Cleric. cap.* 38, ubi priscum illum morem confirmat; uti & Rupertus, *lib. 6 de Divinis Offic. cap. 15 & 24.* Item Anonymus Author Observationum Divini & humani Juris, *ad Legem, Dominico, de Spectaculis, in Codice Theodosii, pag* 155, *& seqq.* quem ad verbum exscripsit alius Anonymus, *To. 3 Antiquit. Liturgic. pag. 61 & 62.* Legendus etiam Josephus Vice-Comes, *lib. 1 Observat. Eccles. de antiq. rit. Baptismi, cap. 26*, ubi plures profert idem testantes. Quòd autem ipse in horam nonam, seu Alia confirmatio.

ante occasum Solis tertiam, sit propensior, ex testimoniis nonnullorum, quos ibi allegat; nescio an satis adverterit horam nonam à quibusdam, quos allegat, Scriptoribus, non tam assignari Baptismo ipsi, quàm præviis Lectionibus, Litaniis, Orationibus, Benedictioni Fontis Baptismalis, Symboli Apostolorum publicæ recitationi, Exorcismis baptizandorum, eorumque solemnibus Abrenuntiationibus, ac similibus prolixis ceremoniis, quæ facilè tres horas, aut etiam plures implebant, antequam ad Baptismum ipsum deveniretur.

Jejunium baptismo præmissum

Oportunè omninò ibidem monet Vice-Comes, jejunium vetustissimo Ecclesiæ more solitum præmitti Baptismo, toto die hunc præcedente; ita ut ad eum Vesperi nemo admitteretur non jejunus. Quem morem eo faciliùs mihi persuadeo fuisse ab ipso quoque Joanne observatum, quòd præparandis animis ad seriam pœnitentiam ab eo indictam plurimùm subserviret. Igitur ut cæteris ritibus à Joanne inductis, ita & huic ultrò se accommodârit Christus *omnem justitiam impleturus*; ac non tantùm penitùs nudus, ac de nocte, sed etiam jejunio pridie præmisso baptizatus fuerit; eâ à cibis abstinentiâ ad quadraginta mox insecutos dies accedente: ita tamen ut inter hos & illam media fuerit sumptio cibi vesperi; sequente autem die, statim à suscepto Baptismo, in desertum se recepit.

Christus horâ 10 noctis baptizatus.

De horâ noctis quâ Christum Joannes Baptismo impertivit, mirè inter se consentiunt Antiquus Author, quem Clementem Romanum fuisse censet Anastasius Sinaita, *Quæst.* 93; item Vetus Scriptor Græcus, quem se in Bibliothecâ D. Marci Florentiæ legisse testatur Joannes Albertus Widmestadius, *Notâ 12 in Theologiam Mahometis*; ac denique Chronicon Alexandrinum, *pag.* 533. Unanimiter enim asserunt Christum horâ noctis decimâ, seu duabus ante Solis ortum horis baptizatum fuisse. Est hoc omninò conforme ei, quod suprà dicebamus de Baptismo à Joanne conferri solito circa matutinum & vespertinum crepusculum: adeò ut hinc probabiliter elici possit, vespertinum fœminis tamquam imbecillioribus & jejunii prorogationem ægriùs tolerantibus, matutinum viris, tamquam robustioribus & continuando pridiano jejunio aptioribus assignatum fuisse. Quod si quis hanc pridiani jejunii continuationem minùs probet, quamvis à Joannis austeritate, & à seriò pœnitentium moribus minimè alienam; per me licet ut credat jejunium præcedente nocte ineunte à viris postridie baptizandis solutum fuisse; modò ab eo tempore ad insequens crepusculum matutinum nihil penitùs cibi sumptum fuisse fateatur. Nam saltem, hoc concesso, pro tempore quod Christi Baptismo delegimus, faciet autoritas Veterum jam allegatorum, quæ nec per se caret verisimilitudine, & ex tanto eorum consensu præ se fert speciem aliquam antiquæ traditionis. Obiter autem ex tantâ trium Veterum Scriptorum consensione refellitur Raderus, qui loco illo Chronici Alexandrini, *diem* pro *nocte* substitui debere existimavit.

Dilata Chronologia triennii postremi Christi.

Commodus hîc esset locus digerendorum in sua tempora Actorum Christi à primo post Baptismum Paschate ad ejus usque Passionem per solidum triennium. Sed quia singula suis argumentis ex Evangeliorum contextu petitis solidè stabilire, prolixioris ac implexioris esset operæ, neque id citra accuratam complurium Scripturæ locorum explicationem perfici potest, præstat laborem hunc nostro in Evangelia Commentario reservare.

R. P. MI-

AD EXAMINANDAM, PER CYCLOS, LUNÆ ætatem, ſumendus erit Cyclus Lunæ Vulgaris, ſeu Dionyſianus ex Tabula ſecundâ generali; cui in hac Tabellâ reperietur reſpondens Cyclus Lunæ Iulianus, Novilunia demonſtrans accuratiùs temporibus Chriſti, & ſat diu ante & poſt illa.

MARTIUS.					
Dies Mensis Vulgares.	Dies Mensis Romani	Litteræ Dominicales.	Cycl. Lunæ Dionysianus.	Cycl. Lunæ Julianus.	Dies Mensium Ægyptiacorû.
1 2	Kal. 6	d e	3	1	5 6 Phamenoth
3 4	5 4	f g	11	9	7 8
5 6	3 Prid.	A b	19 8	17 6	9 10
7 8	Non. 8	c d	16	14	11 12
9 10	7 6	e f	5	3	13 14
11 12	5 4	g A	13 2	11	15 16
13 14	3 Prid.	b c	10	19 8	17 18
15 16	Idib. 17	d e	18	16	19 20
17 18	16 15	f g	7	5	21 22
19 20	14 13	A b	15 4	13 2	23 24
21 22	12 11	c d	12	10	25 26
23 24	10 9	e f	1	18	27 28
25 26	8 7	g A	9	7	29 30
27 28	6 5	b c	17 6	15 4	1 Pharmuthi. 2
29 30	4 3	d e	14	12	3 4
31	Prid.	f	3	1	5

APRILIS.					
Dies Mensis Vulgares.	Dies Mensis Romani.	Litteræ Dominicales.	Cycl. Lunæ Dionysianus.	Cycl. Lunæ Julianus.	Dies Mensium Ægyptiacorû.
1 2	Kal. 4	g A	11	9	6 7 Pharmuthi.
3 4	3 Prid.	b c	19 8	17 6	8 9
5 6	Non. 8	d e	16	14	10 11
7 8	7 6	f g	5	3	12 13
9 10	5 4	A b	13 2	11	14 15
11 12	3 Prid.	c d	10	19 8	16 17
13 14	Idib. 18	e f	18	16	18 19
15 16	17 16	g A	7	5	20 21
17 18	15 14	b c	15 4	13 2	22 23
19 20	13 12	d e	12	10	24 25
21 22	11 10	f g	1	18	26 27
23 24	9 8	A b	9	7	28 29
25 26	7 6	c d	17 6	15 4	30 1 Pachon.
27 28	5 4	e f	14	12	2 3
29 30	3 Prid.	g A	3	1	4 5

Qui Cycli Lunæ Juliani Dionysianis respondeant iisdem annis.	
Dionysiani.	Juliani.
1	7
2	8
3	9
4	10
5	11
6	12
7	13
8	14
9	15
10	16
11	17
12	18
13	19
14	1
15	2
16	3
17	4
18	5
19	6

R. P.

MICHAELIS SENESCHALLI
E SOCIETATE JESU,

QVÆSTIO TERTIA.

De anno, menſe, die, CHRISTI Mortui.

CAPUT PRIMUM.

Quinam docuerint Chriſtum ante Annum 28 Æræ Vulgaris mortem ſubiiſſe.



Issos hîc facio intolerandos prorſus errores Judæorum, de quibus ſuprà, *Quæſt.* 1. *cap.* 2. Intolerandus quoque eſt error Manfredi *ibidem* commemorati, qui (*Tom.* 1 *Operum Bedæ*, profeſſus ſe aliorum *errorem priorem reprimere* velle) ſcribit, Chriſtum paſſum *Epactâ undecimâ*; antiquâ ſcilicet, cui reſpondet Cyclus Lunæ Dionyſianus 2: item eo anno, quo *Luna vigeſima-prima* (Cyclica) incidit in *Calendas Apriles:* qui characteres, junctis iis quæ, *cap.* 2. *citato*, diximus, annum primum Æræ Vulgaris deſignant. Manfredum ſecutus videtur Antonius Dulciatus; quantum quidem colligere licet tum ex dictis *eodem capite*; tum ex Lucido, *Libro de vero die Paſſionis Chriſti*, *cap.* 3. Omiſſi Judæorum errores. Error Manfredi & Dulciati.

Ab his non longè abſunt Sigebertus & Marianus Scotus, *in ſuis Chronicis*, Matthæus Pariſius, *in ſuâ Hiſtoriâ*, Foroſempronienſis, *in Paulinâ*, Chriſti mortem ad annum 12 Vulgarem referentes; etſi tres priores in decurſu ſuam Chronologiam aptent Æræ Vulgari: Foroſempronienſis autem, omiſsâ prætensâ revelatione ſibi à Sancto Paulò factâ de Natali Chriſti ad annos 22 ſupra Æræ Vulgaris initia evehendo, & conſequenter de Paſſione totidem circiter annis ſurſum promovendâ ſupra annum Dionyſianum 33, tunc à Toſtato aliiſque cœptum addici Paſſioni Chriſti; tandem, ut infrà, *cap.* 7, dicturi ſumus, ad annum 36 Vulgarem tranſierit. Error Sigeberti, Mariani Scoti, Matthæi Pariſii, Foroſempronienſis.

Utrique huic errori commune fundamentum fuit perſuaſio infrà, *cap.* 25, refellenda, de Chriſto paſſo die 25 Martii Feriâ 6; adeóque Litterâ Dominicali B. Lunâ item 15, ſecundum illorum Scriptorum acceptionem; adeóque vel Cyclo Lunæ 13, ad diem 11 Martii notato, & exactè Lunam 15 repræſentante ad dictam diem 25; vel Cyclo 2, affixo diei 12 Martii, & Lunam dumtaxat 14 exhibente ad eamdem diem 25; niſi fortè Luna 15 à meridie inchoetur, prout innuere videtur Manfredus. Porrò Cycli 2 concurſus cum Litterâ B. cùm intra Occaſio horum errorum.

 totum

totum primum sæculum Æræ Vulgaris bis tantùm se offerret, anno scilicet 1 & 96; priorem elegerunt Manfredus & Dulciatus, ut pote à receptis opinionibus minus remotum. Ex alterâ parte cum Cyclus 13 intra multo amplius spatium nunquam cum Litterâ B. Mense Martio concurreret, præterquàm anno 12 Vulgari: hunc sibi arripiendum censuerunt Sigebertus & alii jam citati, quem Christi Passioni tribuerent. Neque parum hos posteriores in suâ opinione confirmatos arbitror ex eo, quod trigesimo tertio ante hunc duodecimum Vulgarem anno (Juliano 24) Littera B. iterum, juxta Calendarium strictè Julianum, quod solum ab illis Scriptoribus attenditur, in usu esset: ac proinde Christi Conceptionem Feriæ sextæ, Nativitatem autem diei Dominicæ affigeret; quæ & olim, & postremis hisce sæculis, non paucorum fuit persuasio.

Eorum fundamentum inane. Harum hypotheseon inanitas cùm partim ex dictis *Quæst.* 1, *cap.* 34, pateat; partim ex dicendis abundè se proditura sit; non est cur ei demonstrandæ immoremur. Vide Bedam, *lib. de Temporum Ratione*, *cap.* 59, ubi posterioris hujus sententiæ fundamenta jacit, dum ait: *Si sexto Cal. April.* (seu 27 Martii) *Dominus resurrexit*; *tertius decimus Circuli præfati* (decennovennalis) *annus extitit*, *quinque habens Concurrentes* (quibus respondet Littera Dominicalis B.) *& Lunam decimam quartam*, *ut semper*, *nono Cal. April.*

Posterioris erroris meminit Beda.

S.Leo malè citatus pro Anno Vulg. 17. Pro Anno Vulg. 17 citatur ab Hervarto, *Novæ Chronol. cap.* 238, Sanctus Leo Magnus, *Serm.* 72, ubi sic loquitur: *Manichæus ergo eo tempore damnandus innotuit, quo post Resurrectionem Domini ducentesimus sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore, Paulinoq; Coss*: id est Anno Dionysiano 277. Hinc si subduxeris 260, supererit Annus 17. Sed procul dubio error est Librarii, qui pro 246 (qui numerus apud Epiphanium legitur, *Hæresi* 66, *num.* 20) scripserit 260. Admissâ autem hac textûs emendatione, quæ & Baronio *ad Annum* 277, & Deckerio, *Annot.* 25, & Bucherio, *in Canonem Victorii*, *pag.* 241, probatur; faciet S. Leo pro Anno 31 Vulg. quem infrà amplexuri sumus.

An Acta Pilati stent pro anno 21 Vulg. Scribit Eusebius, *lib.* 1. *Hist. cap.* 9. *& lib.* 9. *cap.* 4, nonnullos suâ ætate confinxisse impia quædam Christi & Pilati Acta, quibus Passio referebatur ad quartum Tiberii Consulatum; adeoque & ad Annum Vulg. 21. Sed illos mendaciorum nundinatores ex eo rectè refellit Eusebius, quod Pilatus, ut ex Flavio Josepho liquet, in Judæam non venerit ante annum 12 Tiberii, seu vigesimum quintum Æræ Vulgaris. Quod si suspicioni aliquis hîc detur locus, fortassis errones illi *quintum Tiberii Consulatum* scripserint, pro quo *quartum* scripserit Librarius; aut unum ex ejus Consulatibus omiserint, quippe nacti Fastos, ut tunc passim extabant, vitiatos. Hoc si admitteretur, etiam hi anno Vulg. 31 fuissent patrocinati, ex persuasione illis temporibus receptissimâ, quâ credebatur Christus ultimo Tiberii Consulatu passus esse. Vide quæ de blasphemis hisce Actis habet Cedrenus, *in Compend. Hist. pag.* 221 *editionis Græcolat. antiquæ.*

Philippos Solitarius pro Anno 24 aut 25. Pro anno Vulgari 24 aut 25 facere videtur Philippus Solitarius, *lib.* 3 *Dioptræ*, *cap.* 8, Cùm enim, ut suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 2, vidimus, Natalem Christi statuat anno ante Æram Vulgarem nono, & post annos 33 mortem: alterutro horum annorum mortuus fuerit Christus ex ejus sententiâ. Sed hic error, ut *loco citato*, dictum

dictum est, ortus videtur ex malè permixtis opinionibus Sectatorum tam Periodi Alexandrinæ, quàm Constantinopolitanæ.

Anno 26 Vulgari Passionem consignasse videntur, qui apud Hippolytum Thebanum, *To.* 3 *Lect. antiq. Canisii*, *pag.* 47, censuere Christum die 21 Aprilis à mortuis suscitatum. Illi siquidem anno congruit Dominicalis Littera F. ad hunc diem adscripta, convenitque ætas Lunæ ad istud tempus. Quidam Anonymi pro anno 26.

CAPUT SECUNDUM.

Qui videantur facere pro Anno 28 Æræ Vulgaris.

PRo hoc anno facere eatenus videri possint Hegesippus, *in Anacephalæosi Excidii Hierosolymitani*, & complures alii, qui à Christi Passione ad desolatam Jerusalem numerant annos 42; quot reverâ ab anno illo 28 ad cladem illam intercesserunt. Aptari tamen potest, & reipsâ à Vossio aptatur spatium istud anno Vulg. 29: incluso nimirum utroque extremo. Quod autem nonnulli ex iis qui anno 31 apertè favent, annos illos 42 Passioni & stragi Urbis interponant, hallucinatio est: suspicatur tamen Deckerius ab iis confundi annum Crucifixionis cum initio Prædicationis Christi. Favet Hegesippus.

Procul dubio huic anno 28 suffragatur Victorius Aquitanus, *in suo Canone Paschali*, affigens Christi Mortem ei anno bissextili, cujus Calendæ Januariæ inciderunt in feriam 5, & Lunam 19; Pascha autem Christianum (si tunc nostro ritu celebratum fuisset) in diem 28 Martii, & Lunam 16: qui omnes characteres manifestè evincunt Victorium non alium sibi annum proposuisse, quàm 28 Æræ communis. Errat proinde Hervartus, *cap.* 180, dum hæc refert ad annum 34 Vulgarem. Errat & Scaliger, *lib.* 2 *de Emend. pag.* 153, dum asserit à Victorio tribui Baptismum Christi Anno Per. Jul. 4743, seu Vulgari 30; & Canonem ejus Paschalem ab hoc initium ducere. Sed compertissima res est, primum Canonis illius annum esse Vulgarem 28, & ei à Victorio jungi *Crucifixionem Christi*, prout disertè habebat exemplar MS. à Bucherio editum, & apertissimis verbis declarat ipsemet Victorius, *in suâ Præfatione*, dum ait Christum *passum peractis* 5228 *annis* (Eusebianis) *ab ortu Mundi, & inchoante* 29 *anno* (quem Victorius à Vere inchoat, Eusebius autem, juxta dicta suprà, ab ab Autumno sequente) *ita ut octavo Kal. Aprilis, Lunâ* 14 *vespere procedente, Feriâ* 5, fuerit *traditione præventus: dehinc Feria 6 subsequente, id est VII Kal. Aprilis* (seu 26 Martii) *crucifixus est & sepultus: tertia deinde die, hoc est V. Kal. Aprilis, Dominicâ, surrexit à mortuis.* Adde quod ibidem *à tempore Dominicæ Passionis usque ad Consulatum Constantini & Rufi* (seu Annum Vulgarem 457, quo Canonem suum scribebat) numeret 430 *annos*. Hos si ex illis subduxeris, supererit annus 27; comprehensis autem extremis (quæ à se comprehendi, evidenter istic ostendit) annus Vulgaris 28. Neque refert quod anno illi Crucifixionis adscribat *Geminos Consules*, quos constat anno demum 29 Vulgari ornatos eâ dignitate: in confesso enim est Victorii Fastos plurimis scatere erroribus patentissimis, ut passim declarat Bucherius, & res ipsa palàm loquitur. Omnino pro eo stat Victorius Aquitanus. Error Hervarti & Scaligeri. Corrigitur.

Prosper pro Anno 28.

Cum Victorio gentili suo consentit ad unguem Prosper, *in auctiore Chronico: Quidam*, inquit, *ferunt Anno 18 Tiberii Jesum Christum passum; & argumentum ejus rei ex Evangelio assumunt Joannis, in quo post 15 Tiberii Cæsaris annum, triennio Dominum prædicasse intelligatur. Sed quia usitatior traditio* (eo fortassis tẽpore, & in Galliis ob Victoriani Canonis recens editi authoritatẽ) *habet Dominũ nostrum decimo-quinto anno Tiberii Cæsaris, duobus Geminis crucifixum* (en ut Prosper Victorium ubique affectetur) *nos sine præjudicio alterius opinionis, successionem sequentium Consulum à supradictis Consulibus ordiemur, juxta hanc traditionem.* Prosperum verò Victorii vestigiis omninò inhærere, inde etiam perspicuum fit; quòd in suo ille Chronico à Geminorum Consulatu annos per denos, vicenos, tricenosque digerat usque ad Consulatum Theodosii & Maximi; hoc est ad Annum Vulg. 433; ibique subdat: *A decimo-quinto Tiberii anno, & Passione Domini ad hunc Consulatum, numerantur anni* 406. Hos ex illis subtrahe; residuus est annus Vulgaris 27, & (extremis, ut suprà, comprehensis) annus 28. Fateor tamen priora illa planè aliter legi in Prosperi Chronico, quod edidit noster Philippus Labbe, ubi favere videtur Anno 31 Vulgari; etsi Consules, quibus Passionem affigit, quadrent in annum 33 Vulgarem. utra germana sit lectio; aliis dijudicandum relinquo.

Dubium de Pseudo-Cypriano.

Nescio an ad hunc, an ad 34 annum referre debeam Computistam quemdam à Godefrido Vendelino allegatum, *in Gnome Temporum, pag. penult.* ubi refert fuisse non ita pridem Rhemis à nostro Sirmondo repertum, ac deinde nostro Bucherio anno 1648 transmissum vetus MS. hoc titulo prænotatum: *Cæcilii Cypriani de Pascha Compotus*, in quo verba hæc haberi asserit: *Jesus Christus Dominus & Salvator noster post annos* 1579 (à primo, quantum apparet, Paschate Hebræorum in Ægypto) *cum discentibus suis manducavit Pascha sexto Idus* (seu die octavo) *Aprilis, Feriâ 5, & passus est alterâ die, sextâ Feriâ.* Exigunt hi characteres Litteram Dominicalem C, quæ non potest alteri, quàm huic anno 28, vel certè 34 Vulgari convenire. Verùm utrique adeò potenter repugnat Lunæ ætas ad eum diem, ut neutri possit ullo modo tribui Passio Christi. Anno siquidem 28, die 9 Aprilis, quo Christus hìc mortuus dicitur, Luna erat 25, ex Cyclo, ut vocant, Julii Cæsaris: vigesima autem septima ex Cyclo Nicæno. Item anno 34, erat Luna tertia Juliana, quarta autem Nicæna: qui ambo Lunæ situs cùm nimis enormiter distent à Lunâ 15; Paschales esse nullâ ratione possunt. Est sanè cur miremur rem adeò patentem à Vendelino Astronomiæ perito non fuisse observatam; quin potiùs Computum adeò sibi parùm constantem, visum esse dignum, quem quater (ut ipse de se profitetur) manu propriâ describeret. Eum ego sæpius quæsitum hactenus nancisci non potui: sed non dubito quin Pseudepigraphus sit, si de S. Cypriano Episcopo Carthaginensi agatur; tum quia nemo, quod sciam, hactenus Sancto illi tale opus adscripsit; non Nicolaus Rigaltius, qui Anno 1648, adeoque post repertum à Sirmondo Computum illum, novam Operum Cypriani editionem procuravit; non qui omnes Sirmondi chartas penes se habuit Philippus Labbe, *in Dissertat. de Scriptor. Eccles.* tum quia *tò cum discentibus suis*, longè abest à solito Cypriani nitore; tum quia non erat Cyprianus qui tam pingues errores admitteret contra artem quam explicandam suscepisset.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Qui opinentur Christum Anno 29 Vulgari mortuum fuisse.

EXtat apud Anastasium Sinaitam, aliàs Nicænum, *Quæst.* 93, Fragmentum quoddam Clementis Romani nomen præferens, quod, licèt pluribus in locis vitiatum, huic anno apertè suffragatur, si suæ integritati (quod cuivis talium intelligenti facillimum est) restituatur. Ecce tibi illud, suis etiam mendis deturpatum: *Fuit cruci affixus Pharmenoth (id est Mensis Martii) die quinto, horâ sextâ diei, & quartâ-decimâ Lunâ. Resurrexit autem in triduo, Pharbuthe (id est Aprilis) die primo, horâ sextâ noctis*, &c. *Assumptus est autem rursus Pachon (id est Maii) die tertio, horâ nonâ diei.* Paulò aliter legitur idem Fragmentum in Chronico Alexandrino, *pag.* 535, cujus textum Græcum ita verto, omissis Raderi interpolationibus minimè congruentibus: *Crucifixus est Phamenoth vigesimâ-nonâ, die secundùm Lunam decimâ-quartâ, cùm esset Parasceve. Resurrexit verò in triduo, Pharmuthi primâ, cùm esset Dominica, & Luna decima-sexta, horâ nonâ noctis. Assumptus est Mense Pachon, horâ nonâ diei.* Ab utroque hoc textu nonnihil discrepat, quod se Florentiæ in antiquissimo MS. Græco, temporibus Honorii Primi Pontificis exarato, legisse significat Widmestadius *Notâ* 12 *in Theologiam Mahometis*, asserens istìc haberi, Apostolos memoriæ prodidisse Christum *affixum cruci die Martii* 29, *horâ sextâ diei*; *surrexisse è sepulchro die tertio, qui fuit primus Mensis Aprilis, secundùm computationem Ægyptiorum, horâ sextâ noctis*; *sublatum in cœlum tertiâ Maii, horâ diei nonâ.* Ex his inter se collatis statim apparet primum hujus Fragmenti Authorem usum esse solis Mensibus Ægyptiacis, quos Anastasii Interpres, aut alius quispiam, malè crediderit, paria facere cum Romanis Mensibus; eademque est ratio de Widmestadio, aut de eo qui vetustum illum Codicem exscripsit. Quod si locum initio allatum ex Anastasio, emendare lubeat retentis glossematis parenthesi inclusis, erit ad hunc modum corrigendus: *Fuit cruci affixus die* 29 *Phamenoth* (id est Mensis Martii die 25) *horâ sextâ diei, & quartâ-decimâ Lunâ. Resurrexit autem in triduo, die primo Pharmuthi* (id est, Martii 27) *horâ sextâ noctis*, &c. *Assumptus est autem rursus die decimâ Pachon* (id est Maii die 5) *horâ nonâ diei.* Postulant hi dies Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Litteram Dominicalem B, quæ anno dumtaxat 29 & 35 Vulgari quadrat. Sed prorsus obstat Luna, quæ anno illo 29, ad diem 25 Martii erat vigesima-prima Juliana, vigesima-tertia Nicæna: Anno autem 35, erat vigesima-octava Juliana, & vigesima-nona Nicæna; adeoque jugo proxima. Hinc colliges Hervartum plus semel hallucinari, dum, *cap.* 176, credit Fragmentum illud favere Anno 31 Vulgari, ex eo colligi posse Christum Feriâ quintâ fuisse passum; quod posterius ideo persuadere conatur, quòd existimet non posse aliter explicari Christi sepulturam per *tres dies & tres noctes*, quos Evangelii textus exprimit. Sed difficultas hæc toties jam olim agitata, & variis modis

Clemens Romanus, si tamen ipse.

Refellitur.

Error Hervarti.

modis soluta, non debuit Hervartum abducere ad Paradoxon à totius Ecclesiæ sensu abhorrens.

Anonymus apud Scaligerum.

Emendationem nostram Fragmenti jam allati confirmat Author Excerptorum, quæ suo Thesauro Temporum inseruit Scaliger, *pag.* 68, in hæc verba: *Dominus noster Jesus crucifixus est sub Consulatu Rubellionis*, 8 *Kal. Aprilis, quod est Phamenoth* 29, &c. *Surrexit autem Dominus noster Jesus Christus sub Consulatu Rubellionis sexto Kal. Aprilis: ascendit autem Dominus noster tertio Nonas Maias.* Quæ omnia in annum 29 certissimè conspirant: sed, ut jam dicebamus, ætas Lunæ absolutè obsistit.

Tertullianus.

Eosdem characteres Consulum Geminorum, & diei octavi Kal. Apriles suggerunt varii Antiqui, ex quibus Tertullianus, *libro adversus Judæos*, ait Christum passum *Tiberii anno* 15, *annos habentem quasi* 30; paulò pôst autem subjungit: *Perfecta est* (Passio) *sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino, & Rufino Gemino, Mense Martio, temporibus Paschæ, die* 8 *Cal. Aprilis.* Quod autem Marianus Victorius, *in Annot. ad Hieronymi Comment. cap.* 9 *Danielis*, contendit Tertullianum Christo annos vitæ mortalis triginta tres tribuisse, & ita in eo legendum esse; procul dubio fallitur. Id enim cum Tertulliani contextu apertè pugnat; & è contrario id quod jam diximus, pulcherrimè convenit cum ejus opinione de Natalis & mortis Christi anno: quod est solidum rectæ Lectionis argumentum.

Rejicitur correctio Mariani Victorii.

Catalogus Rom Pont.

His consonat antiquissimus Romanorum Pontificum Catalogus apud Cuspinianum, *in Digressione insertâ Commentario ejus ad Fastos Cassiodori, pag.* 369, ubi asserit haberi hæc verba: *Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus Jesus Christus, duobus Geminis Coss. VIII Calend. April.*

Lactantius.

Huc quoque Lactantium referendum existimo, qui *lib.* 4 *Instit. cap.* 10, ait Christum fuisse Cruci affixum *Tiberii anno* 15, *Geminis Coss. ante diem* (ut Lactantium scripsisse arbitror) *VIII Cal. April.* Scio in plerisque Codicibus legi, *VII Cal. April*; in nonnullis, *X Cal*: ideoque Scriptorem hunc à quibusdam trahi ad annum Vulgarem 31, ab aliis ad annum 28. Verùm qui satis receptam apud Latinos ejus temporis opinionem secutus est, quoad Consules, & annum 15 Tiberii, eamdem & quoad diem Martii secutus videtur; maximè cùm nihil factu pronius sit, quàm ut festinans Librarius pro VIII, scripserit VII. Quòd autem Michaël Thomasius, *in suis ad Lactantium Notis*, censet τὸ *ante diem VII, Cal. April.* idem esse ac *die VIII Cal. April.* apertè fallitur. Vide quæ de hac locutione diximus suprà, *Quæst.* 2, *cap.* 2.

Correctio Thomasii rejicitur.

Augustinus

Nullum esset dubium de Augustino, qui *lib.* 18 *de Civit. cap. ult.* & *Geminis Coss.* & *VIII Cal. April. mortuum Christum* perspicuè affirmat; nisi negotium facesseret, quod ibidem addit, annum trecentesimum sexagesimum-quintum à Christi Passione, sive (præcisiùs loquendo) à primâ post ejus Ascensionem Pentecoste, quâ Lex Christiana palàm promulgata est, completum fuisse Idibus Maii, Honorio & Eutychiano Coss. id est, anno Vulgari 398. Ex hoc si demantur anni 365 pleni; passus fuerit Christus anno 33 Dionysiano. Atqui nec hujus anni Littera Dominicalis D, nec Lunæ ætas pati possunt ut Pascha in VIII Cal. Apriles, & Pentecoste in Idus Maias inciderit. Alterutrum igitur horum admitti debet,

debet, aut Augustinum in subducendis calculis (quod facillimè contingit) minùs accuratum fuisse; aut in Fastos Consulum admodum depravatos incidisse; quales olim multos extitisse jam aliquoties diximus. Cæterùm quandoquidem *lib. 22 de Civit. Dei, cap. 15*, significet Christum circa annum 31 ætatis esse mortuum, non obscurè indicat se absolutè cum Gentili suo Tertulliano sentire quoad annum Passionis, & ex eo suam opinionem hausisse. Quod autem *Sermone 22 de Tempore*, dicitur Christus resurrexisse die *VIII. Cal. April.* potest fortè sufficere ut Sermo ille abjudicetur Augustino, qui constanter in aliis indubitatis Operibus diei illi Passionem adscribit.

His accensendus videtur Quintus Julius Hilarion, *in Tract. de Duratione Mundi*, dum scribit se *à Consulatu Lucii Licinii Luculli* (incidente in annum Periodi Jul. 4563, seu 151 ante Æram Vulgarem) *annuos Consules requirendo invenisse usque ad Passionem domini nostri Jesu Christi, & usque ad annum 16 Imperii Tiberii Cæsaris, 179 annos esse completos.* Hos adde ad 4563; emerget annus 4742 Per Jul; seu annus 29 Vulg. quod paulò post subjungit, *In Consulatu Cæsarii & Attici* (anno Vulg. 397) *die IX Cal. Aprilis*, annos transiisse 369 *à Passione Domini*: sic accipi debet, ut censeantur inclusi anni extremi: qua ratione Passio quadrat in annum 29; qui etiam inde stabilitur, quòd anni à Passione Christi, juxta hunc Scriptorem, terminentur die 9 Cal. Apriles; adeoque initium ducant ab 8 Cal; qui est character communissimus anni 29. Qu. Julius Hilarion.

Venit etiam in hunc numerum Author epigraphes appositæ Pseudo-Evangelio Nicodemi, quæ & Consules Geminos, & diem VIII Cal. April. nobis exhibet: sed plures alios characteres repugnantes miscet; neque Codices inter se quoad eos consentiunt. Pseudo-Evangeliũ Nicodemi.

Sunt quoque ex Antiquis nonnulli, qui nullâ factâ mentione seu diei, seu Mensis, quo Christus obierit, solorum Consulum Geminorum meminerunt. Hi autem ab hoc anno dimovendi non videntur, quamdiù contraria eorum mens aliunde colligi non potest. Ex his est Severus Sulpitius, *lib. 3 Hist. sacræ*: *Dominus* (inquit) *crucifixus est Fusio Gemino, & Rebellio Gemino Coss.* Quod verò subdit: *à quo tempore, usque in Stiliconem Consulem* (seu annum 400 Vulg.) *sunt anni* 372; eidem anno 29 conveniet, si supputatio fiat comprehensis extremis. Allegat item Cuspinianus, *loco cit.* Opusculum ignoti Authoris antiqui, in quo Consulatui Geminorum crassiore calamo subscribitur: *His Coss. Christus passus est, die Solis, Lunâ* 14. Patens est mendum in voce *Solis*, pro *Veneris*: fortè Librarium turbarit, quòd hîc de Lunâ agatur. Citatur etiam ibidem aliud Vetus MS. in quo Christi Passio tribuitur Consulibus Geminis, sed loco suo motis, & ad annum 32 Vulgarem depressis; ita ut hic Scriptor pro Anno 29 Dionysiano proferri absolutè non debeat. Eademque est ratio Cedreni, qui uno in loco, *pagina nimirum 156 Compendii sui Græcolat.* dicit tempus Passionis exactius annotatum esse à Romanis, *Gemino Consule*, & *anno primo Olympiadis* 202; sed hæc alibi evertit, dum scribit Christum triennio prædicasse, passum anno 18 vel 19 Tiberii, resurrexisse die 25 Martii: hæc enim cum illis prioribus consistere non possunt; unde & postea Cedrenum anno 31 Vulg.

Severus Sulpitius. Fasti antiqui. Cedrenus sibi non constans.

Y sumus

sumus transcripturi, ob characteres quibus alibi perpetuò insistit.

Varii non rectè allegati.

Huic anno adscribendos censent Hervartus, Cappellus, aliique, eos qui Christum asserunt passum vel *anno 15 Tiberii*, pro quo allegant Julium Africanum; vel *octavo Cal. Apriles*, pro quo faciunt Author Actorum Pilati apud Epiphanium, *Hæresi* 50, Author Homiliæ *de Nativitate S. Joannis*, *inter Opera S. Chrysostomi*, Gregorius Turonensis, *lib.* 10; *cap. ult.* Martyrologia Bedæ, Adonis, Usuardi, Notkeri, &c; vel *Christum eodem die conceptum & passum* (nempe 25 Martii) ut scribunt Cyrillus Alexandrinus, *in Epist. ad Synod. Carthaginensem*; vel *mortuum anno ætatis* 30, *aut* 31; pro quâ opinione citat Cappellus Origenem, Apollinarem Laodicenum, Hieronymum, Philastrium, Idacium, Bernardum, Chrysologum, Haymonem, ac denique Sedulium, ex quo canit Ecclesia:

Lustris sex qui jam peractis tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc Passioni deditus
Agnus in Crucis levatur immolandus stipite.

Verùm ut id de nonnullis verum sit, de universis verum esse non potest; ut partim ex dictis patet, partim ex dicendis manifestum erit.

S. Hippolytus Portuensis.

Videri potest huc quoque pertinere S. Hippolytus Portuensis, *in suo Canone Paschali.* Ibi siquidem, ad annum 32, adscripta habetur *Passio Christi*, cum Lunâ XIV, in Feriam VI, & in diem XXV Martii incidente. Ille autem annus 32 Periodi S. Hippolyti congruit cum anno 29 Vulgari, ut pluribus explicatum est suprà, *Quæst.* 1, *initio capitis* 6. Porrò quod S. Hippolytus eo die Lunam quartam-decimam numerat, quæ reipsâ erat vigesima secunda anno Vulgari 29; satis ostendit quàm imperfecta tunc apud plerosque esset Cyclorum Lunarium peritia; cùm ipsi eorum magistri intra ducentos à suâ epochâ annos tantopere aberraverent à vero.

Anonymus Synchronus.

Hippolyto adstipulatur Anonymus ei Synchronus, ab Henrico Canisio editus, *To.* 2 *Variarum Lect.* A Passione siquidem ad annum 13 Alexandri Imperatoris numerat annos 206. Cœpit annus ille 13 labente anno 234 Vulgari, & labente 235 desiit. Subducantur 206 ex 235; supererit annus 29 Vulg: idemque emerget annus si ex 234 fiat subtractio, extremique anni comprehendantur.

Luitprandus.

E mediæ ætatis Scriptoribus Luitprandus, aut si quis alius est author *Libri de Romanis Pontificibus*, inter Luitprandi Opera editi, *cap.* 1, à Christi Morte ad SS. Petri & Pauli martyrium, id est ad annum Dionysianum 67 labentem, annos supputat 38. Censet igitur Christum passum Anno 29, qui peractâ subtractione relinquitur.

Capellus, Vossius.

Inter Recentiores, duos dumtaxat hactenus reperio apertos hujus anni fautores, videlicet Cappellum, *dissert. de Anno Passionis Christi*, *cap.* 5, & Vossium, *dissertat.* 2 *de Tempore dominicæ Passionis*, *Thesi* 16 *& seqq.* Sed neuter sibi satis cavere potuit ne varia misceret cum hoc anno apertè pugnantia.

Anno 30 Vulgari, qui satis certò patrocinaretur, cùm neminem observare me meminerim; ideo scrupulosiore super eo indagatione supersedebo.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Qui Passionem conferant in Annum 31 Vulgarem.

PAulò plus operæ ponendum erit hoc capite in vindicandis huic anno suis patronis, præsertim Antiquis, tum Græcis, tum Latinis; quo plus ei authoritatis accedat ex tot ac tantorum Virorum conspirantibus calculis, quibus nostrum postea sumus adjecturi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Concilium Cæsariense & Iulius Africanus.

ANno Æræ Vulgaris 196, adeòque vix totis 165 annis post Christi Passionem, jussu Victoris Pontificis Romani celebratum est hoc Concilium Cæsareæ Palæstinæ ab illius Regionis Episcopis, teste Eusebio, *lib. 5 Hist. cap.* 22: ut ea potissimùm in Provinciâ de legitimâ celebrandi Paschatis ratione decerneretur; in quâ Pascha nostrum immolatus fuerat Christus. Præsides Synodi fuēre Theophilus Cæsareæ Metropolita, & Narcissus Episcopus Hierosolymorum; ibique communi omnium assensu statutum est, ut Pascha ab undecimo Calendas Apriles ad undecimum Calendas Maias celebraretur; idque ob rationem, quæ ut vulgò istic nota, & Majorum constanti traditione accepta, citra ullam controversiam, & nemine contradicente à Theophilo prolata est his verbis: *Passus namq; est Dominus ab undecimo Cal. April. quâ nocte à Judâ est traditus; & ad octavum Cal. Apr. resurrexit.* Porrò ut Christus die 22 Martii comprehensus fuerit, 23 mortuus, 25 à mortuis suscitatus; debuit tum in usu fuisse Littera Dominicalis G, quæ ab excessu Augusti ad excessum Tiberii usurpata non est, nisi Anno Vulg. 25, 31, 36. Horum primus facilè excluditur; utpote cui apertè repugnet tum ætas Lunæ tunc necdum ad priorem dichotomiam provectæ; tum anni Imperii Tiberii, & Præfecturæ Pilati, si præsertim ad Christi Baptismum referantur. Postremus annus ex enumeratis admitti etiam non potest, tum ob similem Lunæ situm; tum quòd nemo prorsus Antiquorum in illum annum rejecerit Christi necem. Superest igitur annus 31, quo & Luna non adeò incommodè cadit, quin diei 23 Martii aptari possit; & in quem plurima alia faventia concurrunt, ut sequentibus capitibus sumus ostensuri. *Concilium Cæsariense Anno 196 celebratū.*

Quod verò apud Bedam, *in Opusculo de Vernali Æquinoctio*, & *To.* 1 *Conciliorum, editionis Binii*, & apud Baronium, *ad annum Christi* 34, *num.* 153, *& ad Annum* 198, *n.* 5, item apud Forosemproniensem, Salmeronem, Genebrardum, aliosque, ita legatur textus hujus Synodi, quasi assereretur Christus ad VII Cal. April. resurrexisse (ex quo infert Baronius, Patres illos Cæsarienses Passionem adscripsisse IX Cal. April. seu diei 24 Martii) satis constat mendosum esse. Id enim clarè evincit tum contextus ipse, tum limes Paschalis repetitus *Mendum textus, tollitur.*

ab XI Cal. April. qui dies duobus aliis, licèt Æquinoctium Vernum ibi constitutum præcedentibus, adjectus est; quia eo comprehensus est Christus à Judæis: adeoque & die sequenti, seu X Cal. April. mortuus est, IX jacuit in sepulchro, VIII resurrexit; tum denique quia apud Bedam ipsum, *libro de Ratione Temporum*, *cap.* 45, & 59, item in correctioribus MSS. in quibus illius Synodi verba recitantur, disertè dicitur Christus ad diem VIII Cal. April. resurrexisse. Adde quod cùm dies ille VII Cal. exigat Litteram Dominicalem A, quæ soli anno 30 Vulgari convenire potest, facilè hunc annum excludit situs Lunæ, quæ ad diem 24 Martii primo dumtaxat Cœli quadrante aberat à Sole; atque ita toto altero quadrante aberat à Pleni-Lunio. Vide Suarem, *To.* 2 *in* 3 *p. Disp.* 40, *Sect.* 5. Marcellum Francolinum, *de Horis Canon. cap.* 74. Deckerium, *Parte* 3, *Annotat.* 19; ac maximè Bucherium, *Comment. in Canonem Paschalem Victorii, cap.* 3 & 4, ubi eamdem lectionem stabilit ex S. Leone, aliisque, agentibus de limite Paschali antiquo.

Bridefertí hallucinatio, ... refellitur.

Gravissimæ huic Episcoporum Synodo obstrepit Bridefertus, Scholiastes Bedæ, *ad caput* 45 *cit.* scribitque Epistolam Synodicam Patrum Cæsariensium *magis irrisionem præstare insipientibus, quàm ædificationem sapientibus*; eò quòd *Dominum nostrum Jesum Christum XI Cal. April. fuisse passum, & VIII Cal. eum resurrexisse pronuntiet*. Sed bonus vir (qui dum tantos Patres risu dignos censet, mutato nomine de se fabulam narrat) non advertit eos Passionem inchoare ab eo die, quo Christus à Judâ traditus est, quique diem Crucifixionis præcessit. Hoc autem tantùm abest ut *irrisionis* materiam præbere cuiquam possit; ut è contrario præbeat *ædificationis*, planumque faciat quantâ præcisione usi sint Patres illi in explicandâ antiquâ incolarum Terræ Sanctæ Traditione. Ea porrò Traditio tantò pluris hìc facienda est præ aliâ prætensâ de Christo nato ad diem sextum Januarii; quanto publicè notior fuit Christi Mors, quàm Nativitas: cùm hæc in obscuro specu, paucisque consciis, illa verò luce palàm, spectanteque innumerâ ex omnibus Mundi partibus multitudine contigerit. Vide hujus Synodi textum accuratè transcriptum à Bucherio, *pag.* 469. Vide & Francolinum *suprà*, confutantem acriter Forosemproniensem & Thomasium existimantes Christum dici à Patribus Cæsariensibus mortuum die 22 Martii.

Jul. Africanus,

Synodi Cæsariensis Decreto calculum suum addit nobilissimus, qui eodem tempore florebat Chronographus, ac vero-similiter ex eâdem Provinciâ oriundus erat, Julius Africanus. Hic ille est, qui inter Christianos primus viam aperuit ad accuratiorem Chronologiam, quâ prophana historia cum sacrâ connectitur, ambæque in suos annos exactè digeruntur: quo Africani labore immenso plurimùm adjutus est Eusebius in texendo egregio suo Chronico, omnium ætatum præconiis celebrato. Perierunt quidem illa Africani Opera magno rei litterariæ damno: non contemnenda tamen ejus Fragmenta nobis conservavit Georgius Syncellus, *in suâ Chronographiâ*, quorum partem nobis jam exhibuerat Scaliger, *in Eusebio suo Græco*, antequàm Syncellus ipse nuper, operâ Jacobi

vendicatur Anno 31 Vulg.

Goar, publicam in lucem produceretur. Hujus igitur editionis Syncelli *pag.* 322, & Scaligeriani Eusebii *pag.* 63, extat pulcherrimum ejus Fragmentum, quo, plus vice simplici, asserit Christum anno 2 Olympiadis 202 passum esse: quod & apprimè

apprimè quadrat in annum 31 Vulgarem, & cum Synodo Cæsariensi consentit exactissimè. Ejus siquidem anni Solstitio æstivo completus est *annus secundus* dictæ Olympiadis, pro quo Syncelli Interpres Goar, ad calcem paginæ 323, *annum quartum* malè vertit; utique aliud agens, cùm & ipsemet eâdem paginâ recte antea verterit *annum* 2, & textus Græcus, nullis usus compendiis, plenè hunc *secundum* exprimat.

Clarissimè quoque idem annus 31 Vulgaris, adeoque & secundus Olympiadis 202, exprimitur pleniore illo Africani Fragmento, quod ab Eusebio, *lib.* 8 *Demonst. Evang. pag.* 390 *Editionis Græcolat.* & ab Hieronymo, *Comment. in cap.* 9 *Danielis*, recitatur. Ibi enim à fine Regni Macedonici (quod desiit cum Cleopatrâ Anno Juliano 16 extinctâ) usque ad *decimum sextum Tiberii annum* (ita siquidem legendum ex Eusebio, Syncello, & Scaligero, *suprà*; non autem *decimum quintum*, ut vitiosè apud Hieronymum legitur) quo Christum cruci affixum fuisse existimat, numerat annos 60; quos si ad priores 16 adjeceris, exsurget annus Julianus 76, seu Vulgaris 31. Altera probatio.

Hoc ipsum confirmat totus calculus annorum Monarchiæ tum Persicæ, tum Macedonicæ, quem ibidem instituit Africanus. Persicæ siquidem tribuit annos 230; Macedonicæ verò 300; ut emendatè legitur apud Hieronymum, *suprà*: quod autem Eusebii *loco citato* legitur 370, proculdubio mendosum est; utpotè tum compertæ veritati, tum Africani menti ac scopo contrarium. His positis, calculos cum Africano, verâque Chronologiâ subducamus. Cœpit Imperium Persicum Anno Periodi Jul. 4155, quo Cyrus, Astyage depulso, regnum ejus invasit; ut probat Petavius, *lib.* 10 *doct. Temp. cap.* 14: desiitque Anno Per. Jul. 4384, quo Darius ab Alexandro Macedone devictus, & à Besso peremptus est, unàque cum ipso Monarchia Persica concidit, ducentesimo præcisè ac tricesimo suo anno, ut rectè numerat Africanus. Huic summæ adde 300 annos proximè sequentes Imperii Macedonici; incides in annum Per. Jul. 4684, seu Julianum 16, quo Cleopatra sibi mortem consciscendo, Monarchiæ illi finem imposuit. Denique anno illi mortis Cleopatræ iterum adde annos 60, de quibus initio agebamus; rursus prodibit Annus Per. Jul. 4744, seu Julianus 76, idemque Dionysianus 31. Atque ita (prout ibidem ratiocinatur Africanus) à principio Regni Persici ad annum 2 Olympiadis 202 (labentem in Martio anni 31 Vulgaris) numerabuntur anni 590; qui numerus toto centenario superat septuaginta annales Danielis hebdomadas, constantes annis dumtaxat 490: ut proinde (quæ est Africani conclusio) earum initium advocari non possit ab anno primo Cyri, ac Monarchiæ Persicæ; ut contendebant nonnulli, quos ibidem sibi refellendos proponit. Si quem fortè scrupulosiorem moveat, quod dicat Africanus, superfluere *annos centum & amplius*: poterit facilè in diversitate annorum, ad quos hîc anni Syriaci, Persici, & Olympiadici reducuntur, aliquid suprà centum annos reperire. Tertia probatio. Tollitur scrupulus.

Non minus præcisè elicietur idem annus ex aliâ supputatione accuratissimâ, quam ibidem subjicit Africanus in hæc verba: *Ab anno Persarum centesimo & quinto-decimo, qui fuit Regni Artaxerxis vicesimus, atque idem octogesimæ tertiæ Olympiadis annus quartus, ad illud tempus, qui fuit Olympiadis* 202 *annus* 2, *Imperii autem* Quarta probatio.

rii autem Tiberii 16, *anni numerantur* 475. Cùm enim, ut jam dicebamus, cœperit Persarum Monarchia Anno Per. Jul. 4155; consequens omninò est, ut ejus annus 115 componendus sit cum anno ejusdem Periodi 4269, cujus æstate iniit annus 4 Olympiadis 83, & (judicio Africani) annus vicesimus Artaxerxis, à quo putandas censet hebdomadas Danielis. Annis illis 4269 junge dictos 475 annos Solares, de quibus in illâ supputatione agitur; rursus emerget annus Per. Jul. 4744, & vulgaris 31; adeoque & annus 2 labens Olympiadis 202, ut suprà.

Ex his tam luculentis ac tantoperè inter se consentientibus testimoniis, facilè fuisset Petavio ea dubia dissipare, quæ movet *lib.* 8 *Auctarii Doctrinæ Temp. cap.* 8, ex Photio & Syncello, quorum textum minùs sincerum esse, patet ex dictis; & ratio postulat ut Africano ipsi de suâ mente fides potiùs habeatur, quàm cuilibet alteri. Quod verò in Fragmento Africani apud Georgium Syncellum, *pag.* 308, *& in margine paginæ* 303, dicitur Imperium Macedonicum durâsse *annis trecentis, minùs duobus*; aut mendosum est, nec exactis calculis jam factis inter se consentientibus prævalere potest; aut per inclusos & exclusos annos, aut diversa annorum initia conciliari debet.

Alter scrupulus tollitur.

Unus hìc, quantum video, superest scrupulus eximendus erudito Lectori; quâ nimirum ratione annus Vulgaris 31, jam per tres menses elapsus, possit ab Africano dici Tiberii decimus-sextus: cùm & ab Augusti morte; imò & ab ineunte anno sequente, seu Vulgari 15, sit annus 17 labens. Sed responderi potest Africanum (qui cum Patribus Synodi Cæsariensis annos Mundi orditur ab Æquinoctio Verno) annum ultimum Augusti in eo calculo prorogâsse (per Metalepsin satis familiarem, de quâ suprà, *Quæst.* 2, *cap.* 5) usque ad Ver anni Vulgaris 15; & ab eodem annum primum Tiberii inchoâsse. Eo autem posito, sequitur annum Tiberii 16 terminari Morte Christi, sub initium Veris anni 31 Vulgaris.

Mendum textûs corrigitur.

Ex dictis colliges, aut mendum subesse verbis Africani apud Georgium Syncellum, *pag.* 324, & in Græco Scaligeri Eusebio, *pag.* 64, dum à Christi Resurrectione ad Olympiadem 250 numerantur anni 192; aut debere in his annis comprehendi tam primum illius Olympiadis 250, quàm secundum Olympiadis 202, cui Africanus Christi Passionem affigit.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Eusebius Cæsariensis.

Eusebius pro Anno 31. Vulg.

Quâ ratione id probent Deckerius & Bucherius.

Quo major semper fuit hujus Scriptoris authoritas in negotio hoc Chronologicô; eo majore studio nituntur diversorum annorum propugnatores illum suas in partes pertrahere. Sed evidentius est eum anno 31 Vulgari patrocinari, quàm ut quocumque artificio ad alium annum detorqueri possit. Nonnulli tamen sunt, qui in adstruendâ hâc veritate iis utantur argumentis, quæ non tantùm illam non firment; sed etiam planissimè evertant. Inter hos Deckerius, *Parte* 3, *Annotat.* 22, & ex eo Bucherius *lib.* 4 *Belgii Romani, cap.* 7 *num.* 9, Fragmentum

gmentum quoddam, quod tamquam Eusebianum allegatur ab Anastasio Nicæno, *Quæst.* 93, miris præconiis celebrant, & ex eo annu Vulg. 31 stabilire conantur; cùm certissimè faciat pro anno 42. En Fragmentum ipsum, ut legitur in Bibliothecâ PP: *Nam cùm comedisset* (Christus) *umbraticum Pascha cum Discipulis, & instituisset authenticum quinto die hebdomadæ, qui erat Luna quartus-decimus, Mensis autem Martii 22, Indictionis quintus-decimus; eâdem nocte qua fert ad 23 ejusdem Mensis, fuit traditus; & cùm fuisset eodem die crucifixus, surrexit 35* (patet legendum 25) *die Dominico.* Quia verò Indictio XV apertissimè repugnat Anno Dionysiano 31, ideò Deckerius, & post eum Bucherius, reponunt Indictionem IV illi anno congruentem; quæ mutatio non est emendatio, sed certissima mendi inductio in locum eâ ex parte integerrimum, ut mox perspicuum fiet. Fateor, nisi obstarent tum Indictio, tum nonnulla alia ejusdem Fragmenti verba jam proferenda, nihil posse faventius adferri pro Anno Vulg. 31, cui congruit Littera Dominicalis G, diei 25 Martii affixa. Sed, ut dixi, annum 31 planè evertit Indictio XV, rectissimè à suo Authore adjecta ad designandum annum Vulgarem 42; quâ de re pluribus agendum erit infrà, *cap.* 8.

Quamvis autem dissimularetur illa Indictionis interpolatio, nullo modo posset Fragmentum hoc Eusebio adscribi: quod, attentis verbis immediatè præcedentibus, adeo est evidens; ut mirum sit Viros eruditos id minimè advertisse. Ibi siquidem disertissimè asseritur Christum natum, *postquam impleti sunt 5500 anni à Mundi creatione, & anno 5532* (constat ex dictis *in Prolegom Lemmate* 4, legendum 5533) *actum fuisse in crucem*; quæ annorum Mundi supputatio totis circiter trecentis annis discrepat à calculis Eusebii, cujus sententiâ Natalis Christi incidit in Annum 5199; Passio autem in annum 5231, ut patet ex iis quæ diximus *in Prolegom. Lemmate* 8, agnoscitque Bucherius ipse, *in suis Tabulis ad Victorii Canonem adjectis*, ubi cum anno 31 Vulgari componit annum Mundi Eusebianum 5232; emergentem scilicet labente anno illo Vulgari. Locus suprà allatus, malè Eusebio attributus.

Fient hæc multo manifestiora, si alterum consulamus Fragmentum Eusebio etiam ab Anastasio attributum *ibidem*; in quo Cycli Solis ac Lunæ, uti & Feriæ congruentes Incarnationi, Nativitati, Baptismo, ac Passioni Christi annotantur cum annis Mundi. Licèt enim hi characteres aliquot in locis luxati sint; facillimè tamen ex aliis rectè sese habentibus possunt restitui ab eo, qui minimam talium rerum peritiam habeat. Ex illis autem manifestissimè evincitur, horum Fragmentorum Authorem (si tamen unicus fuit) non esse Eusebium; sed unum aliquem ex Periodi Alexandrinæ sectatoribus, quibus solemne est Christi Passionem conferre in annum Vulgarem 42, & Indictionem XV, ut postea dicemus. Ut interim omittam, Eusebium illis Cyclorum Solis ac Lunæ minutiis uti non solere in annorum designatione; etsi dubium non sit, quin & in his versatissimus fuerit, eique à nonnullis tribuatur ordinatio Canonis Paschalis decreta in Concilio primo Nicæno; & inter Paschalium Laterculorum Compositores numeretur à Gennadio, *lib. de Viris illust. cap.* 88, Honorio, *in simili Opere, cap.* 88, Isidoro, *lib.* 6. *Orig. cap.* 17, Forosemproniensi, *Parte* 1, *lib.* 5 aliisque. Uti & alius locus.

Paulo plus coloris habet aliud Fragmentum nomine itidem Eusebii prænotatum, quod Combefis, *To.* 2 *Auctarii Bibioth. PP*, *pag.* 419, refert à se fuisse repertum. Locus dubius.

repertum in quodam Codice Tiliano, in hæc verba. *Vigesimâ quintâ Martii apud Romanos creavit Deus cælum & terram. In ipsâ Gabriel Virginem salutavit, dicens, Ave. In ipsa denique Unigenitus Patris Filius, post ineffabilem ex ipsâ Incarnationem, ubi dispensationem omnem explesset, à mortuis resurrexit.* Hæc, si reipsâ sunt ab Eusebio profecta, abundè sufficiunt ut eum vendicent anno 31 Dionysiano; cùm, ut jam monebamus, Resurrectio eo die peracta in alium annum incidisse non possit, de quo meritò dubitetur. Sed cùm eadem in posteriore Fragmento Pseudo-Eusebii ab Anastasio citati, quoad rem ipsam reperiantur; non parum vereor ne compendiosior hæc lacinia sit ex prolixiore illâ desumpta; adeoque pertineat ad annum 42 supradictum, cui etiam apprimè quadrat. Vide Georgii Syncelli Chronographiam, *pag* 2, ubi hoc Fragmentum pænè ad verbum reperitur; ita ut ex hoc etiam capite confirmetur suspicio quam nunc movebam de Authore adhærente anno 42, cui adhæret ipse Syncellus.

Demõstratio prima mentis Eusebii, pro Anno 31 Vulg. ex Anno Baptismi Christi.

Multo solidiùs certiusque id, quod intendimus, perficiemus ex ipso Eusebii Chronico, aliisque indubitatis ejusdem Operibus. In primis jam suprà, *Quæst.* 2, *cap.* 2, perspicuè demonstravimus Christum, ex Eusebii sententiâ baptizatum, suamque Prædicationem exorsum esse initio anni 28 Dionysiani. Cùm igitur tum *in Chronico*, tum *lib.* 1 *Hist. Eccles. cap.* 10, tum *lib.* 8 *Demonst. Evang. pag.* 400 *edit. Græcolat.* asserat Christi Prædicationem, Doctrinam, ac miracula, non totum quadriennium implesse, sed tres dumtaxat annos cum dimidio; comprehenso scilicet eo tempore, quod ab ejus Resurrectione ad Ascensionem fluxit: consequens omnino est, ut crucem subierit anno 31 Æræ communis.

Demõstratio secunda ex Anno 18 Tiberii.

Rursus idem constat ex anno Tiberii 18, de quo ita Eusebius, *in Chronico: Jesus Christus Filius Dei, juxta prophetias quæ de eo fuerant prælocutæ, ad Passionem venit anno Tiberii* 18. Sinceram ac germanam esse hanc lectionem, evidenter probant tum jam dicta; tum totus illius Chronici contextus, tum omnium Codicum consensus, ut testatur accuratissimus Pontacus, *in Notis*, tum innumeri Scriptores Græci ac Latini vestigiis Eusebii insistentes, qui diversissimis sæculis ac Regionibus scribentes, in illum Tiberii annum communiter conspirant; ut planè ridiculum sit eâ de re vel minimùm dubitare: multo magis lectionem hanc sollicitare, & *annum* 19 velle substituere. Quod si annus Tiberii 15 est Æræ Vulgaris 28; decimùs octavus illius annus erit Vulgaris 31.

Demõstratio tertia ex Anno 3 Olympiadis 202.

Conficitur id quoque ex anno 3 Olympiadis 202, cui in Chronico Eusebii alligatur Passio Christi. Cùm enim hic Scriptor, ut sæpiùs diximus, ei anno Mundi, seu Abrahæ, singulos Olympiadum annos tribuat, cujus æstate oriuntur, dicendus omnino est Passionem anno 31 Vulgari affixisse, à cujus Solstitio æstivo fluere incipit annus 3 jam dictus. Nec est quod causentur Adversarii facilem lapsum in digerendâ annorum serie per lineas varia annorum genera complectentes, quæ est textura Chronici Eusebiani; ut proinde pronissimum sit, dormitante Librario, errorem subrepere. Huic siquidem exceptioni palàm præscribit tum consensus Codicum, tum evidentissimè ipsemet Eusebius, qui, *lib.* 1 *Præparat. Evang. cap.* 9, disertissimè scribit annum Tiberii 15 incurrere in annum 4 Olympiadis 201. Junge his triennalem & aliquot mensium Prædicationem ab

Eusebio

Eusebio assertam; emergetque annus Tiberii 18, & tertius Olympiadis 202 jam dictus, & consequenter tricesimus primus Æræ Vulgaris.

Præterea idem hic annus elicitur ex anno Mundi 5231, quo Christum passum censet Eusebius, ut manifestum fit ex Præfatione ejus in suum Chronicon, & ex totâ ipsius Chronici fabricâ, ipsiusque epilogismis. Ex illo etenim numero si detrahas 487 (juxta dicta, *in Proleg. Lemmate* 6) prodibit annus Per. Jul. 4744, qui est annus Vulgaris 31. Neque his obstat quod Georgius Syncellus, *Chronog. pag.* 36, *&* 326, testetur. Eusebium Christi Passionem consignasse anno Mundi 5232: orditur siquidem hic Author annos Mundi ab initio Veris, quo Mundum conditum censet; hoc est, toto semestri ante Eusebium, qui annos illos ab Autumno incipit, ut aliàs diximus. Adde valde familiare esse Græcis, ut confinium annorum terminos, & desinentem annum priorem cum ineunte posteriore confundant, ut suprà monuimus, & infrà udituri sumus. Porro nostra supputatio apertè confirmatur ex Victorii Aquitani *Præfatione in suum Canonem Paschalem*, ubi annum 28 Vulgarem, quo Christum mortuum existimavit, componit cum Eusebiano Mundi anno 5228 desinente, & 5229 ineunte ad diem 25 Martii. Si enim primis Mensibus anni illius 28 in cursu erat annus Eusebianus 5228; sequitur anni Vulgaris 31 initio in cursu fuisse annum 5231. Similiter cum in Chronico Eusebiano alligetur Mors Christi ad annum Abrahæ 2047; si ex methodo perpetuâ (de quâ suprà, *Lemmate* 7) addantur 2697, iterum exsurget annus Per. Jul. 4744, seu annus 31 Dionysianus.

Demôstratio quarta ex Anno Mundi.

Ejus confirmatio.

Demôstratio quinta ex Anno Abrahæ.

Conspirat & ætas Christi: cùm enim *Quæst.* 2, *cap.* 2, ostenderimus eum, ex Eusebii sententiâ, baptizatum anno Vulgari 28, dum annum suum 30 inchoaret; consequens est ut, interjectâ trium annorum & aliquot insuper Mensium Prædicatione, passus sit anno Vulgari 31, ac ætatis 33 per tres menses inchoato; quæ passim fuit opinio sectatorum Eusebii.

Demôstratio sexta ex ætate Christi.

Denique non posse Eusebium dici favisse ulli anno qui tricesimo primo Vulgari sit posterior, clarè evincitur ex intervallo quod statuit à Passione Christi ad excidium Hierosolymæ. Jungit siquidem *in Chronico* eam eodem anno Abrahæ 2086; hoc est, Per. Jul. 4783, Vulgari 70: nec est ullus hodie peritorum, qui dissentiat de hoc anno. Jam verò *lib.* 3 *Hist. Eccles. cap.* 8, prædicat Eusebius *singularem clementiam benignæ Dei erga Judæos providentiæ, quadraginta annos continuos post illud facinus contra Christum admissum, perniciem & interitum in illis futurum differentis.* Item *lib.* 6 *Demonst. Evang. cap.* 18, asserit Christi prædictionem de Urbe desolandâ impletam fuisse *anno* post illam *quadragesimo*: quòd enim in textu legitur, *quinquagesimo*; mendum est manifestum. Si ab anno Vulgari 70 sursum ascendendo numeres annos 40, & quidem extremis comprehensis, quâ supputatione nulla potest esse brevior; incides in annum 31 Vulgarem; ut proinde evidentissimum fiat, Passionem, ex Eusebii mente, ne in annum quidem 32 Dionysianum, multoque minùs in 33 differri posse.

Demôstratio septima ex intervallo à Passione ad excidiû Hierosolymæ.

Contra hæc tam valida, & tam patentia, acriter insurgit recens Scriptor, *in suâ* 1 *Quæst. Evangelicâ, à pag.* 16 *ad* 23; *item pag.* 96, *& seqq.* ubi fusissimè contendit, *Primò* mendum subesse Latino Eusebii textui, ac pro *decimo-octavo anno Tiberii*, reponendum esse, *decimo-nono*: exemplo Scaligeri, in suâ editione

Variæ Objectiones.

Græci Chronici Eusebii. *Secundò*, id omninò exigere Eclipsim, quam Phlegon ab Eusebio citatus testatur anno 19 Tiberii accidisse. *Tertiò* hoc ipsum patere ex Georgio Syncello verba Eusebii proferente, adscripto anno Tiberii 19; ac proinde corrigendum Goarum Syncelli Interpretem, quòd *annum* 18 substituerit, dum Eusebii mentem non capit suæ correctioni planè contrariam. *Quartò*, id insuper patere ex Chronico Alexandrino aiente expressè, Christum ad Passionem venisse anno Tiberii 19. *Quintò*, Eusebium ipsum manifestè ponere Christi Baptismum anno 16 Tiberii, dum scribit, *post decimum-quintum annum Tiberii Cæsaris tribus annis Dominum prædicasse*; unde vult confici Passionem in annum Tiberii 19, ac Vulgarem 33 incurrisse, ex Eusebii sententiâ. *Sextò*, ex his omnibus non fore difficile corrigere quod ait Petavius, Eusebium non anno quarto, sed tertio Olympiadis 202 Passionem Christi tribuisse, eique annum 18 Tiberii apposuisse. *Septimò*, nec tertium annum Olympiadis illius 202, nec decimum-octavum Tiberii favere opinioni Petavii de Christo mortuo anno 31 Vulgari. Doleo sanè ex animo talia viro docto excidisse, quæ per veritatem, de cujus gravi dispendio hîc agitur, dissimulare non liceat.

Primæ objectionis rejectio.

Ad *Primum* igitur ex iis quæ objicit, cùm paulò antè, hoc ipso capite, abundè responderimus (junctis præsertim iis quæ diximus *Quæst.* 2, *cap.* 2, de quintodecimo Tiberii anno, ex compertissimâ Eusebii mente) non est cur hîc actum agamus. Illud unum addo, admisso illo mendo imaginario, quod sibi fingit Vir doctus; admissâ item ejus correctione, quæ mera est depravatio textûs Eusebiani; annum illum Tiberii 19 non fore ex Eusebii methodo, tricesimum-tertium Vulgarem, sed tantùm 32: ut perspicuum est ex dictis suprà, pluribus locis. Scaligeri editionem Græcam Chronici Eusebiani adferri ad mendum aliquod adstruendum contra ea omnia quæ suprà congessimus, meritò mirabuntur quotquot probè nôrunt eam innumeris mendis cum Eusebii sententiâ manifestè pugnantibus scatere; adeò ut illius Scaligerum ipsum puduerit, qui de eâ ad incudem revocandâ cogitavit eo ipso tempore, quo primùm in lucem prodibat, ut suprà, *Lemmate* 9 dicebamus. Sed age, videamus quid de illo Tiberii anno habeatur in Græco Eusebii Chronico, quod Scaliger ex variis Eusebii laciniis, & ex variis Fragmentis Georgii Syncelli aliorumque fabricavit arbitratu suo, & ex privato suo judicio sæpè aberrante, interpolavit. Fateor *paginâ* 63 *lineâ primâ* Græci illius Chronici legi Christum passum *anno* 19 *Tiberii*. At nunquid *lineâ immediatè præcedente* legitur *Anno* 18? Fateor insuper eumdem *annum* 19 iterum haberi *paginâ* 188: at nunquid *lineâ immediatè præcedente* habetur *annus* 18, idque in expansâ serie annorum Tiberii, quæ errori minùs est obnoxia, quàm sint compendiosæ numerorum notulæ, quibus *annus* 19 exprimitur? Utrâ igitur harum Lectionum standum erit? Cur unam, omissâ penitùs alterâ, nobis objicit Vir doctus? An non, si res utrimque dubia esset, ea meritò præferretur, quæ omnium Latinorum Codicum, & infinitorum Scriptorum consensu stabilitur? An non tam *pag.* 62, quàm *pag.* 188 Eusebii illius Græci, legitur Christus baptizatus *anno Tiberii* 15; quo dato, manifestè conficitur mortuum, ex mente Eusebii, anno 18 ejusdem Imperatoris? Verùm non est cur operosiùs hæc & similia urgeamus; quandoquidem ipse Scaliger, *in Animadversionibus Chronico illi*

illi subjectis, *pag.* 170, *col.* 2, disertis verbis testetur Eusebium scripsisse Christum passum *anno* 18 Tiberii.

Ad *Secundum*, de Eclipsi illâ decantatissimâ, & de celebri Phlegontis testimonio, suus erit infrà, *cap.* 26, dicendi locus, nec paucis. Hîc obiter dumtaxat adverti velim, falsum esse quòd objicitur, Phlegontem testari eam accidisse anno 19 Tiberii. Non enim ejus sunt verba quibus id asseritur; sed Philoponi ratiocinantis super Phlegontis testimonio à se prolato. Secundæ solutio dilata.

Ad *Tertium*, si Vir doctus Georgium Syncellum quasi anno 33 Vulgari faventem alleget; immane quantum fallitur: stat enim apertissimè, ut postea dicetur, pro anno 42. Sin autem hoc unum agit ut ex ejus Codice evincat, Eusebium scripsisse mortuum Christum *anno Tiberii* 19; dico numerum illum adeò potenter ex suprà allatis refelli, ut iis nullus Codex opponi possit. Optimè igitur Syncelli Interpres Goar pro *anno* 19 Tiberii substituit *annum* 18, ex compertâ sibi Eusebii mente hanc correctionem evidenter exigente. Atque utinam ubique tam laudabiliter se gessisset, tam in suâ interpretatione, quàm in Notis ad calcem adjectis. Solutio tertiæ.

Ad *Quartum*, non capio quo jure pro fulciendo anno 33 Vulgari præferri possit Author Chronici Alexandrini, quem planissimè constat facere pro anno 31, ut mox demonstrabitur. Scribit quidem Christum cruci affixum anno Tiberii 19; sed disertis verbis statim subjungit annum illum 19 *inchoatum fuisse die* 21 *Martii* (qui dies apud illum Scriptorem est caput Anni Ecclesiastici) ex quo consequens est Christum, juxta istam supputationem, passum esse die 3 Anni 19 Tiberii per Prolepsin inchoati ineunte Vere anni 31 Vulgaris. Atqui Vir doctus annum illum 19 orditur toto ferè sesquianno seriùs, à die nimirum 19 Mensis Augusti, anni Dionysiani 32, eoque jam ultra septem menses exacto Christum mortuum esse contendit. Quod igitur suæ causæ firmamentum ab eo sperare potest, à quo & in supputandis Tiberii annis tantoperè dissidet, & quoad tempus Passionis solido biennio ac diebus insuper undecim discrepat? Solutio quartæ.

Quinto argumento, quo manifestè falsum assumitur, jam satis superque respondimus *Quæst.* 2, *cap.* 2. Quinta jam alibi soluta.

Ad *sextum* & *septimum*, unicum hoc repono, manifestè constare ex dictis, Petavium, hac in parte, nullâ prorsus correctione opus habere; sed è contrario veram & germanam Eusebii sententiam exprimere. Penetravit scilicet summus ille Vir arcana omnia Chronici Eusebiani, & ex toto ejus contextu facilè intellexit Passionem in eo non alteri anno jungi, quàm anno 31 Vulgari, & tertio Olympiadis 202 per Prolepsin revocato ad caput anni Civilis Orientalium ab Autumno præcedente deducti; etsi probè nosset Martio anni 31 Dionysiani fluxisse annum secundum dictæ Olympiadis Mathematicè sumptum. Quâ ratione opinioni illi Eusebii ac Petavii faveat annus 18 Tiberii, jam toties ostensum est, ut pigeat repetere. Ad 6, & 7.

Ad complementum hactenus dictorum, addo manifestum omninò esse, Eusebium, si servatâ Chronici sui texturâ Passionem Christi anno 33 Vulgari consignare voluisset, eam consignaturum fuisse non *decimo-nono* Tiberii anno; sed *vigesimo*: item non *quarto Olympiadis* 202; sed *primo Olympiadis* 203. Equidem Mantissa refutationum.

 qui

qui hæc certa & indubitata esse non videt, prima Eusebiani Chronici elementa necdum assecutus videtur.

Mantissa altera.

Denique lubet ex Viro docto sciscitari, quâ ætate, ex Eusebii opinione, Christum fuisse existimet, dum Baptismum susciperet; quâ dum mortem subiret? Haud dubiè nihil aliud respondere poterit, quàm id quod suprà dicebamus, baptizatum dum annum suum trigesimum inchoaret (ut planè affirmat Eusebius, *lib.* 1 *Hist. Eccles. cap.* 10) ac proinde mortuum anno ætatis 33 à tribus mensibus inchoato. Rursum quæro, cuinam anno censeat ab Eusebio tribui Natalem Christi? Dicet haud dubiè se, *pag.* 140, *ac seqq. Operis sui*, satis significare, tribui anno Juliano 43 desinenti, seu tertio ante Æram Vulgarem: quod, etsi usquequaque verum esse non credam, existimemque Eusebium initio anni sequentis Natalem adscripsisse; lubet hîc dissimulare: cùm discrimen illud dierum 13 perparùm ad summam rei conferre posset. Si igitur Christus, Eusebii calculo, baptizatus est ineunte anno Dionysiano 30, mortuus anno 33 (ùt nobis persuadere contendit Vir doctus) baptizatus fuerit dum jam per dies 13 inchoâsset annum ætatis 32; mortuus verò dum tres primos menses anni sui 35 exegisset. Manifestissimè igitur pugnat cum Eusebio, quem in suas partes frustra pertrahere satagit.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Alii Scriptores Græci.

Apollinaris Laodicenus

NON obscurè, quantum apparet, huic anno suffragatur Apollinarius Laodicenus, dum apud Hieronymum, *Comment. in cap.* 9 *Danielis*, ita loquitur: *Tricesimo juxta Evangelistam Lucam anno ætatis suæ cœpit in carne suâ Dominus prædicare; & juxta Joannem Evangelistam per tria Paschata duos postea implevit annos* (usque ad mortem in cruce) *& exinde sex Tiberii supputantur anni.* Et verò à die 23 Martii anni Vulg. 31 ad diem 17 ejusdem Mensis, anni Dionysiani 37, quo decessit Tiberius, sex præcisè sunt anni, demptis tantùm sex diebus.

Quidam antiqui Chronographi.

Eidem anno subscripsisse censendi sunt antiquiores illi Chronographi, qui (teste Epiphanio, *Hæresi* 66, *num.* 20) *ab Ascensione Christi ad Manem* (Herefiarcham) *& Aurelianum ac Probum Imperatores* (id est, ad annum Vulgarem 276, quo decessit Aurelianus, Probusque successit) annos 246 supputabant: comprehensis nempè, ut sæpe aliàs, extremis. Evadet hoc clarius ex eo quod scribit S. Leo Magnus, *Sermone* 72, Hæresiarcham illum innotuisse Probi & Paulini Consulatu; seu anno Vulgari 277. Ex his enim si subducantur 246, supererit Annus 31.

Epiphanius.

Epiphanium pro anno hoc 31 facere, adeo est exploratum, ut non possit frustra non esse labor eorum, qui illum anno 33 Vulgari aptare moliuntur. Patet id ex serie Consulum, quam texit *Hæresi* 51, *num.* 22 *&* 23, si unicum hoc correxeris, in quo Epiphanius humani aliquid passus est, distinguendo Geminos Consules à Rufo seu Fusio & Rubellione, cùm omnino iidem sint. Eo enim mendo

mendo sublato, Consulatus Vinicii ac Longini, qui in ea serie est trigesimus tertius, erit trigesimus secundus; sequens autem Consulatus erit Tiberii ac Seiani, anno 31 Vulgari conveniens, eritque ex vero trigesimus tertius, Consulatus, cui Epiphanius mortem Christi tribuendam scribit. Id insuper patet tum ex dictis suprà *Quæst.* 1, *cap.* 6, *&* *Quæst.* 2, *cap.* 2, de annis Christi Nati & Baptizati ex mente Epiphanii, junctis iis quæ idem Pater subjungit *loco cit*, *num.* 24, *&* 28. de Baptismo suscepto sub trigesimo istius seriei Consulatu Silani & Nervæ (hoc est, anno 28 Dionysiano) die 8 Novembris; à quo ad Christi mortem supputat annos duos, ac dies 134. Necessariò igitur eam tribuit anno Vulgari 31, Mensisque Martii diei vigesimo primo, sive, ut sæpiùs scribit, decimo tertio Cal. Apriles, vel vigesimo Martii. Negari non potest, utrumque hunc diem, attentâ Littera Dominicali G. anno 31 Dionysiano congruente, repugnare Feriis quas & Cœna ultima & Passio Christi exigunt juxta Historiam Evangelicam: sed facilè suspicor Epiphanium implexissimo illo calculo, quem *num.* 26 instituit, aliò abductum, nonnihil hallucinatum esse. Vide Kepplerum, *in Eclogis Chronol. pag.* 177, *& seqq. & pag.* 207, *&c.* Petavium, *in Animadv. ad Hæresim cit.* Bucherium, *Tract. de Paschali Judæorum Cyclo*, *cap.* 7. Item ipsummet Epiphanium, *in Anacephalæosi*, *n.* 123.

Huc quoque referendus est Chrysostomus, ex *Homiliâ in illud*, *Exiit edictum &c*, ubi evidenter Eusebii Chronologiam exprimit, tum quoad sex & quinquaginta annos Imperii Augusti, cujus anno 42 natus sit Christus; tum quoad annum Tiberii 18, cui Passionem affigit; tum quoad ætatem Christi, qui quindecim annos sub Augusto exegerit, octodecim (inchoatos) sub Tiberio; tum quoad initium & durationem prædicationis. Confirmantur hæc ex ejusdem *Homiliâ de Principibus Apostolorum*, in quâ asserit S. Paulum in annis quinque & triginta Christo inservisse. Junge his annum à Passione secundum, quo, juxta Romanum Martyrologium compluresque Scriptores, contigit ejus Conversio; exsurget annus 37 à morte Christi, idemque Dionysianus 67, quo reipsa necatus est Apostolus. Scio Chrysostomum alibi videri favere anno Vulgari 29, dum ait excidium Hierosolymæ incidisse in annum 42 à Passione Christi. Sed si mendum non subsit, id videtur ex alienâ potiùs sententiâ scripsisse, quàm ex suâ; ut infrà, *cap.* 15 ducturi sumus. Certè id, quod jam ex duabus Homiliis allatum est in contrarium, meritò censeri debet dicto illi prævalere. Chrysostomus

Ad hunc annum pertinere debebit Basilius Seleuciensis, *Orat.* 38, *quæ est adversus Judæos*, si (juxta dicta *Quæst.* 1, *cap.* 7) annos Augusti tres & quadraginta, quos à morte Cleopatræ accersit, numeret per prolepsin aut ab ineunte anno Juliano 16, aut saltem ab ejus Vere; ac deinde eodem modo supputet decimum octavum annum Tiberii, cui Passionem adjungit. Si verò eos inchoet ab Autumno anni illius 16, aut etiam à Januario sequente; pertinebit ad annum 32 Vulgarem. Sed hoc posterius, spectato Antiquitatis sensu, minùs verosimile videtur. Basilius Seleuciensis.

A nonnullis pro anno hoc allegatur Georgius Pisides, quem aiunt à die sexto Januarii ad Passionem usque numerare dies 76, quorum postremus in diem 23 Martii cadit: utique aptissimè ad hunc annum, à quo dicunt hunc Scriptorem Georgius Pisides.

 ideo

ideo ordiri suum Cyclum annorum 532. Eum quia mihi videre non licuit, penes alios totam hujus rei fidem esse volo.

Oecumeni°, Euthalius, Anonymi duo.

Huc spectat Occumenius, *in fine Enarrationum in Acta Apostolorum*, item Euthalius Diaconus, *in Peregrinatione S. Pauli, eidem Operi subjunctâ*, item Anonymi duo, alter Brevis Narrationis de prædicatione & morte Apostolorum, alter Iamborum argumenta singularum Epistolarum S. Pauli continentium Authores, iisdem Oecumenii Græco-Latini Commentariis præfixi; qui omnes à Passione Christi ad mortem Apostoli, seu, ad Annum Æræ Vulgaris 67, numerant annos 36.

Chronicon Alexandrinum.

Chronici Alexandrini Author adeo dilucidè hunc annum signat, ut non possit magis. Passioni siquidem tribuit annum Mundi 5540 (Periodi Constantinopolitanæ) ineuntem die 21 Martii, & tertium post bissextum; item Cyclum (Constantinopolitanum) Solarem 24, Lunarem 11, Indictionem 4, diem Martii 23, Lunam (Cyclicam) 14, Feriam 6: qui omnes characteres in solum annum 31. Vulgarem quadrare possunt. Sed mirabitur fortassis quispiam, qui methodum illius Chronici non satis calleat, cur eidem anno ibi jungatur annus 4 Olympiadis 202, qui anno dumtaxat sequente 32 Vulgari fluere incipit à diebus æstivis: ex quo sequitur Martio anni 31 in cursu reipsâ fuisse annum secundum dictæ Olympiadis, tertium autem toto pòst trimestri inchoatum esse. Latè per totum istud Chronicon vagatur hic error, ut annorum Olympiadicorum initia à Solstitio æstivo ducta, anno uno solido verum suum situm prævertant; ac deinde per prolepsin revocentur longiùs ad caput Anni Ecclesiastici fixum ab hoc Chronologo in die 21 Martii. Atque ita singuli Olympiadum anni totis quindecim mensibus citiùs in illo Chronico inchoantur, quàm absolutè deberent attentâ nudâ rei veritate. Ad hoc dum non satis advertunt nonnulli, omnia susque deque miscent, & ea Scriptori illi adscribunt, à quibus est alienissimus. Vide quæ superiore paragrapho diximus, dum explicaremus quo sensu dicat hic Author Christum mortuum Anno 19. Tiberii.

Remora sublata.

Hippolytus Thebanus.

In eumdem prorsus annum consentit Hippolytus Thebanus, *in suo brevi Chronico*. Quamvis enim Mortis Christi annum clarè non exprimat; eo tamen ipso quo Periodi Constantinopolitanæ sectator est quoad Natalem, Passionem verò addicit 23 Martii; necesse omnino est ut illam anno 31 Dionysiano alligarit.

Cedrenus.

Videri primâ fronte possit Cedrenus anno uno dissidere à Chronologo Alexandrino, dum Christi Passionem jungit Anno Mundi 5539, Cyclo Solari 23, Luna 10: Sed nulla planè est in re diversitas. More enim apud Græcos solemni annum 5539 desinentem ineunte Vere anni Dionysiani 31 confundit cum 5540 tunc ineunte, quem & disertè postea subjungit, addito Cyclo Solari 26 (pro quo constat rescribendum 24) & Lunari 11. Ex simili confinium annorum confusione subinde Passionem tribuit anno 18 Tiberii, subinde 19: quod diligenter observandum est in nonnullis Antiquis, maximè Græcis. Hic non dissimulabo Cedrenum, *pag.* 156 *Veteris editionis Græcolat.* probare sententiam Romanorum asserentium, *Christum passum in Gemini Consulatu, qui fuit in primo anno Olympiadis* 202; quibus verbis apertè annum 29 Dionysianum indicat. Sed Cedrenum, dum hæc scriberet, minus attentum fuisse, declarant ea quæ immediatè

immediatè ſubjungit: *Atque argumento etiam ei rei eſt teſtimonium Evangelii à Joanne conſcripti, quod Chriſtum, poſt 15 Tiberii annum, docendo triennium conſumpſiſſe perhibet.* Cùm enim quoad Tiberii annos ſequatur Chronologum Alexandrinum, evidens eſt eos, iſti Chronologiæ inhærendo, cum Geminorum Conſulatu conciliari non poſſe.

Ab his divelli non poteſt Julius Pollux, non ille Onomaſtici Græci Imperatori Commodo dicati Author, ſed alius quiſpiam ignotus, ex cujus Hiſtoriâ naturali MS. hæc recitat Herwartus, *cap. 176 Novæ Chronol. Reſurrexit* (Chriſtus) *à mortuis Menſis Martii die 25 juxta Romanos, die Dominico, Indictione* 4. quos characteres ſoli anno 31 Vulgari convenire jam ſuprà diximus. Adfert Gretſerus, *To. 2 de Cruce, pag.* 571, planè diverſum teſtimonium cujuſdam etiam Julii Pollucis, quod ſatis conſtat eſſe deſumptum ex Epiphanio; uti & alterum planè geminum Alexandri Monachi, apud Gretſerum ſuprà, *pag.* 16; ut proinde uterque huic anno ſuffragetur cum Epiphanio. — *Jul. Pollux. — Alexander Monachus.*

Nicephori Calliſti Scholiaſtes credit eum anno Vulg. 32 patrocinari; ſed nullo modo abit à jam recenſitis. Id perſuadet Epilogiſmus annorum ad calcem libri primi adjectus, quo ait ſe Hiſtoriam à Nativitate Chriſti produxiſſe ad ejus Paſſionem per annos triginta tres (ſolidos ſcilicet, ac neglectis Menſibus tribus ſuprà excurrentibus, prout ejus calculus exigit) dum compleretur annus Mundi (Conſtantinopolitanus) 5539; qui nimirum ſpectato Eccleſiaſtico anni capite, abſolvebatur ineunte Vere anni Dionyſiani 31. Quod addit de anno 19 Tiberii; debet eo [illegible]do accipi, quo ſuprà, *paragrapho* 2, dum ageremus de Chronologo Alexandrino, quem Nicephorus affectatur. — *Nicephorus Calliſtus.*

Calculum etiam ſuum adjicit Nicetas, allatis characteribus anni illius 5539, Indictionis 4, Cycli Solaris 23, Lunaris 10; de quibus ſuprà. Nec aliud ſenſiſſe videtur Nicephorus Gregoras, *lib. 8 Hiſtoriæ*, dum Reſurrectionem tribuit 25 Martii diei; uti nec Joannes Zonaras *in ſuis Annalibus*, dum crucifixionem adſcribit anno 18 Tiberii: neuter autem, quod me obſervâſſe meminerim, uſpiam ſignificet ſe adhærere ſectatoribus Periodi Alexandrinæ, ſtantibus pro anno 42 Vulgari, cui characteres illi etiam conveniunt ex horum Scriptorum calculo. — *Nicetas. — Nicephorus Gregoras. — Zonaras.*

Quàm recepta inter Græcos fuerit hæc opinio de Anno 31 Vulgari, clarè demonſtrat id quod in eorum Menæo toti illi Eccleſiæ communi ad diem 23 Martii legitur in hæc verba: Ἡ ἐν τῷ κυριακῷ Πάσχα σταύρωσις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ Σωτῆρος Θεοῦ. *Crucifixio Domini noſtri Jeſu Chriſti & Salvatoris Dei in Dominico Paſchate.* Item ad diem 25 Martii: Ἡ ἐν τῷ κυριακῷ Πάσχα ἀνάστασις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Reſurrectio Domini noſtri Jeſu Chriſti in Dominico Paſchate.* His ſolis characteribus ſignari annum 31, ſecluſis vicinioribus, jam antea monuimus. Non fuiſſe autem habitam rationem anni Vulgaris 42, cui etiam aptari poſſent, inde facilè ſuadetur; quòd hoc Menæum à Patriarchis Conſtantinopolitanis cuſum, aut ſaltem probatum, ac Eccleſiæ Græcæ propoſitum, cenſendum ſit exactum fuiſſe ad normam Periodi Conſtantinopolitanæ, cujus ſectatores anno 31 Vulgari patrocinantur. Unde varii disertè fatentur hanc eſſe communiſſimam ſententiam Græcorum. Quod verò Lucidus, *lib. 7 de Emend. Temp. cap.* 2, ſcribit Græcos, dum Chriſti necem alligant diei 23 Martii, favere anno 34 Vulgari, — *Menæum Græcorum. — Error Lucidi.*

quo

quo Pleni-Lunium Aſtronomicum reipsâ in diem illum 23, Feriamque tertiam incidit; certo certiùs fallitur, ut ex dictis patet, magisque patebit ex dicendis *cap.* 8.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Latini Scriptores.

Hierony-mus. Latinorum, quod ſciam, antiquiſſimus huic anno patronus accedit Hieronymus, *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Ibi Paulum memorat Romam vinctum veniſſe anno Neronis 2, poſt Chriſti Paſſionem 25. Fluebat tum annus Vulg. 56. Deme annos 25; ſupereſt 31. Rurſus ibidem aſſerit Apoſtolum capite plexum anno 14 Neronis, & poſt Paſſionem 37 Contigit hoc anno Vulgari 67; ſed juxta Chronicon Euſebii, quem hîc Hieronymus ſequi videtur, anno 68. Subductis 37 ex 68, ſuperſunt 31; totidemque extremis comprehenſis, erunt reſidui, ſi ſubtractio fiat ex 67. Sufficiant hæc ad ſpecimen; plura enim hujus generis eôdem conſpirantia habet de morte Jacobi Minoris, & Joannis Evangeliſtæ.

Oroſius. Oroſius dum *lib.* 7 *Hiſt. cap.* 4, Paſſioni jungit annum 17 Tiberii, non ideo ab Euſebii ſententiâ, quem aliàs paſſim ſibi ducem proponit, recedere credendus eſt. Nam Martio Anni Dionyſiani 31 adhuc labebatur annus ille Tiberii 17, ſive is præcisè ab Auguſti morte arceſſatur, ſive à præcedentibus Palilibus, dieque 21 Aprilis, à quo capite initium ducunt Anni Urbis conditæ, quos Oroſius attendit. Hinc colliges Gregorium Turonenſem *lib.* 1 *Hiſt. Francor. cap.* 23, cum Oroſio ſentire, dum eumdem annum 17 Tiberii aſſignat Chriſto morienti.

Gregorius Turonen.

Caſſiodorus. Caſſiodorus, *in ſuis Faſtis*, Chriſti necem copulat cum Tiberii Conſulatu quinto, qui in hunc annum quadrat. Quod verò ibidem legitur id contigiſſe VIII Cal. Apriles; aut mendoſum eſt, aut ab aliquo Librario adjectum. Talis enim error Cyclis illius anni apertè repugnans non potuit cadere in Caſſiodorum Artis Computiſticæ ſcientiſſimum, de quâ & libellum creditur ſcripſiſſe hodieque extantem, in quo modum tradit & ætatem Lunæ, & Feriam, & alia eôdem ſpectantiâ inveſtigandi. Nonnulla alia ad aſſerendum huic anno Caſſiodorum adfert Hervartus, *Novæ Chronol. cap.* 154, ſed ex lectione dicti libelli, quo nititur, patet ea vera non eſſe.

Duo Anonymi. Eadem mens fuit Authori *Sermonis* 22 *de Tempore*, *To.* 10 *Operum Auguſtini*, eo ipſo quo Reſurrectionem adſcribit 25 Martii. Item Authori Operis *de mirabilibus Sacræ Scripturæ*, numeranti annos 92 à Chriſti Paſſione ad Conſulatum Aviolæ, & Panſæ, ſeu annum Vulg. 122. Totidem enim, comprehenſis extremis, numerantur ab anno 31 Vulg.

Iſidorus Hiſpalenſis. Iſidorus Hiſpalenſis, *in libro de vita & Morte SS. Novi Teſtam.* docet cum Hieronymo, de quo ſuprà, Petrum & Paulum obiiſſe anno 37 poſt Chriſti mortem; in Chronico autem docet cum Euſebio, cujus ſe ſequacem diſertè profitetur, eam contigiſſe anno 18 Tiberii. Ex quo facilè intelliges, pro anno Mundi

VM.

VM. CC. XXIX, qui vitiosè ibi legitur, reponendum VM. CC. XXXI, litteris duabus postremis transpositis, ut exigit Calculus Eusebii.

Idacius quoque Eusebii vestigiis videri potest institisse, quoad annum Passionis; tum quia eumdem sequitur quoad annum Natalem; tum maximè quia scribit Christum passum X Cal. April; resurrexisse VIII Cal. Ultro tamen agnosco cum hoc stare non posse, quod ait passum Geminis Coss. nisi dicatur in vitiatos Fastos incidisse. Idacius.

Paradoxon nonnullis videri poterit, si Bedam huic anno vendicare studeam. Vendico tamen cum hac cautione, ut non gravatè agnoscam eum subinde aliis annis favere. Priori meo dicto fidem adstruit, *libro de Ratione Temporum cap.* 65. ubi postquam ostendit sibi videri credibile Adamum & Hevam die 23 Martii, Feriâ 6, creatos fuisse, subjungit. *Vnde meritò creditur (si non verior sententia vincit) quod Beatus Theophilus cum cæteris non solùm Palæstinæ, sed & permultis aliarum Regionum Episcopis* (in Synodo Cæsariensi, de quâ suprà, *paragr.* 1) *de Pascha disputans scripsit, eodem die X Cal. April. Dominum fuisse crucifixum, &c.* Quin etiam *ejusdem libri cap.* 7, ait Christum passum 18 Tiberii anno, professus se Eusebium sequi. Præterea à morte Cleopatræ (anno 16 Jul.) ad annum Tiberii 17 (Julianum 75, Vulgarem 30) numerat annos 59; item annum Excidii Hyrosolymæ (70 Vulgarem) ait esse *quadragesimum annum* Dominicæ Passionis. Item *Præfat. in Acta Apostolorum*, scribit Tiberium sex annis post Passionem Christi imperasse. Quæ omnia annum indicant 31 Dionysianum (quo etiam Beda, *in Circulis Decennovennalibus expansis*, notat Lunam 14, die 24 Martii, satis conformiter ad ea quæ dicturi sumus infrà, *cap.* 20, 21, *&* 22) & longè prævalere debent iis, quæ infrà, *cap.* 8, ex eodem Scriptore sumus allaturi. Beda anceps, sed favens Anno 31 Vulg.

Digito hunc annum nobis demonstrat Honorius Augustodunensis, *cap.* 17 *libri de Imagine Mundi*, quem alii Anselmo tribuunt, quidam Monacho Anglo Incluso: *Qui Evangelistas* (inquit) *diligenter legerit, Dominum non octavo, sed decimo Cal. April. passum videbit.* Hoc ipsum ibidem paulò pòst expressiùs repetit; additque, *Octavo Cal. April. resurrexisse.* Utrumque hoc etiam asserit Anonymus Author veterum Fastorum apud Pontacum, *ad calcem Notarum ejus in Eusebium.* Honorius Augustodunensis. Anonymus

Professos Eusebii partiarios Adonem Viennensem, Abbatem Vrspergensem, Hermannum Contractum, Hugonem Floriacensem, Freculphum, Frisingensem, Martinum Polonum, aliosque nimis longum sit sigillatim recensere: unum hîc obiter adscribo Rupertum, qui *lib.* 1 *Comment. in Danielem, cap.* 15, inter alia numerat, ab interitu Cleopatræ ad annum 17 Tiberii, annos 59; subditque Christum passum anno insequente, *Tiberii* 18, ferè transcribens verba, quæ jam ex Beda adferebamus pro hoc anno 31. Ex quibus omnibus patet quàm longè à vero aberrarit Tostatus, *Parte* 2 *Defensorii, cap.* 11, dum ait, neminem ad sua usque tempora dubitasse nisi de anno 32, 33, 34. Ado Vien. Urspergẽsis, Hermãnus, Hugo Floriacensis, Freculphus, Frisingẽsis, Mart. Polonus, Rupertus.

Post Tostati mortem anno 31 Vulgari suffragatus est Jo. Picus Mirandulanus, *libro de Fide & Ordine credendi, pag.* 239, ubi declarans se Eusebio adhærere, dicit extra controversiam credi posse, Christum anno 18 Tiberii crucifixum fuisse. Joan. Picus Mirandulanus.

Laziardus, Kepplerus, Deckerius, Petavius, Bucherius, Tirinus, Azor, Lipsius, Ribera, Miræus.

Eumdem annum amplexus est Jo. Laziardus, *in Epitome Hist. Univ. l. 2 cap. 9.* Eumdem egregiè stabiliverunt, Deckerius, *Parte 3 Velificationis*, Kepplerus, *in Eclogis Chronol. Epistolâ 20, junctâ Notâ marginali, in Epist. 31 & 34.* Petavius, *in Animadv. ad Epiphanium*, *Hæresi 51*, & *lib. 12 de Doctr. Temp. c. 12*, &c. Bucherius, *Comment. in Canonem Paschalem Victorii, & speciatim Tract. de Paschali Judæorum Cyclo; item in Belgio Romano, lib. 4; cap. 6 & 7.* Tirinus, *in Chronico sacro, cap. 48.* Nec alienum se ostendit Azor, *Parte 2, l. 1, cap. 6*, quatenus existimat, cum omnibus Antiquis Patribus dicendum, Christum Dominum extinctum fuisse die 25 vel 23 Martii: quòd posterius annum 31 designat; prius autem admitti nullo modo potest; ut infrà, *cap. 25*, evidenter demonstrabimus: superest igitur solum posterius. Eidem calculum suum adjicit eruditissimus Lipsius, *Comment. in lib. 2 Annal. Taciti, num. 130*, ubi agens de Terræ motu, qui Tiberio imperante contigit, C. Cœlio, & L. Pomponio Coss. hoc est, anno Vulg. 17, ita scribit: *Bonum Orosium quàm fugit ratio, qui hunc tremorem terræ ad tempus refert mortui nostri Servatoris? quod nos quidem scimus totis quatuordecim annis posterius fuisse.* Ad 17 adde 14; prodibit annus 31 Dionysianus. Eidem opinioni subscribit Ribera, *Comment. in Zachariæ cap. 11*, dum ait *quadragesimo anno ante Urbis* Hierosolymitanæ *excidium Christum passum esse:* quod in hunc annum quadrare jam suprà sæpiùs ostendimus. Item Aubertus Miræus, *in Chronico Belgico, ad annum U. C. 784.*

Lapsus Recentis Scriptoris.

Addit recentissimus Scriptor, *Quæst. 1 Evang. pag. 46, Pro hac sententiâ adferri posse omnes Antiquos asserentes Christum passum Mense Martio, & singulariter 25 Martii; cum omnibus Martyrologiis, quæ Latronis cum Christo crucifixi memoriam 25 Martii celebrant.* Quàm sunt hæc honorifica sententiæ illi, tam sunt apertè falsa; ut patet ex dictis, magisque patebit ex dicendis: adeò ut non sit operæ pretium his refellendis immorari. Imò seipsum refellit Author ipse, *ejusdem Operis pag. 78*, dum ait, anno Vulgari 34 *favere omnes. qui ex Antiquis & Recentioribus volunt Christum passum die Martii 25, & Martyrologia, quæ idem de Christo & Latrone socio Passionis asseverant. Item multos Græcos existimantes anno 34 Lunam 15 primi Mensis fuisse 23 Martii; & quosdam Latinos volentes Christum passum 23 Martii.* Non posse hæc ullo modo à quoquam defendi, evidentiùs est, quàm ut probari debeat. Satis habebo in præsens, duorum horum locorum conciliationem Authori suo reliquisse.

Scaliger castigatur.

Porrò ex omnibus, quæ toto hoc capite fusè explicuimus, judicet eruditus Lector satisne saperet Scaliger, dum *in Prolegom. sui Thesauri Temp.* scribebat, *esse hodie capitones, pervicaces, contentiosos, qui Christum anno Dionysiano 31 passum hariolentur 23 Martii, resurrexisse 25; quam dementiam* ait à se *alibi abundè confutatam.* Produnt hæc familiares Scaligero intemperias; opinionem tot ac tantorum virorum patrocinio fultam lædere non possunt.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Quinam Anno 32 Æræ Vulgaris patrocinentur.

ADeò Antiquorum ſuffragio deſtituitur hic annus, ut ante decimum-ſextum à Chriſto ſæculum neminem ei ſatis certum patronum reperiam. Primus mihi ſiquidem occurrit Pamelius, *in Prolegom. ad Tertullianum, Paradoxo* 14; Deinde Funccius, *in ſuâ Chronologiâ*, Baronius, *in Apparatu, & ad Annum Chriſti* 34; qui numerus in causâ fuit ut crederent nonnulli Eminentiſſimum hunc Scriptorem favere Anno 34 Vulgari, dum non ſatis advertunt ſolido biennio ab eo anteverti Æram Vulgarem. Baronii lateri comes perpetuus adhæret Matthias Buklehner, *To.* 1 *Theſauri Hiſt. lib.* 6. Eumdem ſequitur Torniellus, *ad Annum Mundi* 4084, qui conſequenter ad ea quæ antè ſcripſerat, deberet eſſe 4085. Henricus Samerius, *in ſacrâ Chronologiâ*; varia tamen miſcens aſyſtata, ex quibus videri poſſit jam anno 31, jam 33 favere. Gordonus, *in Apparatu Tomi* 2 *Chronol. cap.* 4; Haræus, *in Concordiâ Hiſtoriæ ſacræ ac prophanæ, pag. ultimâ.* Sed tantus Olympiadum ſcrutator Opus ſuum totis 20 annis elaboratum palmari errore obſignat; dum ſcribit illius anni æſtate completam fuiſſe Olympiadem 202, cujus reipsâ annus dumtaxat 4 eo ipſo tempore iniit. Ut interim diſſimulem alium errorem de Paſchate tunc celebrato ſub finem Martii; quod eo anno circa medium Aprilem celebratum eſt. Eidem anno adſtipulantur, Cornelius à Lapide, *in Chronotaxi Vitæ Chriſti*; jungens tamen quædam minimè cohærentia, v. g. Chriſtum paſſum 25 Martii. Oliverius Vredius, *libro* 2 *Prodromo Hiſtoriæ Comitum Flandriæ, pag.* 614. Nicolaus Abramus, *in Pharo Veteris Teſtamenti, lib.* 15 *num.* 129. Vecchiettus, *lib.* 4 *Operis de Anno primitivo*, ubi ita confundit varia ad diverſos annos pertinentia, ut tamen ſatis ſignificet ſe in annum hunc 32 oculos intendiſſe; quandoquidem Aſtronomiæ peritiam profeſſus characterem Aſtronomicum proferat Anno 32 Vulgari apertè faventem, nempè Pleni-Lunium Aſtronomicum incidens in diem 14 Aprilis, ac Feriam 2; quo non obſtante cenſet Chriſtum paſſum die 11 ejuſdem Menſis, eò quòd credat Judæos non ita præcisè attendiſſe ad veros Lunæ motus, quod & nos infrà tuebimur, accommodatè ad annum 31 Vulgarem. Vide Langium, *lib.* 2 *de Annis Chriſti, cap.* 8, ubi pro hoc anno 32 citat Chemnitium, & alios ex Heterodoxis.

Pamelius, Funccius, Baronius, Buklehner. Torniellus. Gordonus, Haræus. Cornel à Lapide, Vredius, Abramus, Vecchiett. Chémitius.

CAPUT SEXTUM.

Qui faveant Anno 33 Vulgari.

HIc eſt annus, pro quo tam fervidè à nonnullis hodie decertatur, ut non vereantur palàm venditare, ſe (ſi Superis placet) Chronologicis, imo & Mathematicis demonſtrationibus eviciſſe, Chriſtum eo labente mortuum eſſe; ac

Fervor quorundam prò hoc Anno.

tantùm non velint fide divinâ id à nobis credi oportere: quin & audeat scribere Neotericus quispiam, sibi *jam propè temerarium videri, hanc sententiam in dubium revocare.* Denique alius quispiam ita se rem hanc, depulsis errorum tenebris, confecisse existimat; ut planè confidat, nixus (inquit) evidentiâ veritatis, si Summus Pontifex utriusque partis fundamenta non leviter excuti jubeat, fore ut sua ab eo approbetur opinio de anno hoc 33, aliis contrariis repudiatis. unde & SS. Dominum Alexandrum VII, *in suâ ad eum Epistolâ dedicatoriâ*, ad hoc examen instituendum invitat. Missis hisce parergis, quorum vanitas satis ex infrà dicendis elucescet; ad rem ipsam venio.

Primus ejus patronus Philoponus

Intra tredecim prima Christi sæcula unicum hactenus comperi Joannem Philoponum, Hæreticum Tritheitam, à sextâ Synodo damnatum *Actione* 11, ibique vocatum *ματαιόπονον inaniter* seu *ineptè laborantem*, qui sexto demum sæculo scribens, huic anno claris verbis Passionem tribueret, *lib. 2 de Creatione Mundi, cap.* 21. Fundamentum quo nititur, est famosa illa Eclipsis à Phlegonte memorata; de quâ, quia nobis infrà fusiùs agendum erit, pluribus hîc supersedebo.

Ambrosius malè pro hoc anno allegatus.

Scio Nicolaum Mullerum, *in suis Notis ad Epistolam* 83, *Libri* 10, *S. Ambrosii*, asserere, *Passionis Dominicæ tempus* ibi *à D. Ambrosio evidenter descriptum, alii anno congruere non posse, quàm anno Christi Dionysiano trigesimo-tertio.* Sed nullius omninò roboris est Mulleri collectio. Quid enim aliud eo loco scribit Ambrosius, quàm Christum cum Discipulis manducâsse Pascha, *quartâ-decimâ, Lunâ, quintâ Feriâ; sextâ Feriâ crucifixum esse Lunâ quintâ-decimâ; Sabbatho sextam-decimam fuisse; ac per hoc septimâ-decimâ Lunâ resurrexisse à mortuis?* Atqui hoc ipsum est, quod passim asserunt, quotquot ipso Paschatis Festo solemni docent Christum cruci affixum fuisse, cuicumque demum anno id tribuendum contendant. Deinde cùm Ambrosius de Lunâ Cyclicâ manifestè agat, eaque procul dubio Judaicâ; debuisset Mullerus probare Judæos tunc Cyclo usos fuisse, qui Lunam primam exhiberet ad diem vigesimam Martii: quod utique nunquam probabit; & nos infrà, *cap.* 23, refellemus. Certè Ambrosium, in Hypothesi Mulleri, Cyclos Alexandrinos attendere non potuisse, in confesso est: cùm hi Lunam primam eo anno 33 Vulgari affigant diei 19 Martii, quo etiam fuit Novi-Lunium Astronomicum. Denique cùm nullo modo sit verosimile, Ambrosium à receptissimâ Ecclesiæ Traditione de Christo crucifixo Mense Martio recessisse; nullâ ratione dici poterit favisse anno 33 Dionysiano, quo non potest Christi Passio alio mense contigisse, quàm Aprili.

Quidã alii malè pro hoc Anno allegati.

Scio insuper Recentiores hujus anni patronos pro se allegare Eusebium, Georgium Syncellum, Bedam, aliosque: sed de Eusebio confecta res est suprà, *cap.* 4, *parag.* 2. Syncellus certò ad annum 42 spectat, ut infrà, *cap.* 8 ostendemus. Beda jam 31 anno, jam 33, jam 34 favet, quâ de re consule Petavium, *lib.* 12 *Doct. Temp. cap.* 10. *&* *in Animadv. ad Epiphanium pag.* 142; vide & quæ diximus suprà, *cap.* 4, *parag.* 4. item & quæ de Augustino attulimus suprà, *cap.* 3. Alii nonnulli, qui proferuntur, aliis annis favent apertissimè, etsi vitiato Eusebii textu decepti, meminerint *anni quarti Olympiadis* 202, ut nominatim in Freculpho videre est, qui, *Tomo* 2, *l.* 1, *cap.* 5 *&* 6, scribit Christum passum Anno Tiberii 18, superstite Seiano; & *cap.* 20, Petrum Apostolum cruci affixum fuisse

Anno

Anno 36 post Domini Passionem; quæ, uti & alia quæ sparsim addit, clarè ostendunt eum manifestè sentire cum Eusebio, quem hinc inde transcribit, miscens ejus dicta dictis Orosii, & ea Phlegonti tribuens, de quibus nunquam somniavit.

Sepulta cum Philopono videri poterat hæc sententia; sed decimo-quarto Christi sæculo denuo suscitata est à Rogerio Baccone, *Epistolâ super hoc argumento datâ ad Summum Pontificem.* Eamdem postea avidè amplexi sunt, Paulus Burgensis, *ad cap.* 26 *Matthæi*; Joannes de Muris, *in lib. de Regulis Calendarii*; omnium autem vehementissimè Tostatus *in* 2 *Parte Defensorii.* Hi omnes in eo conveniunt, quod statuant Christum mortuum die 3 Aprilis; non mense Martio, ut Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ semper fuit persuasissimum. Hinc factum, ut, cùm Tostatus hanc, inter alias, Thesim propugnandam proposuisset in Civitate Senensi, in quâ tum versabatur Summus Pontifex, gravissima in eum tempestas suscitata sit à Cardinale Turrecrematâ, aliisque permultis, qui Thesium Authorem tamquam violatæ Religionis reum postularunt. Designavit Pontifex tres Cardinales, causæ Cognitores ac Judices, qui perperam fecisse Tostatum pronuntiarunt, Thesimque illam cum aliquot aliis juridicè damnarunt. Tostatus, acri ac vehementi Vir ingenio, solemni hac notâ irritatus, non tantùm sententiæ, ut debebat, non acquievit; sed etiam *Defensorium* illud, de quo jam agebam, scripsit, Opus in quo paulò plus moderationis desiderant non pauci. Sed neque tacuit Turrecremata, ut testatur Salmeron, *Prolegom.* 38, ubi affirmat se ejus Tractatum vidisse hoc Titulo: *In quinque Propositiones Episcopi Abulensis, de mandato Papæ à tribus Cardinalibus examinatas.* Subsecuta deinde turbidissima Ecclesiæ tempora effecere ut tandem tota hæc controversia sopiretur, Summis Pontificibus ad urgentiora negotia attentis: sed sententiâ contra Tostatum latâ nunquam hactenus aut retractatâ, aut etiam mollitâ; quidquid in contrarium dicat Recens Scriptor, dum ipsi Pontifici Alexandro VII persuadere conatur, Tostatum *ita suam sententiam probasse*; *ut planè innocens, & ab omni errore liber fuerit dimissus.* Vide Marianam, *Tract. de morte Christi, cap.* 10. *& Tract. de Adventu S. Iacobi in Hispaniam, cap.* 2. item Salmeronem, *suprà.*

Philoponi opinio suscitata à Baccone, Burgensi, Jo. de Muris, Tostato.

Tempestas in eam sententiam excitata.

Ejus condemnatio solemnissima.

Nunquam revocata.

Valuit illud severitatis exemplum ad continendos aliquamdiu in officio calamos nonnullorum; inter quos Forosempronensis, dum sibi ab hac Scyllâ cavet, in Charibdim non unicam incidit, ut jam suprà *cap.* 1 ostendimus, & infrà *cap.* 11 *& sequentibus*, ostendemus.

Extinctâ tandem aliquousque memoriâ damnationis Tostati, lenitâque sensim tempore ipso istius opinionis invidiâ, eam denuo suscitare ausi sunt, Lucidus, *lib.* 7 *de Emend. Temp. cap.* 2. Pitatus, *Tract.* 2, *Conclus.* 3. Onuphrius, tum *in chronico*, tum *in Comment. in Fastos*; ubi tamen malè Æram communem cum suâ peculiari confundit. Massæus, *in Chronico*, ubi & pugnantia inter se conjungit. Beutherus, *lib.* 1 *suorum Fastorum*, *cap. de Die Passionis Christi.* Temporarius, *lib.* 1 *Chronol. Demonst. pag.* 83, *& lib.* 2, *pag.* 168. Achilles Gassarus, *in suâ Epitome, ad Annum Mundi* 5233. Buntingus, *in suâ Chronologiâ.* Barth Medina, *Comment. in* 3 *Part. Quæst.* 46, *art.* 9. *q.* 3. Genebrardus,

Denuo eam suscitant Lucidus, Pitatus, Onuphrius, Massæus, Beutherus, Tēporarius, Gassarus, Buntingus, Medina,

Genebrardus, Bucholcerus, Angelocrator, Christmannus, Scaliger, Calvisius, Helvicus, Pererius, Salianus, Busieres, Malbranc, Origanus, Mullerus, Ricciolus, Stadius, Zarlinus, Grãdamic', Labbæus, Brietius, Vendelinus, Jacobus Cappellus, Usserius, Langius.

brardus, *lib.* 3 *Chronogr. pag.* 364, huic tamen anno malè copulans annum Tiberii 18. Bucholtcerus, *in Indice Chronol. ad Annum* 4004. Angelocrator, *in Chronol.* seriem tamen Consulum texens admodum vitiosè. Christmannus, *in disput. de Anno Dominicæ Passionis, & in Notis ad Alfraganum, & ad Calendarium Palæstinum.* Scaliger, *in Animadv. ad Chronicon Eusebii, pag.* 170. *& lib.* 3 *Canon. Isagog. pag.* 302. *& lib.* 6 *Emendat. Temp, editionis* 2: nam in priore editione absolutissimè pronuntiarat pro anno 34 Vulgari. Calvisius, *in Prolegom. cap.* 49, & *ad Annum* 3982. Helvicus, *in Theatro Hist.* Pererius, *lib.* 11 *Comment. in Danielem, Quæst.* 7. Suares, *To.* 2 *in* 3 *Part. Disp.* 40, *Sect.* 1. Salianus, *ad Annum* 4086. ejusque vestigiis passim inhærens Joannes de Bussieres, *in Flosculis Historiarum.* Jacobus Malbranc, *Tract.* 1 *Chronol. cap.* 26, ubi tamen, inter alia minùs rectè se habentia, non satis advertit Lunæ ætatem repugnare diei 27 Martii, cui Christi mortem assignat. Origanus, *To.* 1 *Ephemerid. Parte* 1, *cap.* 1. Codomanus, *in Annalibus*. Mullerus, *Tabul. Frisic. pag* 25. Ricciolus, *To.* 1. *Almagesti, lib.* 5. *cap.* 18 *&* 19, citans Stadium & Zarlinum, & Vetustum Calendarium Dominicanorum. Grandamicus, *Quæst. de die supremo Christi.* Labbæus, *in Concord. Chronol. & in peculiari Diatribâ.* Brietius, *in suis Annalibus Mundi.* Vendelinus, *in Gnome Orthodoxâ, sub finem.* Jacobus Cappellus, *in Chronologiâ Sacrâ, in Notis ad Tab.* 11. Usserius, *To.* 2 *Annalium.* Langius, *lib.* 2 *de annis Christi cap.* 8. Sed hic postremus ridiculè contendit Christum die 2 Aprilis, feriâ 5, obiisse; ut hac ratione tres dies ac totidem noctes quietis in sepulchro reperire possit, ad explicandum Christi eâ de re vaticinium.

Quidam secum pugnantes, Mariana, Occo, Philippæus.

Huic anno accensendus est Mariana, *Tract. de die Mortis Christi, cap.* 11 *& seq.* si consequentia loqui velit. Uno siquidem anno Æram Vulgarem prævertit, & Christum docet labente 34 ætatis anno vitâ functum; sed dum incautè annum 34 Vulgarem cum illo confundit, in devia se induit magis ac magis, ex quibus se expedire non potest. Nonnulla etiam in hunc annum collimantia proferunt Adolphus Occo, *Tract. de Numismatis Imperat. pag.* 85. *edit.* 2; & Philippus, *Comment. in cap.* 6 *Osee, pag.* 753. Verùm prior ille quædam addit *pag.* 66 *& alibi*, tendentia ad annum Vulg. 34; hic posterior varia habet, ex quibus censeri possit sibi proposuisse annum 32.

CAPUT SEPTIMUM.

Quinam faveant Annis Æræ Vulgaris 34, 35, 36.

Panodorus pro Anno 34.

ANno 34 suffragatus fuerit Panodorus Monachus Ægyptius, si, ut scribit Georgius Syncellus, *pag.* 35 *Chronographiæ*, censuit Christum passum anno Mundi (ut habet textus Græcus) 5525; juxta Periodum scilicet Alexandrinam: annus enim ille, methodo Ægyptiacâ, init die 29 Mensis Augusti, anni Dionysiani 33. Quod verò subdit Georgius, Panodorum eo anno conjecisse diem Paschalem in vigesimum Martii, non caret difficultate. Nam si de Ecclesiastico

Ecclesiastico Paschate egisse dicatur; repugnat Cyclus Solis XV, seu Littera Dominicalis C. affixa diei 21 Martii. Si de Paschate Judaico; debuerit Lunam primam statuisse die 6 Martii; quod quidem Judaicis Bucherii Tabulis conforme est; sed non calculo Alexandrino.

Hugo Flaviniacensis.

Eidem anno suffragatur Hugo Flaviniacensis, *in Chronico*, dum ait Christum crucifixum die 26 Martii, suscitatum 28. Sed est error in Cyclo Lunæ, & multo major in Consulibus, & sibi contradicit.

item Gauricus, Maurolycus.

Perspicuè in hunc annum tendit Gauricus, *lib. Prædictionum Eclipseon*; sed dum contendit diem 25 Martii, cui, ob quorundam Antiquorum authoratem, Passionem addicit, incidisse in Feriam sextam, procul dubio fallitur: illa enim Feria fuit dies 26 Martii, ut rectè observavit Maurolycus, *in suo Kalendario*, ubi Passionem huic diei, & consequenter huic anno adscribit. Vide Pitatum, *Tract.* 2, *pag.* 66, *& seqq. editionis* 2; item quæ dicturi sumus infrà, *cap.* 14.

Error Hervarti.

Occasione diei 25 Martii in Feriam 5 incurrentis, vult Hervartus, *Nova Chronol. cap.* 179, *&* 180, Christum Feriâ illâ, adeòque & hoc anno *certissimè & indubitatè* mortuum, idque ex Romanæ Ecclesiæ traditione. Ratio quâ nititur, est, quod necessariò incidere debuerit Mors Christi in Feriam 5; ut dici possit sepultus tribus diebus, & tribus noctibus, & in diem 25 Martii propter authoritatem Antiquorum PP: nullus autem annus, post decimum-quintum Tiberii, concursum hunc exhibere possit, præter 34 Vulg.

Mercator.

Pro anno eodem facit Mercator, *in Chronologiâ suâ* spectatis Coss; Litterâ Dominicali, & Anno 20 Tiberii præcisè à morte Augusti; sed malè his jungit annum 4 Olymp. 202. Mercatorem de more sequitur Opmeerus, *in Opere Chronol.* ad Ann. 4080; & cum eodem errat. Mariana, contra mentem suam, ut paulò antè dicebamus, huic etiam anno subscribit; cùm favere debeat præcedenti, si consequentia loqui velit: eademque videtur esse causa Onuphrii.

Krentzheinius, Jo. Paduanus, Canobius.

Inter hujus anni patronos numerantur à nonnullis, Leonardus Krentzheinius, Jo. Paduanus, Alexander Canobius; quos non potui nancisci.

Pro Anno 35 Pontacus, Campanus, Jo. Regiomontanus.

Anno 35 suffragatur Author Opusculi *de Argumentis Lunæ* (inter Opera Bedæ, To. 1) *Parag. de Solstitiis & Æquinoctiis*, ubi Passionem tribuit diei 25 Martii, & Feriæ sextæ; utique exigenti Litteram Dominicalem B. anno isti convenientem. Annum eumdem confirmant, quæ ex eodem Authore dicta sunt suprà, *Q.* 1, *cap.* 9, etsi ætas, quàm Christo morienti tribuit, uno anno abundet, per errorem calculi. Suffragari etiam videtur Pontacus, *in Notis ad Eusebium*, *pag.* 552, dum inter alia scribit, eo anno quo Passus est Christus, fuisse Litteram Dominicalem B. additque, *ita velle omnes*. Verùm hoc postremum est falsum; ut alia pugnantia omittam. Suffragatur & Campanus, Passione anno illi attributâ, quo Pascha (si Christiano ritu tunc observatum fuisset juxta Cyclos Dionysianos) incidisset in diem 10 Aprilis; quod unicè in hunc annum quadrat. Denique suffragatur Regiomontanus (prout à variis citatur) *in Epistolâ ad Jacobum Spirensem*, in quâ dicitur asserere Christum occisum Feriâ 2, die 11 Aprilis. Sed ægrè mihi persuadeo eum rem tam absurdam credidisse; suspicorque aliud nihil voluisse, quàm Christum eo anno fuisse mortuum, quo Plenilunium Astronomicum incurrit in diem 11 Aprilis ac Feriam 2: sed ita ut cruci fuerit affixus

Feria

Feriâ 6 præcedente, die 8 Aprilis: quæ omnia conveniunt in Annum 35. Fortè tamen voluit Christum mortuum Anno Vulg. 32, die 11 Aprilis tunc in Feriam 6 incidente, triduo ante Plenilunium Astronomicum, quod eo anno contigit Feriâ 2 sequente, hoc est die 14 Aprilis, sub Meridiem. Certiùs de his pronuntiabunt, quibus ad manum fuerit illa Regiomontani Epistola.

Pro Anno 36 Forosempronisis, & olim Pitatus, absolutè Lydiatus.

Annum 36 Vulgarem amplexus est Forosemproniensis, *Parte 2, lib.* 13, repudiatâ prætensâ S. Pauli revelatione, de quâ suprà. Eum secutus primùm fuerat Pitatus, ut testatur *in proœmio sui secundi Tract:* sed postea ad annum 33 transiit. Constanter Forosemproniensi adhæsit Lydiatus, *cap.* 21 *suæ Recensionis*, cum quo Passionem transcribit diei 30 Martii, qui fuit Feria 6, & quo contigit Plenilunium Astronomicum.

CAPUT OCTAVUM.

Qui censuerint Christum mortuum Anno Vulgari 42, aut etiam seriùs.

Error Græcorum, Passionem tribuentium Anno Vulg. 42.

VIx sibi persuadere possunt nonnulli repertos fuisse Scriptores quosdam Græcos non ignobiles Alexandrinæ Periodi sectatores, qui Passionem in annum 42 Vulgarem distulerint: cùm nempe mortuus jam esset Tiberius à quinque annis; & Pilatus à totidem annis amotus esset à Judææ Præfecturâ, & inglorius in Italiam remissus. Incredibilitatem auget, quod Authores quibus hæc opinio imputatur, disertè profiteantur se Christi mortem tribuere anno 18 aut 19 Tiberii, aut quarto Olympiadis 202; in quibus characteribus planè conveniunt cum aliis sententiis antea per aliquot capita recensitis hac ipsâ Quæstione. His tamen minimè obstantibus, satis constat nihil non verissimum asseri, dum Scriptoribus mox recensendis adscribitur hæc opinio: adeo indubitatis Cyclis Solis, Lunæ, Indictionum, & characteribus Feriarum, intervallorumque temporis à quibusdam annis, de quibus inter ipsos aliosque omnes peritos convenit, annum suum 42 circumscribunt. Ut proinde manifestum sit annos Olympiadum, Imperatorum, Regum, aliorumque, Principum, a suâ sede legitimâ avulsos, ab illis detrudi in tempora toto septennio, aut octennio, aut etiam novennio posteriora: in aliis siquidem minor est error, major in aliis. Unico ad hanc rem adstruendam exemplo contentus ero, deprompto ex Georgii Syncelli Chronologiâ, *pag.* 32, ubi annum Imperii Constantini vigesimum, seu Æræ Vulgaris 325, celebratione Concilii Nicæni celeberrimum, comparat cum anno Mundi 5816. Cùm enim hic Chronologus Incarnationem seu annum primum Christi, tribuat anno Mundi 5501 incunti, ut dictum est suprà, *Quæst.* 1, *cap.* 9, si ex 5816 subtrahas 5000, supererit annus 316, toto novenario minor anno 325 jam dicto. Tribuit igitur Incarnationem Anno Vulgari 9, ut suprà *cap.* 9 *citato*, ostendebamus: eademque ratione probabitur annum 5533 desinentem, cui, ut mox dicemus, Christi Passionem affigit, esse

esse annum vulgarem 42. Si enim hinc 42 ex 325, inde 5533 ex 5816 subduxeris: supererunt utrimque 283. Vide Petavium, *libro* 8 *Auctarii*, *cap.* 1.

Unde ortus.

Porrò quo consilio, quâve ex causâ ad eam exoticam absonamque Chronologiam devenerint, norunt satis pauci, & vix ullus est qui explanet: ego, missis ambagibus, ita rem omnem in pauca confero. Antiquâ Majorum traditione acceperant primi istius opinionis Auctores, Christum die 23 Martii, Feriâ 6, mortuum fuisse, & tertio pòst die, Feriâ primâ suscitatum. Hinc facilè intellexerunt investigandum esse circa Tiberii tempora annum, cui conveniret & Littera Dominicalis G (ut more nostro loquar) & Lunaris Cyclus ejusmodi, qui die 23 Martii repræsentaret Lunam seu 14, seu 15; pro diversitate opinionum de Christo mortuo, vel Festo ipso Paschatis, seu Lunâ 15; vel pridie illius solemnitatis, seu Lunâ 14. Et quidem quod ad Litteram Dominicalem attinet, statim viderunt eam quadrare annis Æræ vulg. 25, 31, 36, 42: Verùm cùm satis adverterent annis 25 & 36, ad diem 23 Martii, Lunam circa primam dumtaxat quadraturam versari; de illis sibi laborandum esse non existimarunt. Conversi igitur ad duos annos reliquos, observarunt Alexandrinum Cyclum 13, anno 31 convenientem, & affixum diei undecimo Martii, Lunam tantùm 13 offerre die illo 23 ejusdem Mensis: Cyclum autem 5, anno 42 congruentem, & diei nono Martii affixum, Lunam Cyclicam 15 dare præcisissimè ad diem illum 23: hinc factum est, ut rigidi illi Cyclorum Alexandrinorum sectatores, quique simul opinabantur Christum Lunâ 15 mortuum fuisse, non dubitarint quin obiisset anno 42, in quem criteria jam dicta convenirent. Atqui Lunâ dumtaxat 14 passum volebant, hi seu secuti Cyclos aliter in Calendario dispositos, qui Novi-lunium Paschale diei decimo Martii copularent, seu attento etiam Novi-lunio Astronomico, quod reipsâ eodem die post meridiem contigit; cùm suam Lunam decimam-quartam exactissimè die illo 23 reperirent: utroque pollice approbarunt & ipsi eundem annum 42; neglecto accuratiore examine Historiæ sacræ ac prophanæ, quæ nullo negotio poterat & illos, & alios hujus anni patronos ab errore tam patenti revocare. Vide Petavium *lib.* 8 *Auctarii*, *cap.* 3 *&* 4, paulò aliter hæc explicantem. Vide & Bedam, *lib. de Ratione Temporum*, *cap.* 59, ubi manifestè ad hanc opinionem alludit, dum ait: *Si octavo Calendarum memoratarum* (Aprilium) *ut Antiquiores scripsere* (nota τὸ *Antiquiores*) *Resurrectio Domini facta est*; *quintus profectò Circuli decem-novennalis tunc agebatur annus habens concurrentes VII* (quibus respondet Littera Dominicalis G) *& Lunam XIV, ut semper, XI. Calendarum Aprilium.* Toto siquidem primo Christi sæculo solus annus 42 Vulg. habet ambos hosce characteres simul junctos, Cyclum Lunarem V, & Litteram Dominicalem G. His præmissis,

Ejus mentio apud Bedam.

Hanc sententiam sequitur S. Maximus.

Opinionem jam explicatam exactissimè profitetur S. Maximus, *Parte* 1 *Computi*, *cap.* 32. *Contigit* (inquit) *salutaris Passio, sive Crucifixio, Anno Mundi.* 5534 (Alexandrino, ineunte in Vere) *Anno Solis* 18, *Luna* 5, *ipsâ utique Parasceves die.* Præcisiùs dixisset, *Anno* 5533: nam die 23 Martii, cui hujus sententiæ sectatores Passionem tribuunt, adhuc in fluxu erat juxta S. Maximum,

mum, qui annum Ecclesiasticum orditur à Calendis Aprilis. Ex quo obiter observare licet, quod sæpiùs suprà monuimus, quàm facilè à Græcis confundantur anni duo vicini, quorum unus desinit, alter propediem initurus est. Subdit *cap. seq.* fuisse tunc *Indictionem* 14 *&* 15; quod accipiendum est juxta ea quæ ibidem addit, & nos explicuimus, *in Prolegom. Lemmate* 1; ex quibus manifestum fit, fuisse tunc simpliciter Indictionem 15.

Georg. Syncellus. Georgius Syncellus, sicut S. Maximi sequacem se profitetur, ita eumdem annum amplectitur, pluribus locis, nominatim *pag.* 320 *& seqq. suæ Chronographiæ*, ubi scribit Christum passum anno Mundi 5533, ætatis suæ 33; undecimæ Periodi minoris constantis annis 532, Anno 213; Tiberii 19, die 27 Phamenoth, in parasceve, 23 Martii; suscitatum autem die 29 Phamenoth, Martii 25, quo die inchoabatur (ex Syncelli sententiâ) annus Mundi 5534. Addit, *paginâ* 325, Lunam 14 eo anno incidisse in 23 Martii, quo Christus mortem subiit. Quod verò, *pag.* 321, dicit Christum *Nerone III & Valerio Messalâ Coss. crucifixum*; solidis insuper sedecim annis, contra mentem suam, fallitur. Quadrant enim hi Consules in annum Dionysianum 58, quod mirum est à Syncelli Interprete Goaro non esse animadversum. Citat Syncellus *pag.* 35, Annianum quemdam Monachum Ægyptium, egregium Computistam pro eâdem opinione. Theophanes Syncelli continuator, ejusdem etiam Chronologiæ insistit: nec ab eâ abire videtur Joël Chronographus, *in Chronographiâ compendiariâ.*

Annianus. Teophanes Joël Chronogr

Pseudo-Eusebius. Pseudo-Eusebius ille, cujus Fragmentum brevius protulimus suprà, *cap.* 4. *parag.* 2. ex Anastasio Nicæno, *Quæst.* 93, mentem suam apertè ibidem expromit (si tamen idem Author sit) in altero prolixiore Fragmento, mendoso illo quidem, sed facillimè emendando ex dictis, *in Prolegomenis*, *Lemmate* 1 *&* 2. Ita autem habet: *Salutaris Passio fuit Anno* 5533 (exeunte scilicet, imò penultimo ejus die, juxta hunc Authorem) *Annus autem Solis quidem erat* 5, *Luna autem* 14: pro quo, si rigidè loquamur, constat legendum: *Annus autem Solis quidem erat* 17, *Luna autem* 4. Tandem sic concludit: *Omnes ergo qui non dicunt Anno* 5534 (ineunte, imò primo ejus die.) *fuisse primum Dominicum Pascha* (Resurrectionis scilicet) *neque quæ fuit apud Hebræos Luna* 14, *& occurrit in magnâ parasceve Salutaris Passionis, conservant; ostendant* (nempè, si possunt in aliquo alio anno) *Dominicum diem Resurrectionis fuisse* 25 *Martii. Quod quidem si non ostendant; inveniuntur falsæ, quæ apud ipsos sunt, supputationes.* Ita ille. Sed ostendemus infrà, id etiam Anno 31 Vulgari aptari posse, & verò debere ex plerorumque Scriptorum Antiquorum sententiâ, de quibus suprà, *cap.* 4

Anonymus Patriarcha Antiochenus. Lucem aliquam huic emendationi dabit Anonymus Patriarcha Antiochenus, *apud Combefis*, *To.* 2 *Auctarii Biblioth. PP. pag.* 425, ubi fusè contendit Mysteria Eucharistiæ peracta fuisse Luna 13; Pascha autem Judaicum immolatum in parasceve, *in quam tunc incidebat Luna* 14 *primi Mensis Anni* 5534, *cùm esset Cyclus Solis* 18, *Luna* 5. Patet ex his Cycli, attendi ab hoc Patriarchâ annum 5534, in ipso Paschate ineuntem, non autem 5533 desinentem, cui, ut jam significabamus, competunt Cycli 17 & 4. Post verba jam recitata, subdit

dit Combefis; *Doctiores Chronologi, ut possunt, annorum ejusmodi rationem ineant.* Sed si notitiam artificii Periodi Alexandrinæ vel mediocrem habuisset, facilè intellexisset non alium annum verbis illis signari, quàm Vulgarem 42. Nicetas Pectoratus, cùm eosdem omninò characteres assignet, *in Opusculo quod extat To. 6 Henrici Canisii, pag.* 167, & *ad Calcem Tomi* 11 *Annalium Baronii*, nullum relinquit dubium quin eidem anno patrocinetur. Cum his satis manifestè sentit Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus *in Chronico*, quatenus & Periodum & Chronographiam Alexandrinam secutus Passionem addicit Anno Mundi 5533, desinenti scilicet. Dum verò addit Christum cruci affixum 8 *Cal. Aprilis, Phamenoth die* 29, *seu Martii* 25; à communissimo Græcorum sensu secessionem facit, dicitque quod illi Mundi anno convenire non potest, quo dies iste 25 in Dominicum incidit.

Nicetas Pectoratus.

Nicephorus Patriar. Constant.

E Latinis cùm neminem satis certò huic anno suffragantem nactus sim, eorum menti accuratiùs investigandæ supersedebo; etsi non ignorem varios pro hoc anno à nonullis citari; quosdam etiam usurpare annos Periodi Alexandrinæ: sed nihil observavi quo perspicuè amplecti viderentur Græcorum errorem de anno hoc 42 Vulg.

Ex dictis tum hoc capite, tum suprà, *cap.* 4, satis liquet tam Alexandrinæ, quàm Constantinopolitanæ Periodi, imò & Eusebianæ Chronologiæ sectatores in eo convenire, quod doceant Christum passum die 23 Martii, Feria 6, currente Litterâ Dominicali G, & (saltem plerosque Græcos) Lunâ 14. In eo tamen differunt, quod Alexandrinæ sectatores stantes pro Anno 42 Vulgari, assignent Passioni Annum Mundi 5533, desinentem, vel 5534 ineuntem; Constantinopolitanæ autem sectatores facientes pro anno 31, annum Mundi 5539 desinentem, vel 5540 ineuntem: quo indicio facilè utraque factio distinguitur. Quamquam & ex Cyclorum diversitate, de quâ alibi diximus, nullo negotio distingui potest: quæ omnia dum aut ignorant, aut non satis animadvertunt nonnulli; utriusque hujus opinionis propugnatores malè confundunt. Eusebianus Mundi Annus 5231 ita quoad numeros differt à Constantinopolitano, ut reipsâ non discrepet: uterque enim collineat in annum Dionysianum 31, ut jam sæpè inculcavimus.

Corollarium.

Etiam ultra annum 42 Christi mortem distulerunt quidam ex Judæis, qui fabellam ineptissimam finxere de eo passo sub Helenâ Adiabenorum Reginâ, factâ proselytâ sub Claudio Imperatore. Vide hac de re Josephum de Voisin, *in Notis ad Pugionem Raymundi, Parte* 2, *cap.* 8: Cùm apertis, & adeò blasphemis commentis hanc chartam conspurcare, nefas sit. Fuerunt quoque nonnulli è Christianis, qui (ut testatur Augustinus, *lib.* 2. *de Doctr. Christ. cap.* 28) dicerent Christum crucifixum, cùm esset annorum 46; quod, rem ipsam putando, in illam Judæorum absurditatem relabitur. Ducebantur eo argumento, quòd Templum Hierosolymitanum, gerens Christi figuram, dicatur *Ioan. cap.* 2, fuisse *ædificatum annis* 46: sed futilitas hujus rationis refutatione non indiget. Non ita longè ab his abiit Irenæus, *lib.* 2 *adversus Hæreses, cap.* 24 & 40, dum scribit Christum obiisse, cùm esset 40 aut 50 annorum. Contendit quidem Baronius, *ad annum* 34, *num.* 142, esse imposturam Irenæo affictam;

Qui annò 42 Vulg. prætergrediantur.

ctam; idque ex præcedentibus ejus verbis adstruere conatur. Sed Irenæum ita omninò sensisse probat Petavius, *in Animadv. ad Epiphan. Hæresi 51, pag. 145*: noster autem Petrus Halloix hunc, inter alios Irenæi nævos, ingenuè agnoscit, *in Notis ad ejus vitam.* Neque id negare audet Feuardentius, Irenæi Scholiastes; satisque credit se eum excusasse, dicendo Paradoxum hoc ex Zelo adversus Gnosticos profectum fuisse. Ad illud fortasse respexit Stephanus Gobarus, *in suis ἀντικειμένοις apud Photium, codice 232, num. 44.* Postquam enim varia ex variis proposuit de Christo crucifixo, vel anno ætatis suæ 30, vel 33, vel 40; proponit & illud de morte seriùs obitâ; cùm scilicet non longè abesset ab anno ætatis 50.

CAPUT NONUM.

Ostenditur Christum ante Annum 31 Dionysianum non esse mortuum.

Unica ex allatis opinionibus vera.

SCitè monet Cicero, *lib. 1 de Nat. Deor.* Subinde, cùm disceptantium opiniones variæ sunt, & inter se dissidentes, *alterum fieri posse, ut eorum nulla; alterum certè non posse, ut plus unâ vera sit.* Haud paulò melior est nostræ hujus velitationis conditio; quando & opinionum à nobis recensitarum alicui veritatem suffragari necesse omninò est; & plerasque tam perspicuæ falsitatis conscientia revincat, ut ultrò vadimonium deserant; támque destituantur hodie patronis, quàm causâ vel in speciem justâ. Hæ ita in extremis consistunt, ut earum aliquæ, verum Mortis Christi annum manifestè prævertant plus æquo; nonnullæ eumdem plus æquo sequantur: aliæ ut propiùs absunt à vero; ita paulo ægriùs ab eo secerni possunt. Has solas in præsens ad examen voco; alias ne refutatione quidem dignatus: quia vel earum mentionem injecisse, refutasse est.

Refellitur Annus 29 Vulg.

Ordior ab anno 29 Vulgari, qui duos, etiam nostrâ hac ætate, propugnatores reperit, Cappellum & Vossium; & cui insuper favere videntur duo illi Characteres apud Antiquos celeberrimi, Geminorum Consulatus, & dies 25 Martii in Feriam sextam & in Æquinoctium populare incidens. Verùm, ut omittam in præsens difficultatem de Anno 15 Tiberii, qui, suppositâ triennali post Baptismum prædicatione jam passim receptâ, non facilè tertio ante hunc anno aptari potest, ut suprà, *Quæst.* 2 ostendimus; potenter anno 29 resistit, quod Novilunium Astronomicum Martii contigerit, Hierosolymæ respectu, die 4 illius Mensis: ex quo consequens esset Pascha celebratum fuisse Lunâ 22, seu existente in suâ secundâ quadraturâ, ac totis septem diebus post Plenilunium Astronomicum, quod duabus ferè horis præcessit noctem mediam, quâ discriminabatur dies 18 Martii à 19. Tanto autem spatio Judæos aberrasse à cælestibus motibus in celebrando Paschate, nemo talium rerum paulò intelligentior unquam admiserit.

Contra

Contra hæc, quæ modo de Lunæ situ dicebamus, animosiùs insurgit Cappellus, *Dissert. de Cœnâ Christi supremâ cap. 5*; sed adeò infeliciter, ut sit prorsus incredibile. Sileo hîc ejus errores patentes circa annos Olympiadum & Nabonassari: Satis habebo in præsens levi brachio retudisse, quæ ex Astronomiâ, & contra Astronomos adfert pro stabiliendâ suâ sententiâ. In primis ex Astronomicis Ptolemei Tabulis persuadere nobis conatur, die 25 Martii Anni 29 Dionysiani sub meridiem, Solem motu medio percurrisse Piscium gradum 28, Min. 40, Sec. 57: Lunam verò Leonis Grad. 28, Min. 6; adeoque necdum suum orbem lumine complevisse: sed à Pleni-lunio absfuisse Grad. 30, Min. 34; hoc est, itinere duorum dierum cum dimidio. Hoc autem spatium temporis, quo Pascha Judæorum die illo 25 celebratum antevertit Lunam Plenam, imputat Cappellus vitioso eorum Cyclo tunc per tridui anticipationem peccanti. Capelli hallucinatio.

Sed hæc omnia Pleni-lunio, de quo agimus, aptata, falsissima sunt: neque id mirum; cùm falso nitantur fundamento, & malè numeratis à Capello annis Nabonassari; quos si rectè supputasset, ex iisdem Tabulis deprehendisset Solem, ad supradictum diem & horam in Meridiano Alexandrino, decurrisse motu medio octo prima Minuta Arietis; Lunam verò Gradus 22, Min. 32 Sagittarii: atque ita hanc ab illo totis ferè novem signis recessisse. Ex quo ulteriùs sequitur, Lunam tunc non tantùm tridui itinere cis Pleni-lunium non constitisse; sed è contrario illud septidui itinere prætergressam esse. Item Cyclum Judæorum (quem sibi fingit Cappellus) non tantùm tridui anticipatione peccaturum non fuisse; sed septidui postpositione: quam Cycli labem nunquam Judæi tolerassent. Refellitur.

Adversus hæc tela tam potentia se egregiè munitum credit Capellus, dum *pag.* 107 monet, ut *Astronomiæ imperiti ad Astronomorum voces discant non trepidare, si quando Traditiones Ecclesiæ cum eorum ratiocinis minus consentiant: eò maximè, quòd nec ipsi Astronomi trepidant, dum de præcipuis Astronomiæ capitibus dissident inter se, connexionesq; Epocharum & Ærarum suis rationibus è cœlo petitis, ad invicem evertunt.* Cappelli munitum intempestivum.

Multa in tam paucis lineis peccat Cappellus. Ac primùm opinionem suam de Christo mortuo Anno Vulg. 29, vult nobis ut Ecclesiæ Traditionem obtrudere, cùm id longissimè absit à vero: imò illa opinio jam omnium calculis pro obsoletâ habeatur. Deinde nullum subesse periculum ne Astronomia cum veris Ecclesiæ Traditionibus pugnet, satis norunt, qui ex Aristotele didicerunt, verum vero adversari non posse. Præterea, quænam, amabo, sunt præcipua illa Astronomiæ capita, de quibus inter se dissident Astronomi? Num Hypotheses Terræ mobilis, aut immobilis, & similes? Atqui utrumvis statuatur, res eôdem redit; quod quidem attinet ad calculum Astronomicum. Quod addit de connexione Epocharum; ad bonum malúmve usum Astronomiæ spectat; non ad Astronomiam ipsam; quæ circa Siderum motus occupatur. In his autem determinandis adeò præcipuarum Tabularum Astronomicarum exiguum est discrimen, ut pro nullo meritò habeatur: nullum verò sit periculum ne ad dimidiatum diem circa Christi tempora excrescat: multo minùs ad Retunditur primò. Secundò.

 septiduum:

feptiduum: cujufmodi portentum ne per fomnium quidem cadere poteft in mentem ejus, qui vel leviffimè difciplinis Aftronomicis tinctus fuerit. Sed quid nobis negotii cum multiplicium Epocharum connexione? Æra Nabonaffari, quâ utitur Ptolemæus, omnibus intelligentibus adeò nota eft; ut de primo illius momento nulla prorfus fit inter eos difceptatio. Eadémque eft ratio de annis Periodi Julianæ, & Æræ Chrifti Vulgaris, ad quos recentiorum Aftronomorum Tabulæ communiter exiguntur. Sed omiffâ illarum Epocharum inter fe connexione, ad ultimum ufque momentum inter peritos indubitatâ; folam deligamus Æram Vulgarem vulgò notiffimam, ejúsque annum 29, ac diem Martii 25, horámque meridianam. Nullæ hîc ambages, nullæ Epocharum implexiones. Ad illud momentum exploret Cappellus per quafcumque alicujus nominis Tabulas, quæ tunc fuerit Solis ad Lunam habitudo: deprehendet, procul dubio, tantum illorum confenfum in illos fitus Luminarium, quos antea ex Tabulis Ptolemaicis expreffi; ut fateri cogatur fe immeritò traduxiffe Aftronomiam, quâ præcipuè nititur omnis exactioris Chronologiæ inftauratio.

Tertiò,

Altera Cappelli hallucinatio,

Præfidio huic Aftronomico diffidens Cappellus, in Cyclicum fe recipit; ac primùm S. Epiphanii Cyclo fe tueri conatur; fed fubtimidè: poftea vero paulo confidentiùs ad S. Hippolyti Canonem Pafchalem confugit; ut nobis perfuadeat Judæos fubinde uno alteróve die in celebrando Pafchate prævertiffe Æquinoctium, toto autem triduo Plenilunium Aftronomicum.

Refellitur.

Ad eundem femper lapidem offendit Cappellus, & de prævertendo Plenilunio follicitus eft, cùm de fequendo follicitus effe debeat: neque eft difficultas de anticipatione tridui (quàm ultro ipfi largiremur) fed de feptidui poftpofitione per fe prorfus incredibili. S. Epiphanii Cyclus Lunam Novam eo anno fignat die 1 Martii in Tabulis Bucherii. Ex ejus igitur mente, die 25 ejufdem Menfis, fuerit Luna 25, totis decem diebus fequens Lunam 15, quâ cenfetur effe plenilunium. Cùm autem ex fuprà dictis habeamus Novi-lunium Aftronomicum contigiffe die 4 Martii, Pleni-lunium die 18 expirante; fequitur quidem Cyclum Epiphanianum triduo citiùs fignare Syzygias Luminarium: fed hoc nihil Cappellum juvat, cùm Plenilunium Epiphanii decem diebus præcedat diem 25 Martii pro quo ipfe decertat. Canon S. Hippolyti tribuit quidem diei illi Lunam 14; & eatenus valde favet Cappello: fed nihil certius apud eruditos, quàm Canonem illum ducentis ferè annis poft Chrifti Paffionem confectum effe, circa Chrifti tempora vitiofiffimum, utpotè parùm accuratis Hypothefibus inædificatum, à quibus labem complurium dierum intra ducentos annos induci, nemo mirabitur, qui noverit intra octoginta quatuor dumtaxat annos vitium iftius Cycli ad dies quindecim excrefcere: ita ut Pleni-lunia ejus occupent fedem Novi-luniorum cœleftium. Nam v. g. anno Æræ Vulgaris 305, qui fuit Cycli, de quo agimus, annus 84, Novi-lunium Aftronomicum contigit die 10 Aprilis; & tamen in Canone S. Hippolyti notatur Luna 14 ad diem nonam Aprilis, ex quo fequitur Lunam 15, quâ vulgò cenfetur effe Pleni-lunium, affixam effe dicto diei 10 Aprilis.

S. Hippolyti Canon valde vitiofus.

Error Cappelli de die Æquinoctii

Jam verò quod additur de Æquinoctio ad unum alterúmve diem præoccupato tunc à Judæis, perridiculum eft. Si enim quæftio fit de Aftronomico & vero; jam

jam contigerat eâ nocte, quæ media fuit inter diem 23, & 24 Martii: si de medio, & civili; in illum ipsum diem 25 Martii incidebat. Quid igitur excusationes prætexit Cappellus, ubi nullis opus est? Hæc paulò minutiùs libuit persequi; ut qui Astronomiam ignorant, discant ea non suggillare, quæ non intelligunt.

Vossius, *Dissertat. de Tempore Dominicæ Passionis*, *Thesi* 16, alium nobis Cyclum objicit ex Octaëteride Cleostrati Tenedii, cujus Cycli præcipuum instauratorem laudat Samuelem Petitum, *in Eclogis Chronologicis*. Sed quàm supervacaneus sit ille labor ad Passionem dici 25 Martii, Anni Vulg. 29, vendicandam, vel ex eo fit satis manifestum, quod, ut suprà dicebamus, Judæi totius septidui discrimen à Pleni-lunio vero nunquam fuerint toleraturi: ut interim taceam de variis à Vossio admixtis sine sufficienti probatione, quâ sanè indigebant. Vossius frustra evadere conatur.

Sequitur Annus 30 Vulgaris, de quo rejiciendo non video cur nobis magnopere sit laborandum; quando & nullus, quod sciam, satis certò ei patrocinetur; & Plenilunium Paschale tam Cyclicum quàm Astronomicum incurrit in Aprilem; Mensem, ut antea observabamus, communi Patrum ac Ecclesiæ judicio semper reprobatum quoad Passionem Christi. Rejicitur obiter Annus 30 Vulg.

CAPUT DECIMUM.

Rejicitur Annus Vulgaris 32.

Rejectis Annis præcurrentibus tricesimum primum, cui postea suffragaturus sum, visum mihi est ad methodum commodiùs fore, si etiam annos hoc posteriores refellerem priùs, quàm sententiam propriam stabilirem. Itaque

Tricesimo secundo, qui primus occurrit, officiunt varia; ac *primùm* illud, quod nemo prorsus Veterum ei faveat; imò nullum qui faveret reperire potui intra prima quindecim Ecclesiæ sæcula. *Secundò*, si rectè se habeant, quæ *Quæstione* 1 dicta sunt de Anno Natali; sequeretur Christum anno 36 ætatis obiisse; quod nullâ urgente necessitate admitti non debet. *Tertiò*, cùm hujus anni Pleni-lunium Paschale incurrerit in Aprilem, eidem Mensi consignanda esset Passio Christi; quod jam aliquoties significavimus semper fuisse alienissimum à sensu Ecclesiarum tum Orientis, tum Occidentis, è quibus nonnullæ hanc ob causam Pascha perpetuò die 25 Martii celebrabant. Eo pluris fieri debet hic consensus, quo constantior mansit apud Græcos per tot schismata à Latinis divisos, & qui tam diu ab iisdem diversa scripserunt de Mense Natalis Christi, ut ostensum est suprà, *Quæstione* 1. Nimirum noctu natus in obscuro specu, paucissimisque notus, non adeò publicè notum reddere potuit Mensem ortûs sui: at sicut mors luce palam obita tot prodigiis illustrata, spectante innumerâ, quæ ex Orbe universo confluxerat, multitudine, ignorari uspiam non potuit; ita nec Mensis, quo contigerat, memoriâ & traditione populorum non conservari. Quàm altè Romanæ Ecclesiæ insedisset hæc persuasio tunc satis patuit, cùm Abulensis solemniùs Aprilem Mensem obtrudere conatus, publico judicio

Rationes contra Annum 32 Vulg.

Oriens & Occidens pro Mense Martio.

Cur Mensis Passionis magis notus Orientalibus, quàm Nativitatis.

dicio damnatus est; mansitque idem sensus postea apud complures Scriptores, è quibus Genebrardus, *lib. 2 Chronogr. pag.* 218, conqueritur à Veterum sententiâ *longiùs Recentiores, nescio quâ temeritate recedere, Mensem Martium, quo constanter Veteres affirmant passum ac mortuum Dominum, in Aprilem commutantes.* Vide & Salianum acriter Recentiores illos perstringentem, *ad Ann.* 4086, *num.* 11. quamvis hac in re contra seipsum apertè pugnet, sicut & Genebrardus; cum quo Passionem tribuit Anno 33 Vulgari, cujus Pleni-lunium Paschale necessariò congruere debuit Mensi Aprili, calculo Astronomico; imò & juxta Cyclum tam Dionysianum, quàm Julianum. Neque illos juvare potest, quod juxta Epiphanianam Bucherii Tabulam, *pag.* 364, Luna 15 Paschalis eo anno incidat in 31 Martii: nam dies ille est Dominicus: ideoque Passioni Christi aptari non potest; & aliunde est contra mentem dictorum Authorum.

CAPUT UNDECIMUM.

Rejicitur Annus Vulgaris 33, eliduntur q; responsiones nonnullæ pro Mense Aprili.

Rationes contra Annum 33 Vulg.

POtiori jure locum hîc habet, quod *capite præcedente* urgebamus de Christi ætate nimiùm excrescente. Si enim hoc anno mortuus dicatur, obierit anno 37 à nativitate, quàm suprà in annum Julianum 41 quadrare ostensum est. Eidem obstat, quod hæc opinio authorem suum primum agnoscat Philoponum Hæreticum Tritheïtam sexto demum sæculo; fueritque cum eo sepulta, & omnium silentio damnata per annos 700; donec a Baccone, ac deinde majore strepitu à Tostato suscitata, legitimo judicio reprobata est, manetque etiamnum, ut cum Jurisconsultis loquar, *in statu.* Denique hîc etiam vim suam obtinet, quod paulò antè dicebamus de Aprili ab universâ Ecclesiâ jam olim repudiato, cujus Mensis diei tertio & Paschale Pleni-lunium Astronomicum, & Christi necem affigunt hujus anni propugnatores.

Responsio ad tertiam rationem,

Postremo huic argumento non unâ ratione conantur occurrere ii, quos impugnamus. Ex illis enim nonnulli tam in Cyclis, quam in Astronomiâ peregrini, mortem Christi anno hoc 33 vulg. obitam cum Martio conciliandam esse contendunt, ut modò in Genebraido & Saliano vidimus: quin & aliqui diem illius Mensis vigesimum-quintum designant. Sed hæc omnia manifestè pertinere ad classem eorum quæ nullo modo fieri possunt, certò sciunt, qui in his rebus aliquid norunt.

apertè nulla.

Altera responsio, ejusq; fundamenta quatuor.

Alii talium intelligentiores, respondent *Primò*, etiam nonnullis ex Antiquis Passionem Christi tribuisse Aprili; nominatim Cyprianum, cujus verba recitata sunt suprà, *cap.* 2, *hujus Quæstionis. Secundò*, persuasionem illam de Mense Martio inde fuisse ortam, quòd Apostoli Anno 34 Vulgari Mortem Christi proximè insecuto, cùm *Passionis memoriam anniversario cultu vellent repræsentari à Fidelibus, primum Pascha nacti sunt, quod Hierosolymis celebratum fuit die 25 Martii, Feriâ quintâ: quem diem Chronicon Alexandrinum*

num vocat PRIMUM PASCHA APOSTOLICUM. *Quod quia primum fuit, jamq; infinita multitudo Gentilium, etiam Romanorum, Christo nomen dederat, quibus Calendarium Solare fixum, non illud Lunare Judaicum ac vagum, toto fermè Orbe Romano usurpabatur: retentus est Pascatus Apostolici primi status dies ad VIII Cal. Martias*: Apriles, haud dubiè, dicere voluit Vendelinus, cujus hæc sunt verba, *ad calcem Gnomes orthodoxa*. *Tertiò* Pharisæos cum Herodianis observatâ occasione *solvendi Censûs* (qui Mense Aprili pendebatur) *biduo antequam Christus pateretur, hoc est Calendis ipsis Mensis Romani, tentasse capere Dominum: etiam sic die Aprilis primâ in ejus mortem collineante, diémque tertiam.* Ita etiam Vendelinus; qui deinde subdit, Christi *Resurrectionem famosam etiam Romæ percrebuisse sub fabulâ Phœnicis, quam statim principio anni nostri* 34 *signavit Tacitus.* Tandem hoc epiphonemate libellum suum claudit: *Sic ergo lapsi sunt omnes, quotquot per Epactas computarunt Novi-lunia, nonnisi à visione Judæis numerari consueta; quod nunc ferè facit Kalendarium reformatum omni alteri methodo præferendum.* *Quartò* denique addunt alii, Judaicum & Paschalem Mensem Nisan fuisse ab Antiquis cum Martio confusum; eo quòd ille intra hunc ferè semper oriatur, ac subinde minimo minus, quàm tres ejus quadrantes occupet. Ita illi, quos non difficile erit retundere.

Ad *primum* igitur, quod pro Mense Aprili, adversus totam Antiquitatem proferatur testimonium unici, & nescio cujus Pseudo-Cypriani, hominis certè barbari, & (si quidem ejus verba ex fide allegentur à Vendelino) artis Computisticæ, quam profitetur, penitùs ignari; non caret admiratione. Vendicasset saltem illum Vendelinus ab antilogiâ manifestâ suprà à nobis declaratâ, qui tali teste sibi utendum putavit. Si præstare hoc non potuit vir Astronomiæ scientissimus; cur hominis cum seipso pugnantis umbram testatissimæ Veterum authoritati opponit? Si scivisset Vendelinus fuisse etiam olim nonnullos, qui apud Clementem Alexandrinum *lib.* 1 *Strom.* censerent Christum passum die 25 Pharmuthi, seu 20 Aprilis; item alios (si tamen alios) suprà *cap.* 7 *extremo* à nobis ex Hippolyto Thebano relatos, qui à mortuis suscitatum vellent 21 Aprilis: procul dubio etiam inde sibi præsidium quæsivisset. Verùm, præterquam quòd hæc anno 33 Vulgari aptari nullo modo possint; non est satis ad antiquas Traditiones evertendas unum alterúmve erronem proferre, qui secus senserit. Vix enim reperire est ullum dogma fidei tam firmum, cui aliquis, etiam olim, non contradixerit; sive ex ignorantiâ, sive ex pruritu quidpiam novum proferendi. **Evertitur fundamentũ primum.**

Ad *secundum*, negari non potest Apostolos hoc sedulò egisse, ut Christi Passio à Fidelibus annuâ celebritate recoleretur: at in eâ recolendâ maluisse eos habere rationem Paschatis anno vertente insequuti, quàm illius celeberrimi, primarii, & omnibus Romani Orbis incolis notissimi, quo Christus inter tot prodigia, præsente innumerâ ex omnibus Provinciis collectâ multitudine, sanguinem pro nobis fuderat; hoc verò est quod, præter unum Vendelinum, nemo hactenus sibi persuadere potuit. Equidem SS. Patres, aliique, dum de Martio loquuntur, apertissimè attendunt non quid sequentibus annis, sed quid eo ipso anno actum sit, quo Christus reipsâ mortem subiit; neque in re adeò perspicuâ probationibus opus est. **Evertitur secundum.**

Chronicon Alexandrinum malè allegatum.

Sed quid hoc rei est, quod Vendelinus suas in partes advocet etiam Chronicon Alexandrinum; licèt in eo nihil minùs habeatur, quàm id quod illi tribuit? Agit evidentissimè Chronologus Alexandrinus de anno Vulg. 32: Vendelinus de 34. Scribit ille *Sanctos Apostolos primum Pascha post Christi in cœlum Ascensionem celebrasse feriâ sextâ, die undecimâ Aprilis.* Loquitur Vendelinus de Paschate celebrato die 25 Martii, & Feriâ quintâ, quem diem adscriptis majoribus litteris, asserit à *Chronico Alexandrino vocari PRIMUM PASCHA APOSTOLICUM*; quæ appellatio in textu suprà recitato non compâret, attentis iis verbis in quibus fit tanta vis: & ut compareret, non faveret Vendelino alium diem, aliam Feriam, imò & alium annum obtrudenti. Denique agit Chronologus de Lunâ 14, quâ Judaicò ritu manducatus fuerit Agnus Paschalis, eamque ipsam definit ex Cyclo Novilunia & Plenilunia cœlestia tunc antevertente. Agit Vendelinus de ipsâ solemnitate Paschali, seu Lunâ 15 (supputationem à Phasi inchoando) quam toto biduo posteriorem facit Plenilunio Astronomico; quod anno 34 Vulgari incidit in diem 23 Martii. Quo igitur colore potuit Chronicon Alexandrinum in Theseos istius confirmationem adduci? De Vendelino scribit Joannes Chifletius, Canonicus Tornacensis, *Commentarii in Gemmas Abraxeas, cap. 10. In ejus scriptis multa reperiri non publici saporis: quæque ab alio nemine, quàm ab ipso, defendi queant.* At illud, quod jam impugno, ne ipse quidem Vendelinus, si viveret, adversus has impugnationes tueri posset.

Tertium fundamentum subvertitur,

Tertium illud de Censu pendendò Mense Aprili, nullo negotio repellitur: non enim, si quid Aprili gerendum fuit, illicò consequens est ut illo dumtaxat Mense eâ de re actum fuerit. Quid enim magis quotidianum, quàm ut colloquia de hujusmodi negotiis publicis, præsertim vulgò odiosis, instituantur non tantùm uno, sed etiam pluribus mensibus priùs, quàm ad executionem deveniendum sit? Nihil saltem erit incommodi; si dicatur Christus de Censu interrogatus fuisse die 21 Martii; ut volunt ii, qui nobiscum censent passum fuisse die 23 ejusdem Mensis, & Anno 31 Vulgari.

Uti & ejus appendix prior,

Assumentum illud de Phœnice quam vim habeat ad Aprilem Christi Passioni vendicandum, fateor me non satis assequi. Hàc fabulâ æquè plausibiliter in Martii favorem uti possent, qui Christum Anno 34 Vulgari, & die 26 illius Mensis mortuum volunt. Quid enim vetat illum rumorem & anno isto spargi cœptum in Ægypto, & mox Romam perlatum esse? Deinde non lóquitur Tacitus de Phœnice recèns suscitato, sed de viso ab Ægyptiis; quod in Christum non quadrat. Adde Tacitum disertè agere de Phœnice ave, ejusque fabulam pluribus verbis explicare ex Ægyptiorum & Græcorum libris, nullo prorsus ad Christum resurgentem respectu; utpote qui non in Ægypto, sed in Palæstinâ suscitatus est, & à sat paucis visus. Præterea cùm non solus Christus à mortuis surrexerit, sed multi etiam alii, qui venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis; si ejus resurrectio Ægyptiaco illi rumori occasionem dedisset, non adeò alto silentio pressa fuisset aliorum suscitatio. Quin potiùs hæc publicè rescita, fabulam de unicâ semper ave dissipâsset. Quare, quàm longè petitum sit hoc Vendelini argumentum, nemo non videt. Quid quod Plinius, lib. 10 *Hist. Natur. cap.* 2, & ex eo Solinus, *in Polyhistore, cap.* 33, ac denique Dio,

ad

ad Annum U. C. 789, apertè asserunt illam Phœnicis apparitionem contigisse Plautio & Papinio Coss. hoc est, Anno Vulgari 36, biennio posteriùs, quàm Tacitus; in cujus locum citatum meritò scribit Lipsius: *Vereor ut stare sententia Taciti posit, contra tot testes?*

Quod subnectit Vendelinus de Novilunio non ex Epactis, sed ex Phasi à Judæis definito; *lapsosq;* pronuntiat *omnes, quotquot per Epactas* illud *computârunt*; & sine sufficienti probatione, & nimis universaliter asseritur. Deinde si ex hodierno Calendario Novilunium per Epactas computatum ferè coincidit cum illâ computatione ex Phasi, ut ibidem affirmat Vendelinus: quid necesse est *lapsos esse omnes quotquot Novilunium per Epactas computârunt*, etiam dato eo quod assumit Vendelinus, nec satis efficaciter probat? Sed hâc de re fusiùs agendum erit infrà *cap.* 23; ideoque satis habebo in præsens quæsivisse ex Vendelino, cur anno 34 Vulgari Lunam 15 numeret die 25 Martii; hoc est biduo post Plenilunium Astronomicum, quod contigit eo anno die 23 Martii, sub quintam matutinam; anno autem 33 Vulgari Lunam 15 numeret die 3 Aprilis, hoc est eo ipso die, quo contigit Plenilunium cœleste? An fortè tantam diversitatem rejiciet in Novilunia illis duobus Pleniluniis respondentia? Atqui hæc ipsa ei adversantur apertissimè. Nam Novilunium Anni 34, de quo est quæstio, contigit Hierosolymis die 9 Martii, sub horam 7 matutinam; potuitque Luna conspicua esse nocte insequente; ac proinde debuerit dies primus Nisan indicari die decimo Martii; Luna autem decima-quinta non fuerit numerata die 25 Martii, sed vigesimâ-quartâ. E contrario Novilunium Anni 33 contigit die 19 Martii, sub horam primam pomeridianam; adeoque octo circiter horis seriùs, quàm illud prius; quod utique Phasim Lunæ retardare debuit, adeò ut vix nocte insequente videri potuerit. Cur igitur statim proximo die 20 Martii inchoat Mensem Nisan, & Lunam primam numerat? An non desultoriâ hâc supputandi ratione satis indicat se Lunationes potiùs arbitratu suo, prout commodum est, quàm certâ lege definire? Possent hîc comparari Lunæ motus ac situs in suo Epicyclo, item Solis locus in Zodiaco, tempore utriusque Novilunii; ut appareat neque ex his peti posse discrimen: sed paucula, quæ diximus, intelligentibus abundè sufficient.

Item appendix posterior.

Ad *quartum* de Mense Nisan confuso cum Martio, fateor nonnullos esse, qui subinde ita loquantur; ut v. g. S. Eligium Noviomensem Episcopum, *Homil.* 14, Nicetam Serronium, *in Orat. 42 Nazianzeni, num.* 27; sicut non desunt qui confundant cum Aprili; ex quibus sunt Socrates, Rhabanus, Rupertus, &c: sed plerique omnes ita mentem suam explicant, ut nullum sit periculum errandi. At Patrum torrentem spectando, responsum illud statim valdè dilutum videbitur iis, qui probè noverint, SS. Patres sæpè Martium à Mense Nisan disertissimè secernere: sæpè id ipsum præstare manifestè, dum dicunt Lunam 14 aut 15 Nisan incidisse in hunc aut illum diem Martii; vel dum dies Martii comparant cum diebus Ægyptiaci Mensis Phamenoth aut Pharmuthi; vel dum Passionem aut Resurrectionem tribuunt diei Æquinoctii Verni; vel denique dum ita certo diei Martii consignant Passionem aut Resurrectionem, ut deinde Ascensionem ac Spiritûs Sancti adventum conferunt in eos dies ac Ferias Mensis Maii, quales

Evertitur quartum fundamentum.

exigit dispositio Calendarii Romani, Judaicum autem Calendarium pati nullo modo potest, si cum Romano confundatur.

CAPUT DUODECIMUM.

Idem Annus rejicitur destructo ejus præcipuo fundamento ex Astronomiâ petito.

Tria fundamenta pro Anno eodem 33. Vulg.

PRæcipua, maximéque popularia hujus opinionis fundamenta sunt tria; *Primum*, inolita persuasio, quasi Christus certò mortuus fuerit anno 4 Olympiadis 202. *Secundum*, persuasio altera non ita pridem à nonnullis invecta, quasi dies Passionis, qui à Feria 6 avelli non potest, incurrerit in diem Plenilunii Astronomici, ac solemnitatem Paschalem, Lunâ 15, seu die 15 Mensis Nisan celebrari solitam. *Tertium*, Annus ætatis Christi tricesimus-tertius in illum annum Vulg. 33 incidens, si à capite Æræ Vulgaris supputetur, Natali collato in Annum Julianum 45 desinentem.

Tertium jam antea subrutum. Primum infrà examinandum. Secũdum hìc attingitur.

Postremum hoc satis superque, nî fallor, evertimus suprà *Quæstione* 1, ubi perspicuè demonstravimus non posse ullo modo dici Christum eo anno natum. Vide etiam quæ infrà, *cap. ult.* dicturi sumus de ætate Christi morientis. *Primum*, quod testimonio Phlegontis nititur, commodiùs à nobis examinabitur infrà, *capite* 26. *Secundum* igitur nobis in præsentiâ superest, quod, quia infrà *cap.* 21, paulò pleniùs convellendum erit, satis erit hìc restrictiore impugnatione confutâsse; ostendendo quàm parùm consideratè agant, qui nullâ Novilunii ratione habitâ, ex solo Plenilunio Astronomico pronuntiant de die solemnitatis Paschalis, seu decimo-quinto Nisan.

Refellitur Pleni-luniũ Astronomicum verũ, restrictè ad Annum 33 Vulg. ex determinatione Neomeniarum.

Quæro itaque, an ex accuratis illis calculis Astronomicis, quos hodie præcipui illius sententiæ propugnatores sectantur, fuerit à Judæis definita cujuslibet Mensis Neomenia, ac nominatim Mensis Nisan? Negare utique id non possunt, si cohærentia loqui studeant, præcones illi supputationis Astronomicæ, cujus Moysen scientissimum prædicant, tum ex educatione Ægyptiacâ, tum ex divinâ illustratione. Et verò quàm ridiculum foret aliâ methodo principium Mensis, aliâ medium, aliósve ejus dies definire? Quàm sæpè contingeret ut una alteram everteret; ambæ autem Mensem in partes minimè inter se congruentes divellerent? An non cujusvis Mensis dies v. g. decimus-quintus, vicesimus, &c. à die primo, ejusque exacta constitutione dependet? An non Hebraica vox *Chodesch*, & *Novi-lunium*, & *Mensem* significans, imò huic, illo mediante, dans nomen formatum à Radice *Chiddesch*, *renovavit*, accommodata Lunæ in jugo velut innovatæ, satis ostendit in Mensium ordinatione Neomeniam potissimùm & ante omnia attendi? Quod si solemnitas diei obtendatur; constat Neomenias Hebræorum eatenus saltem sacras fuisse, quòd peculiari regione ab omnibus colerentur; soleretque tunc speciatim populus in Templum convenire, tum ut novi Mensis primitias Deo dicaret; tum ut ex Sacerdotibus intelligeret quæ festa,

Celebritas Neomeniarum apud Judæos.

quæ

quæ jejunia, quos alios ritus, & quando, observare deberet; tum denique ut interesset peculiaribus sacrificiis, quæ (præter quotidiana) singulis Neomeniis quàm plurima ex Dei præcepto erant offerenda; de quo vide *Numerorum c.* 28, *vers.* 11, *& seq.* Accedit quod *Calendæ* & *Neomeniæ* passim in libris sacris jungantur, & velut comparentur cum *Sabbathis* & aliis *solemnitatibus*; item quod Judith, *cap.* 8. *v.* 6. dicatur *jejunasse omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbatha & Neomenias, & festa domûs Israël*; quæ verba non obscurè indicant, quàm celebres essent apud Judæos Neomeniæ. Quin etiam complures affirmant eas fuisse quot Mensibus festo tubarum clangore publicè honoratas, juxta illud *Psalmi* 80: *Buccinate in Neomeniâ, tubâ*; qua de re vide Bonfrerium aliosque Interpretes, *ad cap. Num. cit.* nec desunt qui doceant, Neomenias secum advexisse ferias ab operibus servilibus, & hoc saltem de Neomeniâ Tisri negari non potest, ut patet ex *Levitici cap.* 23, *v.* 24. Ex quibus omnibus conficitur, Neomenias directè & per se fuisse constitutas apud Judæos: nec minorem in illis supputandis accurationem adhibitam esse, quàm in aliis festis; imò tanto majorem, quanto magis reliqui dies erant ex Neomeniis religati. Hoc posito,

Quæro iterum ex illis exactioribus Syzygiarum cœlestium supputatoribus, in quem diem inciderit Paschale Novi-lunium Anni Vulg. 33, seu medium, seu verum? Quibuscumque Tabulis utantur, respondebunt haud dubiè utrumque Hierosolymis contigisse die 19 Martii, Feriâ 5, ac (juxta Tabulas Ptolomæi sub Christi tempora accuratissimas) horâ circiter unâ post meridiem. Eò igitur die, secundùm supradicta, fuerit inchoatus Mensis Nisan: cumque dies 15 in eamdem Feriam semper incidat in quam primus, si hic in Feriam 5 inciderit, in eamdem inciderit etiam ille: adeóque Paschalis solemnitas, eique conjuncta, ut volunt, Christi Passio, non in tertium diem Aprilis, non in Pleni-lunium Astronomicum, non in Feriam sextam inciderit; sed in diem 2 Aprilis, Feriam 5, & pridie Pleni-lunii. Si autem passus esset Christus die 3 Aprilis, passus esset die 16 Nisan & Lunâ 16, & postridiè solemnitatis Paschalis; quæ omnia, fatentibus iis ipsis quos impugnamus, sunt absurdissima. Dicendum igitur est argumentum ex Astronomiâ petitum pro anno 33 non tantùm illi non favere, sed etiam obesse, illumque evertere.

Applicatur argumentũ Anno 33. Lunationi ejus Paschali.

Illud quoque percunctari lubet, quânam diei tertii Aprilis horâ contigerit Pleni-lunium verum tantopere ab ipsis prædicatum? Respondet recens Scriptor contigisse Hierosolymis Horâ 7, Min. 10 post meridiem, juxta Tabulas Riccioli; at juxta Rudolphinas, quas reliquis præfert, Horâ 5 pomeridianâ, Min. 24, Sec. 29. Verùm si priùs illud admittitur; contigerit Pleni-lunium Sabbatho per unam ferè horam inchoato; cum Sole scilicet occidente Horâ 6, Min. 12, Hierosolymis. Ergo solemnitas Paschalis inciderit jam non in diem 3 Aprilis, sed in quartum, & in Lunam 17, Judaicâ supputatione festorum à Vesperâ ad Vesperam, & habitâ ratione Novi-lunii suprà meritò attributi diei 19 Martii. Et ecce novum inconveniens. Si admittatur posterius; cessat quidem hoc inconveniens: sed concedi debebit Pleni-lunium peractum vix tribus Horæ quadrantibus ante Solis occasum; totamque solemnitatem Paschatis absolutam fuisse ante Pleni-lunium ejus definitivum, demptis dumtaxat tribus horæ

Urgentur Adversarii ex ipso Pleni-lunio Astronomico vero.

horæ quadrantibus; quod haud dubiè multis videbitur scrupulo non carere; aut etiam, ratione tantæ viciniæ, debere Pleni-lunium reduci ad diem insequentem. Quod si fiat; redibit incommodum non leve, jam allatum. Saltem, qui prolepses tantoperè improbant, dum agitur de tribus quatuórve Mensibus in annum unum imputandis, nullo colore se tegere poterunt, cùm tantillum spatium temporis revocent ad pridianæ vesperæ initium, & ab eo toti Feriæ sextæ velint per Prolepsin adscribi Plenilunium, ante quod, ut ipsi explicant, non poterat Festum Paschatis celebrari. Denique cùm Plenilunia Astronomica plerumque contingant die 16 post Novilunium, subinde etiam die 17; si Moyses exactissimi Plenilunii tantam rationem haberi voluisset, nequaquam diei 15 Nisan affigere debuisset Paschalem solemnitatem, sed decimo-sexto, attento eo quod plerumque accidit; aut, spectato rigore, jam diei 15, jam 16, jam 17. Obsigno hæc non meo, sed Keppleri, Astronomi excellentissimi epiphonemate, *pag.* 84 *Eclog. Chronol*: *Adhuc*, inquit, *relinquitur nostra ætati hoc propudium, ut Astronomiæ fiduciâ fidem totius Antiquitatis in dubium vocemus; Martiumq; in Aprilem commutemus*. Ita ille suggillans patronos anni 33 Vulgaris, & Mensis Aprilis, quibus adhæserat, antequam nostræ opinionis rationibus convictus in eam concederet.

Ricciolus vult fuisse a Judæis attentos medios motus Lunæ.

Conveniendi nunc sunt tantisper nobis quidam, alii ejusdem anni 33 suffragatores, qui omissis veris Syzygiis ad medias confugiunt, docentque Menses Judaicos ex mediis Noviluniis accepisse suam determinationem. Ex his Ricciolus *lib.* 4 *Almagesti Novi*, *cap.* 3, *num.* 4, ita loquitur: *Dico cum Paulo Forosemproniensi, Parte 2 summa, cap.* 8, *& Scaligero in Prolegom. pag.* 6, *& lib.* 2, *pag.* 150, *Judæos habuisse suos Cyclos Lunares, sive à Gamaliele, sive ab alio coordinatos, ex quibus Neomenias determinabant, & à conjunctione, seu Novilunio medio, Menses inchoâsse: ideoq; verè à Dionysio Areopagitâ dictum, Lunam decimam-quintam, quâ celebravit Pascha, fuisse in Diametro, & Solis oppositam; quod non esset rectum, si à primâ Phasi Judæi Mensem Nisan inchoâssent: cùm prima Phasis aliquando nonnisi tertio aut quarto die post Novilunium appareat.* Hæc Ricciolus.

Refellitur.

Sed velim in primis ex Ricciolo discere, quânam arte fictitius ille Gamaliel (de quo postea) aut quilibet alius, ita Cyclos suos ordinare potuerit, ut semper Novilunia media per illos designarentur iis præcisè diebus, quibus contingebant? Tentârunt id complures; sed semper frustrà. Neque hoc mirum videri debet; cùm Cycli per dies integros procedant: media autem Novilunia per Dies, Horas, Minuta prima, secunda, tertia, &c. quæ sub popularem & tractabilem Cyclum non cadunt. Præterea, quânam epistolâ, aut quo loco meminit Dionysius Areopagita *Lunæ* 15, *quâ passus est Christus?* imò quomodo id *verè dicere* potuit, attentâ sententiâ Riccioli de Anno 33 Vulg. cùm Luna 15 à Novi-lunio medio Paschali inciderit in diem 2 Aprilis, ac Feriam quintam, ut patet ex dictis; nec Luna, etiam juxta motus medios, fuerit Soli opposita è *diametro*, nisi postridie? Relabitur itaque Ricciolus cum suis motibus mediis in illud ipsum incommodum, quod paulò ante ostendebamus sequi ex motibus veris, quoad Lunam 16, quâ anno 33 celebratum fuisset Festum Paschale, si die 3 Aprilis, & Feriâ 6 celebratum fuisset. Quod si velit diem illum 19 Martii non fuisse primum Mensis Nisan, eo quòd Novi-lunium contigerit post meridiem; jam refelletur *cap. seq.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Rejicitur alius modus eumdem Annum 33 propugnandi petitus ex translatione Festorum.

VIDIT, quantum apparet, incommoda jam allata Paulus Burgensis; ideoque, *in suis Additionibus ad cap. 26 Matthæi* (retentâ supradictâ basi Novilunii medii) varias apponit limitationes, ex quibus vult factum fuisse ut Paschalis solemnitas anno 33 Vulg. non tantum celebrata non sit die 2 Aprilis, & Feriâ 5 (prout, per se loquendo, fieri debuisset) sed etiam in diem Sabbathi, & quartum Aprilis fuerit rejecta. Evasio Pauli Burgensis

Scribit igitur *Primò*, apud Hebræos observatum, ut Neomenia Nisan ei diei affigeretur, quo Novi-lunium medium accidebat intra octodecim primas horas ab occasu Solis, qui apud illam Gentem diei principium erat. *Secundò*, si Novi-lunium accidisset post horam 18, seu post meridiem; initium Mensis Nisan solitum transferri in diem sequentem; ad quem scilicet magis pertinere videbatur, quàm ad præcedentem, cujus jam tres quartæ ponuntur elapsæ ante Novi-lunium medium. *Tertiò*, solitam alio etiam titulo in diem sequentem transferri Neomeniam, quamvis ea intra octodecim horas supradictas contingeret: si nimirum dies ille esset Feria 2, vel 4, vel 6, idque ne festum aliquod è solemnioribus intra decursum anni incurreret in diem qui immediatè aut præcederet, aut sequeretur Sabbathum, cum gravi incommodo præparationis ciborum, dilationis sepulturæ mortuorum in regionibus calidis, & ex similibus aliis considerationibus. *Quartò*, ad duos etiam dies translatam fuisse Neomeniam, si duæ causæ jam recensitæ ita concurreret, ut translatio facta ob Novi-lunium medium post horas 18 de quibus suprà, incideret in unam è tribus Feriis jam dictis. Variæ limitationes ab eo adhibitæ.

Hæc deinde sic applicat anni Vulgaris 33 Novi-lunio Paschali, seu Mensis Nisan. Contigit quidem illud die 19 Martii: sed quia contigit post meridiem, ideo (juxta *Regulam allatam numero 2*) debuit rejici in diem 20. Ex aliâ parte, quia dies ille 20 erat Feria 6, ideo (juxta *Regulam* 4) fieri debuit altera translatio, & Mensis Nisan non inchoari ante Sabbatum, seu diem 21 Martii. Hinc ulteriùs factum, ut dies 15 Nisan, & solemnitas Paschalis incurreret in diem quartum Aprilis, & in Sabbathum, pridiè cujus mortuus est Christus. Plausum ingentem tulit hæc explicatio apud multos; tum quòd solvere videretur præcipuas difficultates motas *Cap. præcedenti*; tum maximè quòd ex ipsis Judæorum receptis ritibus occurreret, quantum apparebat, controversiæ satis implexæ, An eo die, quo crucifixus est Christus, celebratum fuerit Festum Paschale, an postridie tantùm, de quo pluribus infrà. Hanc conciliationem amplexus est Joannes Hentenius, *in Præfatione ad suam versionem Euthymii*, & varii alii. & applicatæ Anno 33 Vulg.

Verùm sunt hæc ejusmodi, ut meritò dicat Matthias Thoryngus, *in suâ Replicâ, ad illud caput Matthæi*, iis multa dubia inesse; alii autem verissimè asserant Refellūtur ex Josepho.

esse

esse inventa Judæorum longè recentiorum ætate Christi; nec quicquam simile fuisse olim observatum. Certè Pentecosten, paulò ante Christi Natalem, aliquando Sabbatho immediatè successisse, locuples testis est Nicolaus Damascenus, apud Josephum, *lib.* 13 *Antiq. cap.* 16, dum ait Antiochum Regem per biduum ad preces Hyrcani Judæorum Pontificis substitisse; eò quòd in id tempus incurrisset quædam Judæorum Festivitas, per quam iter facere iis non licebat. Hanc fuisse Pentecosten, ibidem declarat Josephus, uti & eam successisse Sabbatho, quo etiam fuerat quiescendum. Hoc argumentum adeò rationes Scaligeri conturbavit, ut aliquando censuerit Pentecosten à translationum Regulâ exceptam; aliquando etiam dixerit, in solo Mense Tisri habitam fuisse rationem hujus comperendinationis Festorum: quæ omnia & gratis dicuntur, & vana esse ostendit Serarius, *in cap.* 5 *Josue*, *Quæst.* 30.

Itèm ex Thalmudo. Quid quòd ipsum Thalmud, & ex antiquioribus ac præcipuis Rabbinis nonnulli manifestè ostendant hæc nihil aliud esse, quàm recentiorum Judæorum figmentum? Equidem Thalmudico Codice Pesachim, *cap.* 7, disertè habetur, *Ossa & nervos, & reliqua* (quæ ex Agno Paschali comedi non potuerunt) *comburi die* 16 *Nisan*; *& si die illo Sabbathum fuerit*, *die* 17. Poterat igitur dies 15 Mensis Nisan, adeoque & Solemnitas Paschalis, cadere in Feriam 6. Item patet ex Codice Menachoth, *cap* 10, *citato à R. Isaaco Aramæo, Libro Ligationis Isaac.* Ibi enim agendo de messore manipuli frugum, qui Deo offerri debebat die 16 Nisan, seu postridie Paschatis, ita habetur: *Postquam tenebræ factæ sunt* (id est post Solis occasum, quo clauditur solemnitas Paschalis) *dicit messor omnibus adstantibus: Occidit Sol? Dicent illi: Etiam, occidit Sol, &c. Quod si Sabbathum fuerit, quæret: Est ne Sabbathum? Dicent illi: Est.* (dicet messor) *Metam ne? Respondebunt: Mete. Tribus vicibus omnis quæstio & responsio fiet.* Quid clariùs? Vide Langium, *lib.* 2 *de Annis Christi*, *cap.* 6. *pag.* 398, ubi allegat Barthenoram, citato Rabbi Ismaële, dicentem: *Homer* (sive manipulus frugum, de quo suprà) *advenit Sabbatho, quando incidit in Sabbathum, & Homer pellit Sabbathum*; id est tollit obligationem non metendi die Sabbathi. Allegat & R. Moysen Ben-Majemon, in hæc verba: *Messis Homer non fit nisi nocte* 16 *Nisan*; *sicut declaratum est, & quandoque est dies Sabbathi: & jam ante mentionem feci tibi, quod omnia quæ necessarii præcepti sunt, & quibus est præfixum tempus, pellant Sabbathum.* Allegat denique R. Aben Ezram, ita, loquentem: *Ex Mischnâ, & Thalmudo manifestum est Pascha incidisse in Badu*, id est in Feriam 2, 4, 6: quæ omnia funditùs evertunt secundam causam translationis Paschatis à Burgensi allatam. Similia de translatione aliorum Festorum vide apud Langium, *cap. cit.*

Item ex variis incommodis. Nihilo plus fundamenti habet causa alia translationis Neomeniæ petita ex eo quòd contingeret post meridiem. Nam in primis nulla ejus mentio extat in Mischnâ Thalmudicâ, aut Rabbinis antiquioribus: Calendarium autem illud, quod Rabbi Gamalieli tribuitur, est suppositititium, ut postea dicemus. Deinde cùm Judæi dies suos non supputarent à meridie, parùm vero-similiter dicuntur illum ita rigidè attendisse, ut si vel uno minuto seriùs accideret Pleni-lunium, ad diem

ad diem insequentem pertinere deberet. Denique translatio illa usui civili & populari parùm accommodata est, maximè si gemina sit; ut in exemplo antea allato, paritque inæqualitates & irregularitates Mensium planè irrationabiles. Et ut in eodem exemplo & Anno maneamus, cùm Neomenia media Adar incurrat in diem 18 Februarii; nec ulla ex causis supradictis exigat eam transferri, si sequens Neomenia Nisan transferatur in diem 21 Martii, dandi erunt Mensi Adar, de se cavo, solidi triginta & unus dies; quod in Calendariis eorum, qui anno Lunari utuntur, meritò censetur absonum; quandoquidem Mensis Lunaris æqualis constet tantùm Diebus 29, Horis 12, Minutis 44; ideoque ita alternatim, methodo populari, sint cavi & pleni Menses civiles; ut pleni numerum tricenarium nunquam excedant. Similiter, cùm secundus Mensis Ijar eo anno inire debeat die 18 Aprilis, in quem incidit Novilunium medium; neque toto illo Mense sit ulla Solemnitas exigens translationem; sequitur Mensem Nisan numeraturum dies dumtaxat octo & viginti: quot scilicet numerantur à die 21 Martii inclusivè, ad 18 Aprilis exclusivè. Et ecce iterum novum monstrum Mensis Lunaris, cui nunquam tribuuntur pauciores dies quàm 29; possentque plura hujusmodi alia congeri (si in ea inquirere luberet) quæ vitari non possunt positis regulis suprà allatis.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Rejicitur Annus 34 Vulgaris.

Contigerunt hoc Anno duo Plenilunia Astronomica; alterum die 23 Martii, & Feriâ 3; alterum die 22 Aprilis, & Feriâ 5; utrum autem ex illis Paschale fuerit, ambigitur: etsi plerique hoc pesterius improbent, vel eo nomine quòd sit extra Martium à totâ Antiquitate Passioni Christi addictum. Priori illo non utuntur eodem modo patroni hujus Anni. Panodorus enim, ut dicebamus suprà, *cap.* 7, revocat Lunam 15 ad diem 20 Martii, qui fuit Sabbathum. Alii contrà eam transferunt in diem 25 ejusdem Mensis, ob authoritatem aliquot SS. Patrum, qui eo die Christum mortuum tradunt. Sed mox inter illos exoritur schisma quoad Feriam. Nam cùm huic anno competat Littera Dominicalis C, sequitur diem 25 Martii, cui affixa est Littera G, fuisse Feriam 5, juxta Calendarium Julianum. Id avidè arripit Herwartus *cap.* 175 & 176 *Nova Chronol.* ut Christi Morte illi Feriæ attributâ, Resurrectione autem diei Dominicæ, reperire possit tres dies, & tres noctes, quibus jacuerit in sepulchro, juxta vaticinium de quo Matthæus, *cap.* 12, v. 40. Vide Petavium, *lib.* 12, *de Doctr. Temp. cap.* 12, ubi præcipua opinionis istius contra torrentem Patrum nitentis fundamenta convellit.

Duo Plenilunia Anni 34. de quibus ambigitur.

Panodorus.

Herwarti error.

Alii retentâ Feriâ 6, tamquam certò connexâ cum Christi Passione, dicunt (viam illis sternente Forosempronienſi, *Parte* 2, *lib.* 12, *cap.* 3) Pontifices Romanos sub finem correctionis Calendarii ab Augusto imperatæ, iterum vitiosè intercalasse annum, qui simplex esse debuerat. Inde autem factum ut, uno die conse-

Prætensus error in iteratâ correctione Calendarii Juliani.

consequentibus annis præposterè subrepto, esset Martii dies 25, & in Feriam 6 incideret; qui, secluso illo Sacerdotum errore, fuisset dies 26, & in eamdem Feriam 6 incurrisset. Ita Mariana, *Tract. de Die Mortis Christi*, *cap.* 17, ubi etiam addit *Patres errorem* hunc *considerâsse*, & ejus *mentione prætermissâ*, *unanimi consensu dixisse Christum occisum 25 die Martii.* Addit etiam *hunc errorem correctum se credere à Concilio Nicano*, *cum cæteris quæ ad rationem Paschatis pertinebant.*

Refellitur primo ex Mocrobio.

Omisso eo, quod hîc dicitur, de *Patrum unanimi consensu*, quodque ex suprà dictis patet longè abesse à vero; mirum sanè hæc adeò Paradoxa, in medium proferri nullo Authore antiquo, nullis rationibus satis vero-similibus firmata. An iteratum hunc errorem, siquidem reipsâ intervenisset, tanto silentio pressissent Solinus, Suetonius, Dio, Censorinus, Macrobius, dum Calendarii seu à Julio correcti, seu ab Augusto restituti meminerunt? An adeò incauti erant Pontifices illi Romani, ut ab Augusto, perfectæ Calendarii restitutioni acriter invigilante, aliàs tam seriò admoniti, denuo ad eumdem lapidem offenderent? Deinde, esto offendissent; an id dissimulâsset Augustus per tot annos, quorâ postremâ Calendarii emendatione usque ad ejus mortem fluxerunt; hoc est, per novennium aut decennium? Admitti enim non potest quod Forosempronienfis & Mariana docent; emendationem anno demum 13 Vulgari absolutam fuisse, eoque esse intercalatum; cùm id in annum 16 deberet differri. Primus siquidem annus quo intercalatio denuò resumpta est, fuit octavus Æræ Vulgaris, ut patet ex Authoribus jam citatis, qui non tantùm de prætensâ illâ intercalatione vitiosè factâ penitùs siluerunt; sed etiam eam satis apertè excluserunt. Macrobius certè, *lib.* 1 *Saturnal. c.* 14, disertè testatur Augustum, devoratis tribus diebus Pontificum incogitantiâ Calendario additis, *unum diem*, *secundùm ordinationem Cæsaris* (Julii) *quinto quoque incipiente anno intercalari jussisse*, *& omnem hunc ordinem æreæ tabulæ*, *ad æternam custodiam*, *incisione mandâsse.* Potuítne post ordinem hunc publicè propositum, ut in æternum observaretur, superesse adhuc ullus novo errori locus?

Refellitur secundò ex Suetonio, & Dione.

Hujus restitutionis ad formam Julianam perfectæ locuples testis est etiam Suetonius, *in Vitâ Augusti*, *cap.* 31, ubi Octavium asserit, *annum à Divo Julio ordinatum*, *sed postea negligentiâ conturbatum atque confusum*, *rursus ad pristinam rationem redegisse.* Similia habet Dio, *lib.* 43, ubi de Augusto loquens, ait *Annum à* Julio *Cæsare*, *ad eum*, *qui hodieq; observatur*, *modum constituisse.* Scribit denique Solinus, *cap.* 1, Augustum, cùm vitium intercalationis à Pontificibus factæ deprehendisset, *jussisse annos duodecim sine intercalatione decurrere*; *ut tres illi dies*, *qui ultra novem necessarios temerè fuerant intercalati*, *hoc modo possent repensari.* Moxque subdit: *ex quâ disciplinâ omnium postea temporum fundata ratio est.* Nullum igitur errorem novum admisêre Pontifices.

Objectio.

At, inquiunt, ex effectu rectè colligitur causa. Cumque ex Patrum assertione constet Christum die 25 Martii passum esse, ex Sacris autem Litteris fuisse tunc Feriam sextam: quæ duo aliter conciliari non possunt quàm admissâ supradictâ in reformando Calendario hallucinatione; ea prorsus admittenda erit.

Mirum

Mirum sanè est tantam vim poni in isto aliquot Patrum dicto; cùm ne unus quidem ex illis omnibus, qui Christum die 25 Martii passum scripserunt, huic anno 34 Vulgari suffragetur; ut ex antè allatis manifestissimum est. Deinde Patres illi tanto numero non sunt, quin à pluribus alteri diei, faventibus superentur, ut etiam ostendimus. Non constat igitur Christum die 25 Martii obiisse. Vide dicenda infrà, *cap.* 25. Refellitur primò.

Ad hæc, si Nicæni Patres deprehensum intercalationis vitium sustulerunt; cur nemo seu patronus diei 25, seu alius, illius emendationis mentionem fecit? Cur non saltem Eusebius, qui & Nicæno Concilio interfuit, & inter Computistas recensetur ab Hieronymo, Honorio, Sigeberto, ipsoque Forosemproniensi, de mutatione factâ Lectores suos admonuit? Imò cur Morti Christi annum 31 deputavit, quo dies 25 Martii in Feriam 6 incurrere non potuit? Quomodo Victorius Aquitanus, qui non totis 130 annis post Concilium Nicænum floruit, annumque Vulgarem 28 Passioni Christi tribuit, diem (nullâ factâ mentione emendationis Nicænæ) 26 Martii eidem assignat; quem scilicet exigit littera Dominicalis C, anno illi Bissextili conveniens post Februarium, juxta Cyclum Solis receptum usque ad Calendarii Romani reformationem à Gregorio XIII indictam? Eadémque est ratio de Prospero eorumdem temporum Scriptore & Chronologo. Ut rem in pauca conjiciam (omissis variis, quæ hîc dici possent) figmento illi manifestissimè revincendo abundè sufficiunt tria quæ subjicio. *Primum*, quod S. Hippolytus Episcopus & Martyr in Canone suo Paschali (quem scribebat Anno Æræ Vulgaris 222, adeóque centum annis ante Synodum Nicænam) iisdem omnino Feriis dies Martii & Aprilis ibi expressos affigat, quibus ex Cyclo Solis jam dicto affigi debent. *Secundum*, quod Dio, *lib.* 60, testetur, M. Vinicio II, & Statilio Corvino Coss. (hoc est Anno Dionysiano 45, atque ita non totis quindecim annis post Christi Passionem) contigisse defectionem Solis, ipso die natali Claudii Imperatoris, incidente in Calendas Augusti. Expendatur hæc Eclipsis ad quascumque Tabulas Astronomicas nixas Calendario Juliano, quale in usu erat post Synodum Nicænam; moxque patebit idem Calendarium, eamdémque ejus formam in usu fuisse Claudio imperante, adeóque & Christo moriente: ut interim taceam de anterioribus annis 26. *Tertium*, quod Plinius, *lib.* 2 *Hist. Nat. c.* 70, scribat, *Solis defectum Vipsanio & Fonteio Coss.* (Anno Æræ Vulgaris 59) *factum pridiè Calendas Maias*. Exigatur, ut suprà, hoc deliquium ad Tabulas Astronomicas; moxque prodibit Eclipsis cum die 30 Aprilis. Ex quibus omnibus evidenter & invictè conficitur, falsum omnino esse quod suprà allegabatur de iterato errore in reformatione Calendarii, & per Nicænam Synodum sublato. Quæ videtur fuisse causa, cur Maurolycus, *in suo Calendario*, dum anno Vulgari 34 patrocinari studet, mortem Christi addixerit diei 26 Martii, qui, dubio procul, eo anno in Feriam sextam incidit, diémque tertium post Pleni-lunium Astronomicum celebratum die 23 Martii, sub horam quintam matutinam. Refellitur secundò. Ex Canone S. Hippolyti. Ex Dione. Ex Plinio.

Ex dictis non ægrè simile effugium præcludes, nostri Theodori Moreti, doctissimi Geometræ, qui rationibus jam allatis existimabat posse fieri satis, negando ordinem Feriarum, à Christi temporibus ad nostra, eumdem perpetuò fuisse; Effugium præclusum.

 adeoque

adeóque nos jam huic aut illi diei nomen Feriæ quintæ v. g. imponere, qui Feria ſexta aut ſeptima ſeu Sabbathum dici deberet; niſi ordo ille per tot ſeu Eccleſiæ, ſeu Synagogæ calamitates perturbatus fuiſſet. Hîc ſiquidem locum habent dicta ſuprà de generali omnium Scriptorum ſilentio, de Canone S. Hippolyti hodiernum Feriarum ordinem apertè confirmante; eadémque eſt ratio de antiquiſſimis aliis Canonibus Paſchalibus. Quibus accedit quod & Judæi, & Chriſtiani ex iis orti, tam qui in Palæſtinâ remanſerunt, quàm qui toto orbe fuerunt diſperſi, ſemper de Feriarum ordine ad hunc uſque diem convenerint; quod utique non contigiſſet, ſi aliqua in ordine illo mutatio interveniſſet.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Obiter rejiciuntur Anni Vulgares, 35, 36, 37, 42, *& ſequentes.*

Quid communiter obſit Annis 35, 36, 37. TRibus prioribus annis communiter obeſt, *primò*, quod mortalem Chriſti vitam ultra modum extendant, ſuppoſitâ noſtrâ de ejus Natali ſententiâ. *Secundò*, quod omnes omnino Sanctos Patres, omneſque Scriptores qui quatuordecim primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, ſibi habeant adverſantes. *Tertiò*, quod plerique horum annorum patroni Natalem Chriſti tribuant iis annis, qui paſſim creduntur nihil habere veriſimilitudinis. *Quartò*, quod iis repugnet omnis hiſtoria, tum ſacra, tum prophana. *Quintò*, quod pro horum annorum aſſertione, nulla proferri poſſit ratio alicujus momenti.

Quid ſpecialiter Anno 35. Obeſt autem ſpeciatim anno 35, quod Chriſti Mortem repræſentare nequeat Menſe Martio: ſed eam cogatur ie Aprilem differre, quem ſuprà fusè rejecimus.

Quid Anno 36. Anno 36 potenter repugnat, quod Caïphas, qui Chriſto patiente Pontificatum gerebat, & aliquot poſt annis geſſit; fuerit anno illo 36 in ordinem à Vitellio redactus in Paſchate, uti & Pilatus ſub idem tempus; prout legere eſt apud Joſephum, *lib.* 18 *Antiq. cap.* 5 *&* 6.

Quid Anno 37. Militat eadem ratio multo magis contra annum 37, cui & hoc palàm adverſatur, quod Tiberius, quo imperante Chriſtum mortuum conſtat, eo anno obierit ante Paſcha.

Annus 42 per ſe improbabilis, & ſequẽtes. De refellendo anno 42, quamvis magnis Authoribus nixo, non eſt quod ſimus ſolliciti; cùm per ſe ex dictis corruat; ac multò magis anni inſequentes.

CAPUT

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Asseritur Christi Passioni Annus 31 Vulgaris.

Jam variis in locis hujus Quæstionis non pauca huc conducentia sparsim protulimus suprà; sed operæ pretium fuerit ea hîc colligi, &c, additis aliis, sub unum conspectum poni; ut vis conjuncta potentior sit seipsâ dispersâ. Porrò nititur maximè hic annus duobus solidis fundamentis: authoritate scilicet præcipuorum ex Antiquissimis Scriptoribus ac Patribus, aliorumque quavis ætate illorum vestigiis insistentium; & Historiâ Ecclesiasticâ jam olim universalissimè receptâ.

Pro Anno 31 facit authoritas Scriptorum antiquorũ, & aliorum,

Quod attinet ad authoritatem Antiquorum, statim in oculos incurrit solemne illud testimonium Concilii Cæsariensis, *suprà cap. 4, parag. 1*, allatum; quo nihil illustrius, aut efficacius pro ullâ sententiâ proferri potest. Nam si antiquitatem spectes; non longiùs abfuit à Christi Morte, quàm nos hodie ab Imperatoris Caroli V nativitate, cujus hodiéque recens memoria censetur. Si locum attendas; celebratum est hoc Concilium in Palæstinâ, in quâ tam publicum, & tot prodigiis signatum facinus non potuit non esse vulgò notissimum quoad Mensem & diem. Si Concilii Patres consideres; præter Theophilum Metropolitam, & Narcissum Hierosolymorum Episcopum, reperies totius Palæstinæ Antistites, ac proinde totidem pro nobis gravissimos maximéque idoneos suffragatores. Si suffragandi modum perpendas: videbis hîc non exigi, aut suggeri probationes ullas, quemadmodum in aliis istic agitatis factum est: sed tamquam rem planè compertam sumi à Synodi Præside Theophilo: *Passus est Dominus ab undecimo Calendas Aprilis, quâ nocte à Judâ est traditus; & ad octavum Cal. Aprilis resurrexit.* Neque fuit inventus vel unus, qui vel verbum commutaret in contrarium; quin potiùs cùm dixisset Theophilus: *Et impium non est ut Passio Dominica, tantum Sacramenti Mysterium, extra limitem* (Paschalem Christianorum) *excludatur? Passus enim est, &c.* Responderunt universi: *Nullâ ratione fieri debet ut tantum Sacramentum extra limitem excludatur: sed hi tres dies* (22 Martii, quo traditus; 23, quo crucifixus; 24, quo toto jacuit in sepulchro Christus) *intra terminum includantur; & deinde usque ad undecimum Calendas Maii subter retrahantur.* Sed quis fuit eventus? *Constitutum ergo est in illa Synodo, ut ab XI Cal. Aprilis usque ad XI Cal. Maii Pascha debeat observari; & nec ante nec postea cuicumque constitutum limitem transgredi sit facultas.* Ubi observandum citeriorem limitem Paschalem illum fuisse postea retentum ab Ecclesiâ; quamvis alter limes postea, cogente necessitate fuerit, ad quatriduum extensus. Accedit, quod Victor Papa, hujus Synodi convocationem imperarit; ad sopiendas gravissimas difficultates circa celebrationem Paschatis, ac deinde Romam Theophilum hunc accersiverit (ut habetur in Pontificali, quod Damaso adscribitur) ut interesset Concilio, in quo ratio celebrandi Paschatis ibidem sancita est. Scio in illo Pontificali, & apud Bedam, hoc tribui Theophilo Alexandrino: sed, ob distantiam temporum, id verum

Maximè Concilii Cæsariensis, quod expenditur.

id verum esse non potest; ut etiam observavit Binius, *in Notis ad Tom. 1 Conciliorum.*

Eadem Traditio confirmata ab Africano, Eusebio, Menæo Græcorum.

Ob hanc Palæstinorum Traditionem, quæ nulli alteri anno quàm 31 Vulgari aptari ullo modo potest, eumdem tam intrepidè amplexi sunt Africanus, & Eusebius ejusdem Provinciæ incolæ, & alii suprà citati *cap.* 4, post ipsos, maximè Græci, qui & in Menæo suo toti Genti communi eamdem Traditionem satis apertè confirmant eo ipso, quo Passionem diei 23 Martii tribuunt. Quòd enim quidam ex illis, de quibus suprà *cap.* 8, annum 42 Vulgarem elegerint, nullâ aliâ ex causâ oriri potuit, quàm quòd nimium peculiaribus suis Cyclis detulerint; quasi ex illis Judæi suum Pascha determinâssent. Alioqui si scivissent eos aliâ methodo usos non ita exactâ (quâ de re infrà) nunquam eum annum amplexi essent, qui cum innumeris absurdis conjunctus est. Cæterùm, cùm in ea incidere maluerint non satis sibi tunc perspecta, quàm discedere à die illo 23 Martii; manifesto indicio est, quàm indubitatum crediderint diem hunc; quo uno concesso, debellatum est pro anno 31.

Eadē apud Occidentales.

In Occidentem quoque penetrâsse dictam Traditionem, apertè ostendit Beda, *lib. de Ratione Temp. cap.* 45, dum scribit olim *Gallos, quocumque die octavus Cal. April. fuisset, quando Christi Resurrectio fuisse tradebatur* (observa Traditionem) *Pascha semper celebrâsse.* Hic autem dies Resurrectione Christi consecratus in nullum alium annum quadrare potest, quàm in 31, pro quo pugnamus.

Imò dato solo mense Martio, non potest Christus non esse mortuus Anno 31 Vulg.

Tam Occidentali, quàm Orientali Ecclesiæ communis generalior Traditio de Christo passo Mense Martio, hunc ipsum annum & diem egregiè stabilit. Hoc enim unico dato, & sistendo intra annos 28 & 34 Vulgarem tamquam terminos extrinsecos jam passim repudiatos, fatentur præcipui ex ipsismet Adversariis necesse esse ut opinio nostra verissima sit; exceptis pauculis tum Astronomiæ, tum artis Cyclicæ penitùs ignaris, quos suprà confutavimus.

Idem annus 31 stabilitur ex Historiâ Ecclesiasticâ.

Quod ad Historiam Ecclesiasticam attinet, jam ex eâ suprà, ac nominatim *cap.* 4, *parag.* 4 stabilivimus annum 31 Dionysianum, allatis testimoniis Hieronymi & Isidori, asserentium Martyrium S. Pauli contigisse anno 14 Neronis, post Christi Passionem 37; quod etiam confirmant Versio Sophronii Græca, *de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Ado, *Libello de Festivit. Apostolorum.* Beda & Notkerus, *in suis Martyrologiis*, Nicephorus, *lib. 2 Historiæ, cap.* 36, aliique permulti. Constat, teste Baronio, id incidisse in Consulatum Capitonis & Rufi; hoc est, anno 67 Vulgari, ex quo relinquitur annus 31, comprehensis extremis. Similiter Joannem Evangelistam vixisse usque ad Trajanum Principem, seu usque ad initium Imperii ejus, & obiisse anno 68 post Passionem testantur Hieronymus & Sophronius suprà, Nicephorus, suprà *cap.* 42. Concurrit primus Trajani annus partim cum anno 98, partim cum 99 Vulgari. Prior dat annum 31, comprehensis extremis; posterior, quem signant plerique Codices Eusebii, eumdem annum reddit, excluso 31. Præterea Hieronymus & Sophronius, *ibidem*, necem Jacobi Minoris, quem cum Eusebio, aliisque volunt statim à Christi morte constitutum Episcopum Hierosolymorum, tradunt accidisse septimo Neronis anno, cùm Ecclesiam illam rexisset annis 30. Concurrit hic annus partim cum 60, partim cum 61 Vulgari. Utrumvis elegeris, demptis 30, exsurget Vulgaris

31, ut

31, ut suprà. Hunc etiam annum firmat innumerorum Scriptorum consensus, qui post Eusebium Christi Passionem adscribunt anno 18 Tiberii; nempè per Synecdochen suprà sæpiùs explicatam. Eumdem quoque egregiè firmat, quod Eusebius, *in Chronico*, *& lib.* 3 *Hist. cap.* 8, Beda. *suprà*, Alexander Monachus, *Oratione de Inventione S. Crucis*, Rupertus, *lib.* 1 *in Danielem. cap.* 15, aliique apud Deckerium, *Parte* 3, *Annotat.* 23, Excidium Hierosolymæ conferant in annum 40 à Christi nece. Exploratum est cladem hanc anno 70 Vulgari congruere: adeoque & Christi mortem anno 31 Vulgari, inclusis extremis.

Non nego Hegesippum, *in Anacephalæosi*, Clementem Alexandrinum, *lib.* 1 *Strom.* Origenem, *lib.* 4 *contra Celsum*, Chrysostomum, *Homiliâ de Nativit. Domini*, Hieronymum, *in cap.* 6 *Isaiæ*, *& alibi*, Isidorum, *lib.* 5 *Etymol. cap.* 39, aliosque, numerare annos 42. Sed aliqui ex his alibi Chronologiam sequuntur huic planè repugnantem apertissimè, ut Hieronymus, Chrysostomus, Isidorus. Alii annos illos 42 supputant ab anno 28 vel 29 Vulgari, quorum alteri Christi Passionem tribuendam existimant, ut Clemens Alexandrinus. Alii minùs accuratè Tiberii & aliquot sequentium Imperatorum annos distinguunt. Saltem tam ex iis qui annos 40, quàm ex aliis qui 42 numerant, evidenter conficitur Christum non posse ullo modo dici mortuum seriùs quàm anno 31 Vulgari. Cumque anni tricesimo-primo priores, jam passim, & meritò explodantur, superest ut annus 31 unicè admitti debeat. **Scrupulus, tollitur.**

Spatio illi annorum 40 stabiliendo non parùm conducere potest Traditio Judaica, quæ habetur *Parte* 2 *Thalmudi Babilonici*, *Codice Ioma*, *cap.* 4, citaturque à R. Davide Kimchi, & à R. Salomone Jarchi, *in Comment. ad cap.* 11 *Zachariæ*, item à Raymundo Martini, *Parte* 2 *Pugionis Fidei*, *cap* 8, *num.* 18, Galatino, *lib.* 4 *de Arcanis Catholicæ Veritatis*, *cap.* 8, Fagio, *in Notis ad Thargum Onkelos*, *Levitici cap.* 16, Buxtorfio, *in Recensione Operis Thalmudici*, *initio*, obiterque tangitur à Riberâ, Cornelio à Lapide, aliisque, *ad caput Zachariæ cit.* Ea autem Traditio sic sonat: *Tradiderunt Magistri nostri, quod quadraginta annis ante destructionem Templi, non ascendit ampliùs sors in manum dextram, neque ampliùs vitta coccinea albescebat, neque Lucerna vespertina ardebat, & fuerunt portæ Templi apertæ ex seipsis.* Habenturque hæc etiam in Thalmudo Hierosolymitano, *eodem Codice Joma.* Quid autem sibi velint *sors ascendens in manum dexteram*, quid *vitta coccinea albescens*, explicant Fagius & alii, *ad cap.* 16 *Levit. cit.* & Buxtorfius, *suprà.* Vide & Symeonem Muys, *in variis Sacris, collectis ex Rabbinis*, *ad dictum cap. Levit.* ubi ritum illius sortitionis refert ex R. Bechai; additque varia ad Traditionem suprà allatam spectantia ex R. Abarbanele, lectu digna. **Intervallũ 40 annorũ à Passione ad Urbis excidium, ex Traditione Judaicâ.**

Huic Traditioni planè affinis est altera, quâ passim testantur Judæi, miracula decem in Templo & Hierosolymis fieri solita, desiisse quadraginta annis ante desolationem Urbis sub Tito. Recensentur ea miracula in Thalmudo Babilonico, *Codice Joma cit.* & in pulcherrimo libello *Pirké Avoth*, seorsim sæpiùs excuso: ego iis enumerandis & explicandis, brevitatis causâ supersedeo. Vide illa apud Raymundum suprà, *num.* 19, & Galatinum, *cap. cit.* qui his jure utuntur **Item ex aliâ Traditione.**

tur

tur adversus Judæos, quorum majorem desertionem à Christi Passione accersunt, testimoniis ipsorummet innixi.

Objectioni tacitæ respondetur.

Neque prædictis obesse potest, quod Josephus, *lib.* 7 *de Bello*, *cap.* 12, reserationem spontaneam portarum Templi referat ad Annum Vulgarem 65. Facilè enim respondetur portas Templi fuisse bis reseratas ultro: semel nocte Mortem Christi insecutâ (de die enim semper patebant) postquam velum Templi scissum est, imò & ejus superliminare, ut scribit Hieronymus: semel sub Nerone, eo anno qui Judæorum defectionem à Romanis antecessit. Posterioris apertionis eò faciliùs meminerit Josephus, quod in Palæstinâ eo tempore degeret; unde & testes oculatos ac superstites illo ipso capite allegat. At tempore prioris miraculi necdum natus erat; ideóque pronius fuit ut in Adversaria satis authentica non inciderit mentionem ejus facientia; aut ut id ei suo tempore commemorare non venerit in mentem, aut etiam non lubuerit, variis ex causis.

Confirmatur Annus 31 ex facto Sejani.

Annum 31 illud quoque confirmat, quod scribit Orosius, *lib.* 7 *Histor. cap.* 4, cùm Tiberius ad Senatum de Christi Morte, Resurrectione, ac Miraculis retulisset, egissetque ut Deus haberetur; Senatum restitisse, Sejanum autem obstinatissimè. Orosio eatenus consentit Georgius Syncellus ***ad Annum*** 5534 (cujus primo die Christum à mortuis suscitatum censet) quatenus ait Sejanum eo anno superstitem fuisse. Quod si verum est, dubitari non poterit quin Christus post annum 31 Vulgarem crucifixus non fuerit; cùm ex Dione & Tacito planè constet Sejanum eo anno ad diem 15 Cal. Novemb. trucidatum esse. Tiberii de Christi prodigiis supradictis admoniti, & Senatûs Christi consecrationi obsistentis, meminerunt etiam Hegesipus, Tertullianus, Chrysostomus, Eusebius, Chronologus Alexandrinus, Gregorius Turonensis, addens suâ ætate illam Relationem Pilati extitisse, Alexander Monachus, Cedrenus, aliique: & quamvis Sejani non meminerint; non negant támen eum Senatui interfuisse, dum Tiberius de Christo referret. Vide etiam quæ suprà. *cap.* 1 diximus de libro inscripto, *Acta Pilati*.

Hebdomades Danielis eidem Anno aptatæ.

Texunt hîc nonnulli prolixas disputationes de Hebdomadibus Danielis; & quia de præciso earum initio non adeò constat, non ægrè illas ita suæ Chronologiæ aptant, ut sub medium Hebdomadæ Septuagesimæ Mortem Christi ex suis opinionibus contigisse ostendant. Nobis nunc satis erit, ex dictis *Quæst.* 2, *c.* 8, significasse annum 31 Vulgarem aptissimè componi posse cum anno 4 labente postremæ Hebdomadis, imò præcisè ad medietatem usque producto; ut ad unguem verum sit, quod ait Gabriel: *In dimidio Hebdomadæ* (Septuagesimæ) *deficiet hostia & sacrificium*, &c: quamvis *medium* in sacris Codicibus non adeò rigidè semper sumi debeat; ut patet ex compluribus locis passim obviis. His quantâ licuit brevitate, expeditis, transeo ad solutionem objectionum, quarum, aut saltem aliquarum, difficultate necdum satis complanatâ deterriti varii hodie ad annum 33 confugiunt.

CAPUT

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

Proponitur per Synopsin Objectio prima ex eo desumpta, quòd Christus cruci affixus fuerit ipso die Festo Solemnitatis Paschalis, adeoq; Lunâ 15, & post Æquinoctium Vernum.

Contendunt Adversarii, ***Primò***, Christum eodem cum reliquis Judæis die Agnum Paschalem manducâsse; & id probant 1, *ex Matthæi cap. 26, v. 17: Primâ autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* En Discipuli (inquiunt) ultrò, & tamquam in re indubitatâ, & vulgò notâ Christum interrogant; & Evangelista diem illam disertè vocat *primam Azymorum*: quæ utique alia esse non potuit, quàm ea, quâ desinente ad vesperam inchoabatur Solemnitas Paschalis. Probant 2, *ex eodem cap. v.* 18, ubi Christus nullâ excusatione adjectâ insolitæ anticipationis, respondet: *Ite in Civitatem ad quemdam, & dicite ei; Magister dicit: Tempus meum propè est; apud te facio Pascha cum Discipulis meis:* & mox *v.* 19: *Fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus; & paraverunt Pascha.* Opposuisset procul dubio dominus illius domûs, necdum advenisse tempus celebrandi cœnam Paschalem, si reipsâ necdum advenisset: & Christus ipse, in aliis Legis Mosaicæ observantissimus, jussisset Apostolos objectioni occurrere; quod tamen non fecit. Aliunde verò Judæi intenti in omnem occasionem Christum traducendi, hanc accusationem non omisissent, si qua ejus ansa præbita fuisset anticipatâ Paschalis Agni manducatione. Probant 3, *ex Marci capite* 14, *v.* 12; *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant* (Judæi passim) *dicunt ei Discipuli; Quò vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha?* Quæ verba satis indicant cœnam Paschalem eo die ad vesperam fuisse ab omnibus peragendam. Probant 4, ex Lucæ *capite* 22, *v.* 7; *Venit autem dies Azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha.* En necessitas omnibus Judæis imposita pro illâ die.

Objectionis præcipuæ pars prima.

Secunda.

Contendunt *secundò*, & ex jam dictis inferût, postridiè, Feriâ 6, fuisse Solemnitatem Paschalē, quæ immediatè excipiebat cœnam Agni; ut patet ex Levitici *c.* 22, *aliisq; locis*; adeoque Feriâ illâ sextâ fuisse Lunam 15, seu diem 15 Mensis Nisan.

Tertia.

Contendunt *tertiò* nonnulli, diem illum 15 Nisan determinatum fuisse ex Plenilunio Astronomico. Addunt Moysen, utpote *eruditum omni sapientiâ Ægyptiorum* (*Actor. cap.* 7, *v.* 22) adeoque & Astronomiæ peritissimum, imò & divinitùs edoctum motus Astrorum necessarios ad ritè ordinanda Legis suæ Festa præcipua, & Menses Lunares debitè constituendos, tradidisse Judæis calculum exactissimum motuum Solis ac Lunæ; quo & postea perpetuò sint usi. Hoc posito, cùm die 23 Martii Anni 31 Vulgaris (cui Christi Passionem tribuendam censemus) Plenilunium Astronomicum non contigerit; sed tantùm quatriduo post, nempe die 27 Martii, Feriâ tertiâ, nullo modo dici potest Christus fuisse passus die illo 23 Martii.

Quarta. Contendunt *quartò* alii, nec pauci, diem illum 15 Nisan non ex Plenilunio Astronomico, definitum fuisse; sed ex primâ Lunæ apparitione post Novilunium Astronomicum: ut probare conantur ex variis Thalmudi locis, & Antiquorum testimoniis, de quibus infrà. Cùm igitur (inquiunt) Anno 31 Vulgari Novi-lunium Martii Astronomicum Hierosolymis contigerit sesqui horâ circiter post mediam noctem quâ transibatur à Martii die undecimo ad duodecimum; quamvis gratis daretur Lunam manè insequente conspicuam fuisse (quod non est fortè morale) & die 12 Martii indictam Neomeniam Nisan; non potuit ad diem 23 ejusdem Mensis esse nisi Luna duodecima; quâ necdum licuisset Agnum Paschalem manducare, multò minùs Festum Paschale celebrare incidens necessariò in Lunam 15.

Quinta. Contendunt *quintò*, diem 22 Martii Anno 31 Vulgari non potuisse esse illum, in quo *necesse esset occidi Pascha*. Lege siquidem apud Judæos cautum fuit ne occideretur & manducaretur Agnus ante Æquinoctium Vernum, & ingressum, Solis in Arietem; ut testantur Josephus, *lib.* 3 *Antiq. cap.* 10, item Anatolius, apud Eusebium, *lib.* 7 *Hist. cap.* 26, citans Aristobulum, & duos Agathobulos, qui tres, diu ante Christum vixerunt; ut omittantur plurimi alii. Ex aliâ parte constat ex Tabulis Astronomicis Æquinoctium verum & ingressum Solis in Arietem non ante diem 23 Martii eo anno peractum.

Non sunt adeò leves hæ difficultates, ut contemni debeant; nec adeò graves, ut propter eas nostra sententia vadimonium deserere cogatur. Ut igitur illis majori cum perspicuitate occurramus, commodum fore visum est, si singulis singula, aut etiam aliquibus plura capita impenderemus.

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

Quæ videantur opponi posse duabus primis difficultatibus Capite præcedenti propositis.

Scopus harum oppositionum. EO vergunt quæ opponuntur, ut probent Christum non posse dici passum illo die, quo à Judæis celebratum est solemne Festum Paschatis, Lunæ 15 affixum; ex quo varii, juxta varia principia, inferunt Christum peregisse postremam suam cœnam antequàm Agnum Paschalem immolarent Judæi aut omnes, aut saltem Primates populi, quos aiunt in Feriam 6, quâ crucifixus est Christus, esum Agni distulisse.

Oppositio prima. PRIMA RATIO: Scribit Joannes, *cap.* 18, *v.* 28, Pontifices, Sacerdotes, ac seniores Judæorum, qui Christum à Caiphâ ad Pilatum adduxerant, *non introisse in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* quod utique celebritati Paschalis Festi præmittendum erat. Hæc igitur eo anno in Sabbathum incidit, non in Feriam sextam.

Responsio prima Adversariorũ. Respondent nonnulli, per *Pascha* hîc non intelligi, Agnum Paschalem, sed panes azymos. Ita Innocentius III, *lib. de Mysteriis, cap.* 4. S. Thomas, 3 *Part. Quæst.*

Quæst. 46. *a.* 9. *ad* 1. Serarius, *in cap.* 5 *Josue Quæst.* 34.

Contra facit, 1, quòd nusquam alibi in Scripturâ sumatur *Pascha* pro *panibus azymis.* 2, quòd ad horum esum nullâ opus esset munditiâ legali; cùm nullus tunc alius esse posset panis apud Judæos, exterminato fermentato ante cœnam Paschalem. Vide Maldonatum *in caput* 26 *Matthæi*, Menochium, *lib.* 4 *de Republicâ Hebræorum*, *cap.* 4. Rejicitur.

Respondent alii *Pascha* istic sumi pro *Victimis pacificis*, aliisque, solitis toto septiduo Paschali immolari: has autem munditiem legalem exegisse. Confirmatur hæc acceptio vocis *Pascha*, ex Deuter. *cap.* 16, *v.* 2; *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus.* Item *lib.* 2 *Paral. cap.* 35, *v.* 7, dicuntur *in Phase dati Agni & boves.* Boves autem non adhibebantur ad cœnam Paschalem Lunæ 14, sed tantùm ad Sacrificia alia. Responsio secunda.

Contrà est *primò*, quòd nemo speciatim obligaretur ad esum hujusmodi victimarum; purificatio autem ab immunditiâ contractâ ob ingressum in Prætorium, eodem die perfici potuerit (ut patet *ex Levit. cap.* 15) ac proinde diebus consequentibus licuerit illis Pontificibus & aliis vesci hujusmodi victimis. Cùm igitur immunditiam illam tam diligenter declinârint, non sine evidenti periculo causæ, quam tantopere urgebant; satis patens indicium est eos non tam de victimarum illarum, quàm de Agni Paschalis esu sollicitos fuisse, quem in Mensem secundum, non sine gravi incommodo & dedecore, differre cum aliis publicè immundis coacti fuissent. *Secundò*, complexum illud, *manducare*, vel *comedere Pascha*, alibi non usurpatur in Scripturâ, quàm ubi certò agitur de Agno Paschali. *Tertiò*, non potest satis ostendi vocem *Phase*, seu *Pascha*, solitariè sumptam uspiam in Libris sacris accipi pro illis victimis; quâ de re Petavius, *lib.* 12 *Doct. Temp. cap.* 16. Adde quod in verbis Joannis ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα, articulus τὸ non videatur carere emphasi; sed Agnum Paschalem designare. Rejicitur.

Verba Denteronomii citata sic explicat Jonatan Ben-Uziel, in suo Targum: *Mactabitis Pascha coram Domino Deo vestro inter vesperas; & oves & boves crastino die, in articulo diei illius in gaudium festi.* Onkelos autem sic: *Immolabis Phase coram Domino Deo tuo de ovibus; & victimam sanctificatam* (seu victimas pacificas) *de bobus.* eamque explicationem sequuntur Aven-Ezra, Majemonides, Rasi, Abarbanel, aliique Rabbini, ex quibus varii observant, etiam die 14 Nisan oblatas fuisse victimas pacificas ex bobus & ovibus ante mactationem Agni, easque adhiberi solitas convivio Agni Paschalis, vel ante illud manducari. Vide Petavium, *suprà*, & Simeonem Muys, *in Variis Sacris*, &c. Loco Paralipomenôn allegato, pro *Phase* habetur Hebraicè *Lappesachim*, id est, *in Paschata*; seu, *in solemnitatem dierum Paschalium*: quo sensu etiam ibidem sumitur *v.* 8 & 9. Respondetur locis Scripturæ.

SECUNDA RATIO. Dies quo crucifixus est Christus dicitur *Joannis cap.* 19, *v.* 14, *Parasceve Paschæ*, id est, præparatio necessariorum ad Pascha, vel, pervigilium Paschæ. Oppositio secunda.

Respondent illis verbis significari *Parasceven incidentem in diem Pascha*; seu præparationem ciborum ad Sabbathum incidens in dies Paschales. Sicut jejunium quatuor temporum incidens in Quadragesimam, vocamus *quatuor tempora Quadragesimæ.* Confirmant ex eo quòd Pascha nullam haberet Parasceven: Responsio Adversariorum.

 licebat

licebat enim eo die parare necessaria ad vescendum, ut patet ex *Exodi cap.* 12, *v.* 16.

Rejicitur. Contrà facit 1 proprietas vocis *Parasceve*, quæ & respectu Paschatis locum suum habet; cùm non soli cibi coquendi essent; sed multa insuper alia peragenda, quæ die Paschatis non licebant: v. g. appendere tapetes in cœnaculis, sordes everrere, lectos tricliniorum sternere, vestes elegantiores purgare & ad festum parare, comportare aquam ad frequentes ablutiones Judæorum, & similia. *Secundò*, antiquissima Versio Syriaca pro *Parasceve*, habet *haroubta*, id est, *vespera*, seu *pridie*, seu, *pervigilium* Paschatis: Græci *προεόρτιον* vocant; Hebræi per *hereb* solent explicare. Unde & in Thalmudico Codice *Sanhedrin*, dicitur: *Bebereb pesach talouhou Jeschou.* id est, *in vesperâ*, seu, *in pervigilio*, seu, *pridie Paschatis suspenderunt Jesum.* Et Judæi passim rident eos qui censent Christum nostrum fuisse ipso die solemnitatis Paschalis crucifixum. De his plura Casaubonus, *Exercit.* 16, *cap.* 17. Exemplum *quatuor temporum Quadragesima*, est prorsus nullum; cùm non dicat habitudinem prioris ad posterius immediatè sequens, sicut dicit vox *Parasceve*, *pervigilium*, *vigilia*, *pridie.* Denique quod in responsione additur de præparatione ad Sabbathum incidens in dies Paschales, inde rejicitur, quòd in textu Joannis non fiat mentio Sabbathi; sed solius Paschatis.

Oppositio tertia. TERTIA RATIO. Dies quo crucifixus est Christus, profestus, seu feriatus fuit: non fuit igitur dies Paschatis. Antecedens patet *ex Marci cap.* 15, ubi dicitur Josephus ab Arimathiâ, Gente & Religione Judæus, *mercatus sindonem*, Christum de cruce *deposuisse*, *involvisse sindone*, *posuisse in monumento*, *advolvisse lapidem ad ostium monumenti.* Item *Joannis cap.* 19, dicitur Nicodemus *venisse ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum:* & verosimillimum est ea statim à Christi morte fuisse empta. Hanc autem emptionem aromatum & sindonis, delationem per plateas, advolutionem lapidis permagni, &c. nunquam permisissent Judæi die festo Paschatis. Huc etiam pertinet, quod ait Joannes *cap.* 13, *vers.* 29, ex Apostolis *quosdam putasse quod* Judæ à Cœnâ surgenti *dixisset Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem Festum.* Nam cùm Festi dies Judæorum ab occasu Solis inchoarentur; Judas autem diu post occasum discesserit: sequeretur eum discessisse Festo Paschatis jam inchoato; quo, licèt cibos coquere liceret, non licebat tamen emerè; ut patet *ex Thalmudico*

Occurritur exceptioni, *Codice Erubin*, apud Josephum de Voisin, *in Observationibus ad Proœmium Pugionis Fidei*, *pag.* 34; & facilè persuadet maxima, quæ tunc erat, Judæorum superstitio. Scio hoc ab aliquibus negari; quia sub permissâ præparatione *eorum quæ ad vescendum pertinent*, *Exodi cap.* 12, *vers.* 16, etiam emptionem comprehendunt. Sed contrarium suadet *liber Esdræ* 2, *cap.* 10, *vers.* 31, ubi Judæi se obligant ad nihil emendum *in Sabbatho*, *& in die sanctificato*, seu festo. Item quod Judæi non tantùm hodiéque testentur id non licere: sed velint etiam cibos pridiè festorum emptos debere eodem die coqui, si non fiant deteriores dum uno die asservantur: quâ de re vide Buxtorfium, *in Synagogâ Judaïcâ*, *cap.* 14.

Item alteri, Similiter quod opponunt quidam, Tobiam die Festo tulisse cadaver Judæi in domum suam, & illud vesperi sepelivisse; non satisfacit suprà allatis. Nec enim comparari

comparari debet servitus tyrannica, quâ Tobias aliique premebantur, cum libertate Religionis, quâ fruebantur Judæi tempore Christi. Adde quod disertè dicatur Tobias expectasse vesperam, adeóque & finem Festi, ut sepeliret illud cadaver.

Item quod dicunt nonnulli, Nicodemum & Josephum post Christi mortem fuisse à Mosaïcæ Legis jugo liberatos: caret omni specie veri, si dicantur id sibi persuasisse. Nam ne ipsi quidem Apostoli, id satis intellexerunt, nisi diu post Christi Ascensionem; ut patet ex Actis Apostolorum. Item piæ fœminæ Sabbathi finem expectarunt, ut emerent aromata, & *Sabbatho siluerunt secundùm mandatum*. Præterquam quod Lex Vetus communiùs dicatur desiisse tantùm Pentecoste Christi mortem insecutâ; item, quod Lex Charitatis de non dando proximis scandalo, debuisset Nicodemum & Josephum cohibere, ne facerent quod vulgò graviter prohibitum censebatur. Item tertiæ.

QUARTA RATIO. *Joannis cap.* 19. sedulò cavisse dicuntur Judæi, *ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho*; subjungiturque causa: *erat enim magnus, dies ille Sabbathi:* sive, ut habet Græca editio Stephani: *erat enim magnus dies illius Sabbathi*; idémque sonat textus Syriacus & Æthiopicus. Habebat igitur Sabbatum illud quiddam peculiare suprà reliqua anni Sabbatha communia. Atqui non aliud assignari posse videtur, quàm quod in illud incideret solemnitas Paschalis. In hac igitur passus non est Christus; sed pridiè ejus. Hinc colliges verbis allegatis non satisfieri dicendo Evangelistam nihil aliud velle, quàm diem Sabbathi secundùm se fuisse apud Judæos religiosissimum. Et verò cui bono id specialiter exaggerasset, quod non tantùm Judæis & Christianis, sed etiam Ethnicis ipsis erat notissimum? Oppositio quarta.

Ut autem locus ille clarior evadat, observandum est *primò*, malè à variis confundi *Sabbathum magnum*, & *diem magnum*. Nam *Sabbathum magnum* Judæis toto anno unicum est: illud nempè quod solemnitatem Paschalem proximè antecedit, seu mediatè, seu immediatè: nullo autem modo illud, quod in Festa Paschalia incurrit, ut censuit Bucherius, *Tract. de Paschali Judæorum Cyclo, pag.* 418. Vide R. Josephum Karro, *in Schulcan aruk*, disertè id quod jam dicebamus testantem. Item Buxtorfium, *in Lexico Thalmudico, Verbo, Schabat; ac maximè in Synagogâ Judaicâ, cap.* 12, ubi hujus appellationis rationem reddit. Unde colliges hallucinatum fuisse Acronem, dum *in Commentario suo ad Satyram* 9, *lib.* 1 *Horatii*, explicans illud, *tricesima Sabbatha*, docuit Neomeniam fuisse *Sabbathum magnum* Judæorum. Quid sit Sabbathum magnum.

Observandum *secundò*, *Diem magnum*, quem Judæi vocant *jom tov*, id est, *diem bonum*, subinde latissimè sumi pro quovis die festo, vel celebri, vel etiam pro convivio festivo; aliàs strictiùs, prout tantùm denotat quinque dies præcipuâ celebritate festivos per annum: nempè, primum & septimum diem Azymorum, diem Pentecostes, primum & octavum Tabernaculorum; quibus mares omnes, ex Lege latâ *Exodi cap.* 23, Hierosolymam convenire jubebantur. Vide *Joannis cap.* 7 *v.* 37, ubi dicitur Christus *clamâsse in novissimo die magno festivitatis*; quæ verba communissimè intelliguntur de octavo die Tabernaculorum. Propriè itaque sumit Joannes *diem magnum*, loco priùs allegato, pro Quid dies magnus.

 die

die primo Azymorum, seu solemnitatis Paschalis; quod postea magis explicabitur.

Cõfirmatio supradictorum. Confirmantur supradicta ex fine quem sibi proposuerunt Judæi, dum à Pilato postulârunt ut corpora cruciariorum tollerentur: ne scilicet tali spectaculo funestaretur *magnus dies ille Sabbathi.* An qui celeberrimi Festi Paschalis, ad quod innumeri ex omnibus Regionibus confluxerant, religionem & venerationem semel tantùm quotannis recurrentem tantoperè, Christi odio, contempsissent; tantoperè fuissent solliciti de ordinario Sabbatho, quinquagies quotannis recurrente? An non potiùs ex eodem odio inducti fuissent ad oculos tot popularium suorum, imò & Gentilium, pascendos tam horrendo exitu ejus, quem ut seductorem ab omnibus haberi satagebant?

Præcluditur effugium. Neque obtendi potest Lex *Deuteronomii cap.* 21, *v.* 23, de patibulariis ante Solis occasum è cruce tollendis; ea enim tantùm habebat locum in iis, quos ipsimet Judæi, non autem alii, cruci addixissent; & perinde erat, seu pridie Sabbathi, seu quocumque alio die quis supplicio afficeretur. Deinde exemplo filiorum Saul, qui, *lib.* 2 *Regum*, *cap.* 21, per plura Sabbatha pependerunt, constat fuisse nonnullas in eâ lege exceptiones, v. g. piaculi publici; quod malignitas Judæorum Christo facilè aptâsset; nisi revocâsset studium honestandi Festi Paschalis imminentis.

Occurritur responsioni. Ex dictis videtur satis rejici, quod respondent quidam, ideò dici *magnum diem illum Sabbathi*; quòd incideret in unum è septem diebus Paschalibus; aut etiam in diem secundum Azymorum, quo offerendus erat manipulus frugum, de quo *Levitici cap.* 23. Præterquam quod, exceptis primo & septimo, dies Azymorum erant de se profesti, quibus servilia quælibet erant licita; adeoque non poterant tantam magnitudinem communicare Sabbatho. Certè moribus nostris loquendo, nemo dixerit diem Dominicum incurrentem in secundum v. g. aut tertium diem Octavæ Epiphaniæ, reddi ex eo concursu adeò solemnem; ut nefas sit eo die patibularium in suâ furcâ relinquere, quem ipso Epiphaniæ die licuerit suspendio necare.

Oppositio quinta. QUINTA RATIO. antiquissima juxtà, ac universalissima Ecclesiæ velut Traditio est, Spiritum Sanctum in Apostolos delapsum ipso Pentecostes die, ac Feriâ primâ. Hinc autem conficitur Solemnitatem Paschalem eo anno in Sabbathum incidisse; secundum autem Azymorum, quo manipulus frugum oblatus est, in Primam Sabbathi. Inviolabilis enim Judæorum Canon est, diem secundum Azymorum & Pentecosten in eamdem Feriam convenire. Scio esse, qui quinquagesimum illum diem numerent, excluso die oblationis manipuli; item, qui Spiritûs Sancti adventum velint peractum postridie Festi Pentecostes; item quosdam existimare oblationem manipuli, dum in Sabbathum incurreret dies secundus Azymorum, in tertium dilatam fuisse; ne Sabbathum messe manipuli violaretur. Sed, omissâ horum operosiori refutatione, contra *primum* ex dictis facit receptissima Antiquissimorum Judæorum Traditio. Contra *secundum* facit communis sensus Patrum ac Ecclesiæ, de quo suprà. *Tertium* satis refellitur ex Rabbinis citatis, *capite* 13: ut proinde solutiones jam allatæ videantur tantùm inventæ ad declinandam vim quintæ hujus rationis.

Exceptio triplex.

Repellitur.

SEXTA

Sexta ratio. Summi Pontificis, aliorumque è Sacerdotali genere occupationes in Templo per diem Paschatis solemnem, imò & ab horâ circiter tertiâ promeridianâ diei præcedentis, non videntur conciliari posse cum iis, quæ Caiphas, aliique Pontifices ac Sacerdotes, aut etiam reliqui seu è magno Synedrio, seu è plebe, narrantur in Evangeliis fecisse à vesperâ Feriæ quintæ desinentis, ad vesperam Feriæ sextæ, quâ Christus occisus est. Eo igitur die esse non potuit Solemnitas Paschalis. Oppositio sexta.

Et quidem, quod ad Summum Pontificem attinet, etsi plerumque munia Pontificalia obiret per vicarium, dictum *Sagan* (de quo in Thalmudo Hierosolymitano agitur, *Codice*, *Joma*, *cap.* 3) Sabbathis tamen ac Neomeniis, maximèque tribus præcipuis Anni Solemnitatibus, per sese officium suum exercebat, ut patet ex Josepho, *libro 6 de bello*, *cap.* 6, qui etiam addit, *lib.* 18 *Antiq. cap.* 6, Stolam Pontificiam à Romanis asservari solitam in arce Antoniâ, inde cum apparatu depromptam; ut eâ Pontifex tribus illis vicibus in suo ministerio uteretur. Hoc autem erat hujusmodi, ut operam suam præcipuis illorum dierum Sacrificiis, seu ordinaria forent, seu extraordinaria, impenderet, populo conceptis verbis, certóque ritu benediceret, &c. Inter ordinaria, principem locum obtinebat quotidiana jugis sacrificii oblatio gemina; alterâ matutina sub ortum Solis, vespertina altera sub tertiam pomeridianam. Illi præmittebatur oblatio incensi; isti postponebatur; eámque mox excipiebat fausta super confluentem populum precatio. In his ita potissimæ partes erant Summi Pontificis; ut tamen, quoad jugis Sacrificii oblationem & combustionem, pleraque plus laboris & temporis exigentia peragerentur ab inferioribus Pontificibus ac Sacerdotibus, quorum vices hebdomadariæ tunc recurrebant. Extraordinaria erant, Festóque Paschatis peculiaria Sacrificia (quæ *Numer. cap.* 28. *vers.* 19 *& seqq.* præscribuntur) vitulorum duorum, arietis unius, agnorum septem in holocaustum, cum suâ similâ oleo conspersâ, ac denique hirci pro peccato. Accedebant ipsius Pontificis victimæ propriæ, nec paucæ; cùm reliqui certatim, pro suâ quisque copiâ, in hujusmodi solemnitatibus suas offerrent. Accedebant & hostiæ pro Imperatore ac populo Romano offerri solitæ, teste Josepho, *lib.* 2 *de Bello*, *cap.* 17, *initio:* item hostiæ Regum, Principum, Tetrarcharum, v. g. Herodis Antipæ, Philippi, &c; quibus immolandis specialem aliquam operam navasse Pontificem, honoris causâ, in Festis solemnioribus, meritò dubitari non potest. Peractis Sacrificiis celebrabantur à Sacerdotibus epulæ solemnes in Templo, de quibus Josephus, *lib.* 3 *Antiq. cap.* 10. Hæ fuerunt Pontificis Maximi occupationes die ipso solemni Paschatis; adeò ut iis distineretur intra septa Templi à crepusculo matutino ad vesperam insequentem. Occupationes Summi Pontificis in Paschate & similibus Festis.

Quod si pervigilium Paschatis attendamus; deprehendemus etiam ab horâ tertiâ pomeridianâ Pontificem ibidem moratum fuisse; tum ad immolationem proprii sui Agni Paschalis, quem saltem Sacerdotes (quidquid egerint alii, de quibus controvertitur) muneris sui prærogativâ, non in domibus privatis, sed in Templo, suâ manu singuli, qui patresfamilias erant, jugulabant; tum ad majorem pietatem animíque recollectionem, ad peragenda diei insequentis Item in pervigilio Paschatis.

munia

munia, ostentandam in tanto populi concursu; tum ut manifestiùs omnibus constaret de legali ejus munditiâ, declinatis ejus violandæ occasionibus, seu domi, seu foris; ac nominatim ut nemo dubitare posset de abstinentiâ ab uxore, ac de fugâ illecebrarum turpis somnii ex ejus præsentia; cujusmodi somnium paucis antè annis, hoc est sub obitum Herodis, Matthiæ Pontifici oblatum nocte diem Expiationis præcedente, in causâ fuerat ut ad unicum illum diem crearetur alius Pontifex, qui ejus vices obiret; ut narrat Josephus *lib.* 17 *Antiq. cap.* 8. Atque ecce nova extensio commorationis Caiphæ in Templo; ut proinde ab horâ circiter tertiâ pomeridianâ Feriæ 5, ad vesperam Feriæ sextæ, inde discedere non potuerit; si quidem posteriore hoc die dicatur celebrata solemnitas Paschalis; quod consequens nemo non videt absurdissimum esse, & Evangelio contrarium. Atque hæc de Summo Pontifice.

Occupationes aliorum Pontificum ac Sacerdotum.

Inter Principes Sacerdotum infrà illum positos, occurrunt in primis *Sagan*, seu *Vicarius ejus Generalis*; &, qui proximè hunc sequebatur, præcipuus inter Pontifices secundarios, dictus *Rosch-beth-avoth*, seu, *Caput domûs Patrum*; inter quos duos medius Summus Pontifex munia sua obibat. *Sagan* cerimonias Pontifici suggerebat, ventulum (si æstus esset) faciebat, agitatis sudariis; & prehensâ manu ad conscendendos gradus eum juvabat, ut disertè habetur *Codice Joma citato*; altero operam quoque in his ac similibus commodante. Post hos occurrit ea Sacerdotum Classis, cujus vices hebdomadariæ tunc recurrebant, & cui (ut *Quæst.* 1, *cap.* 31 diximus) jus erat præcipua ministeria distincta à jam enumeratis obeundi tribus Festis solemnioribus, exclusis aliis Classibus, etiam sub pœnâ capitis. In plurimis tamen aliis rebus Classem illam adjuvabant aliæ, quæ, quantumvis numerosæ, facilè reperiebant, quod agerent; neque tam præclaram sui ostentandi occasionem negligebant, aut jure suo cedebant homines avidissimi gloriæ, & lucri inde obvenientis. Incredibile autem est quantus, præsertim in Paschate, ad quod undique specialiter concurrebant Judæi, offerretur victimarum numerus; quarum singulæ primùm à pedibus ad caput accuratè versandæ erant & examinandæ, ne aliquo fortè vitio laborarent; deinde per aliquem è Sacerdotibus, præmissis certis ceremoniis, Deo consecrandæ, mactandæ, excoriandæ, exenterandæ, purgandæ, in frusta secandæ, comburendæ, coquendæ, dividendæ inter Sacerdotes & offerentes; præter oblationes sanguinis, adipis, & additamenta similæ, libaminum, &c. Accedebant innumeræ expiationes ab immunditiâ legali, oblationes & redemptiones tùm primitiarum ex frugibus, tum primo-genitorum seu ex hominibus, seu ex jumentis, dilatæ à longiùs dissitis in tempus Paschale, confessiones delictorum (juxta dicta *Quæst.* 2 *cap.* 9) institutæ à populo subinde plusquam ad duos hominum milliones ascendente, taxationes victimarum, mulctæ, & pœnæ, & alia hujusmodi quàm plurima, quibus perficiendis quotlibet Sacerdotum opera vix par esse posset. Fateor varia ex proximè enumeratis non necessariò debuisse perfici aut ipso die Solemni Paschatis, aut pridiè: sed dubitandum non est quin plurima illis diebus peracta fuerint. Has occupationes non parùm augere debent illi, qui omnes Agnos Paschales à Sacerdotibus in Templo jugulatos fuisse censent. Eorum saltem sanguinem ab his oblatum esse ad altare, non admodum ægrè fatentur etiam illi, qui existimant

existimant cum Philone quosvis ex quavis Tribu Patres-familias, Agnos suos suâ manu mactâsse.

Jam verò Israëlitæ aliis Tribubus, quàm Leviticæ, adscripti, uti & Proselyti, quemadmodum plerique è remotis Regionibus Idololatriæ deditis, legitimoque sacrificio destitutis conveniebant; ita certatim singuli pietatem suam explicare studebant, tum frequentando Templum, tum communibus sacrificiis, benedictionibus, precibusque assistendo, tum suas privatim preces fundendo, tum offerendo proprias victimas, seu spontaneas, seu votivas, seu debitas pro peccato, aut aliis ex causis; tum hostiis pacificis vescendo, peccata sua confitendo, mulctam variasque purgationes subeundo, multaque alia hujusmodi perficiendo, quæ maximam diei Paschalis & præcedentis partem absumerent. Occupationes aliorum Judæorum.

Conferantur hæc, aliaque complura, quæ nimis longum foret sigillatim persequi, cum iis, quæ tum à Caiphâ, tum à Principibus Sacerdotum, tum ab aliis Judæorum primoribus, tum ab universo populo gesta referunt Evangelistæ à vesperâ Feriæ quintæ ad horam circiter tertiam pomeridianam Feriæ sextæ; moxque apparebit non ita facilè dici posse, sollemnitatem Paschalem in illum incidisse diem, quo Christus est cruci affixus. Comparantur hæc cũ iis quæ gesta sunt die Passionis Christi.

In primis cùm Judas è cœnâ satis serò egressus, tam citò paratos repererit & Principes Sacerdotum, & Magistratum Templi, & seniores, & Tribunum Romanum cum cohorte & Ministris instructis armis, facibus, aliisque ad comprehensionem Christi necessariis; satis manifesto indicio est, totam vesperam Feriæ quintæ huic apparatui, non immolationi Agni Paschalis, ejusque manducationi fuisse impensam. His jungatur perductio Christi ad Annam, & mox ad Caipham domi suæ adhuc agentem, ubi & Christum interrogavit & damnavit cum Principibus Sacerdotum, & Scribis unà congregatis adultâ jam nocte. Addatur nova congregatio eorumdem facta summo mane (id est eâ ipsâ horâ quâ Caiphas in Templo juge sacrificium offerre debuisset, si eo die Paschalis solemnitas fuisset) iterata Christi interrogatio & damnatio ab iisdem, deinde raptatio ad Pilatum, & cum eo contentiones, remissio ad Herodem, ac denuò ad Pilatum, comitantibus perpetuò Pontificibus, senioribus, ac plebe universâ, tergiversationes Pilati, contrariæ machinationes Pontificum, qui & denique, extortâ mortis sententiâ, Christum ad Calvariam comitati sunt cum innumerâ multitudine, cruci affixum illuserunt, illique ac sociis crurifragium impetrârunt, totumque diem in hujusmodi molitionibus exegerunt. Hæccine sapere videntur superstitionem Judaicam & ostentationem pietatis in observandâ præcipuâ sollemnitate Paschali, quâ Summus Pontifex, ut antea dicebamus, per se in Stolâ Pontificiâ munere suo fungebatur, & alii Pontifices ac Sacerdotes munia sua obibant? ut interim taceam de aliis priùs enumeratis. Hæc qui suis momentis expenderit, facilè (nî fallor) fatebitur ea ægrè conciliari posse cum Festo Paschatis tam celebri apud Judæos. Recensio præcipuorum gestorum.

Quòd verò à variis alleg etur Pontificum excæcatio ex furore in Christum; facilè rejicitur ex eorum curâ ne violaretur munditia Legalis ex ingressu in Prætorium; ne prophanaretur Sabbathum relictis in patibulo corporibus crucifixorum: ut jam mittam loqui de eorum ambitione in ostentandâ suâ in celebrando Occurritur exceptioni.

 Festo

Festo Religione, aliisque similibus. E contrario, si dicatur celebritas Paschalis in Sabbathum dilata fuisse; cessabunt hæ omnes difficultates sanè non exiguæ.

Oppositio septima. SEPTIMA RATIO. Eo etiam nomine non videtur credibile Christum fuisse ipso die Festo Paschatis cruci affixum; quòd id abhorreat à communi usu Græcorum ac Romanorum à supplicio diebus Festis irrogando abstinentium; quibus Judæos hac in parte concedere voluisse, nemo facilè admiserit: idemque suadetur ex Privilegiis Genti Judaicæ concessis per varios Reges ac Imperatores Romanos.

Græci supplicia die festo non irrogabant, nec Romani. De Græcis, locuples testis est Xenophon, *lib.* 4 *de dictis & factis Socratis, sub finem: Post latam* (inquit) *de ipso sententiam, necessitas fecit ut triginta diebus superstes esset. Nam eo mense erant Delia, quibus Lege vetitum erat, ne quem publicè interimerent.* Eademque prorsus habet Plato, *initio sui Phædonis.* De Romanis idem testatur satis apertè Suetonius, *in Tiberio cap.* 61; Tacitus, *lib* 4 *Annal. num.* 179 *Lipsianæ dispunctionis*, agens de Sabino ipsis Calendis Januariis ad mortem raptato. Plutarchus *in Vitâ Marii*, narrans Sextum Licinium eodem die dejectum de saxo. Seneca Rhetor, *in Controversiis*; Philo, *lib. contra Flaccum*, ubi exaggerat ejus sævitiam, quòd etiam ipso Natali die Imperatorum innoxios pœnis subjiceret. Si Gentilibus hujusmodi celebritates ferias à suppliciis indicebant; quis sibi persuadeat Judæos Festo tam solemni minùs religiosos videri voluisse; aut Pilatum eam differendæ mortis Christi occasionem arrepturum non fuisse? Quis non videat Judæos adeò de accelerandâ nece Salvatoris nostri fuisse sollicitos; ut Festum imminens possent antevertere?

Judæorum sollicitudo pro suorum Festorum immunitate à Judiciis. Quantâ diligentiâ caverent Judæi ipsi ne illorum Festa ullo strepitu forensi interturbarentur, abundè significat Josephus, *lib.* 16 *Antiq. cap.* 10, ubi Edictum Augusti recitat, quo vetatur ne Sabbathis præstare cogantur vadimonia; aut etiam pridie post horam nonam; seu, tertiam circiter pomeridianam: quod & à Marco Agrippâ confirmatum scribit. Porrò Sabbathorum nomine, quosvis Judæorũ Festos dies intelligi, ostendit tum usus Scripturæ, tum etiam Gentilium Scriptorum, nominatim Horatii *Satyrâ* 9, dum per *tricesima Sabbatha*, intelligit *Neomeniam* (utique non planè sollemnissimam) teste Acrone, vetusto ejus Interprete. Vide Josephum etiam *cap.* 4 *libri* 16 *cit.* ubi refert Judæorum querimoniam apud eumdem Agrippam, quòd *Festis diebus* (nota generalem locutionem) *ad lites & prophana negotia pertraherentur.* Diu ante Christum curæ id Judæis fuisse, satis demonstrant litteræ Demetrii Regis illos sibi demereri studentis, *lib.* 1 *Machab. cap.* 10. Inter alia siquidem magnifica privilegia hoc etiam offert, ut *omnes dies sollemnes & Sabbatha, & Neomeniæ; & dies Decreti, & tres dies ante diem sollemnem, & tres dies post diem sollemnem, sint omnes immunitatis & remissionis omnibus Judæis, qui sunt in Regno* ejus, *& nemo habeat potestatem agere aliquid, & movere negotia adversus aliquem illorum in omni causâ.* Quid quod etiam post Gentis suæ subversionem, & Templi destructionem, impetrârint Judæi ab Imperatoribus Romanis immunitates à foro pro suis Sabbathis ac reliquis Festis, ut patet ex Theodosiani Codicis *lib.* 2, *Tit.* 8, *Lege* 3; *& lib.* 8, *Tit.* 8? Quod si, dum in exilio solas antiquorum Festorum umbras sectantur, adeò satagerunt pro retinendâ specie aliquâ veteris immunitatis: quid eos fecisse credendum

credendum est florentissimo adhuc sub Romanis Judaïcæ Reipublicæ statu, dum ritibus suis quàm poterant maximam apud Gentiles, à quibus ridebantur, conciliare studebant authoritatem & majestatem & venerationem? An non se suamque Religionem indignissimè traduxissent, si minùs præcipuis suis Solemnitatibus detulissent, quàm Romani & Græci palàm suis deferrent? An non ultrò Præsidi Pilato, ut aliàs, restitissent, si tam fœdo spectaculo Festum Paschatis funestare tentâsset? Quamvis autem rabies in Christum eos ad impiam hanc diei sacri prophanationem ursisset; an non saltem impedivissent ne duo latrones ei comites pœnæ adjungerentur? Omitto alias minoris momenti probationes, studio brevitatis, ut huic capiti finem imponam paucularum objectionum solutione.

Objicitur autem *primò*, Evangelistas testari, occasione liberationis Barabbæ, solitum Præsidem dimittere unum ex vinctis *in Pascha*, *Joan. cap.* 18; seu *per diem solemnem*, *Matth. cap.* 27; seu, *per diem festum*, *Marci cap.* 15, *Lucæ c.* 23. Erat igitur eo die solemnitas Paschalis. Objectio 1.

Respondetur *primò*, Præsidem intentum in occasiones dimittendi Christum, eo anno fortasse diem ordinarium antevertisse. *Secundò*, sicut dies *primus Azymorum*, qui propriè est dies sollemnis Paschæ; extenditur etiam ad diem artificialem, quo exeunte incipit usus Azymorum, & comeditur Agnus Paschalis; ut patet *ex Matth. cap.* 26, *v.* 17; *Marci* 14, *v.* 12; *Lucæ* 22, *v.* 7: ita *τὸ Pascha*, *dies sollemnis*, & *dies festus*, ad eundem diem extendi posse. Adde Paschæ dilationem eo anno factam potuisse etiam aliquid ad id conferre. Solutio.

Objicitur *secundò*: Caiphas, & alii de Synedrio, solo seditionis metu fuerunt aliquamdiu cohibiti ne Christum comprehenderent & occiderent *in die festo* Paschatis, *Matthæi cap.* 26, *v.* 5, *&* *Marci cap.* 14, *v.* 2. Id ergo illis eo die licebat. Objectio 2.

Respondetur, Græcè haberi ἐν τῇ ἑορτῇ, *in Festo*; id est, intra totum septiduum Paschale, quo populus frequentissimus Hierosolymis subsistebat. Cùm autem plures dies intra illud septiduum non essent festi; potuissent eo tempore sua consilia exequi. Ad id quod addunt nonnulli de Sabbathi violatore, *Numer. cap.* 15, *v.* 32, eo ipso die comprehenso & lapidato: respondetur licitam fuisse die festo reorum comprehensionem; non autem supplicii irrogationem. Unde, ut scribit Philo, *lib.* 3 *de Vitâ Mosis*, Sabbathi violator tantùm postridie lapidatus est. Solutio.

CAPUT DECIMUM-NONUM.

Opinionum conflictus de die quo crucifixus est Christus; an scilicet inciderit in ipsam sollemnitatem Paschalem.

QUI rationes duobus superioribus capitibus allatas æquâ lance expenderit, facilè intelliget non de nihilo magnam super hâc quæstione semper extitisse, & etiamnum esse sententiarû pugnantium diversitatē, quam hîc explicatum imus.

Opinantes Christum manducâsse Agnû pridie Festi Paschatis, cum omnibus Judæis. Cle. Rom. Ischius, Victor Anthiochenus Theodoret', Theophilus Alexandr. Cyril. Alex. Cassiodor. Beda, Alensis, Albertus S. Thomas, Bonaventura, Richardus, Scotus, Durandus, Altissiodorensis, Argentina, Gabriel, Innocêt. III. Humbertus Comestor, Abulensis, Sotus, Baronius, Suares, Vasques, Henao.

PRIMA OPINIO, absolutè docet Christum Lunâ 14 Agnum cum omnibus Judæis, adeoque cum ipsis Pontificibus, manducâsse; ac postridie Lunâ 15, & Festo ipso Paschatis morte affectum fuisse. Ita Clemens Romanus, *lib. 5 Constit. cap.* 14. Ambrosius, *in Epistolâ ad Episcopos per Æmiliam*. Isichius, *in caput* 23 *Levitici*. Victor Antiochenus, *in caput* 14 *Marci*. Theodoretus, *Quæst.* 24 *in Exodum*. Theophilus Alexandrinus, *in Epistolâ ad Theodos. Imp.* Cyrillus Alexandrinus, *in Prologo Cycli Annorum* 95. Cassiodorus, *Hist. Tripart. lib.* 9, *cap.* 38. Beda, *lib. de Rat. Temp. cap.* 45. Alensis, *Parte* 4, *Quæst.* 32, *Membro* 3. Albertus, *in* 4, *dist.* 11. S. Thomas, 3 *p. Q.* 46, *art.* 9, *& alibi.* Bonaventura, *in* 4, *dist.* 11. *parte* 2, *art.* 2. Richardus, *ibid. art.* 2, *Quæst.* 3. Scotus, *ibid. Quæst.* 6. Durandus, *ibid. Quæst.* 4, *num.* 10. Altissiodorensis, *lib.* 4 *Tract.* 5, *Q.* 7. Argentina, *in* 4 *dist.* 11, *Q.* 1, *art.* 1. Gabriël, *in Can. Missæ, Lect.* 34. Innocentius Tertius, *lib. de Mysteriis Missæ, cap.* 4. Humbertus Cardinalis Sylvæ candidæ, *Tractatu de Azymo & fermentato*. Comestor, *Hist. Eccl. cap.* 149. Abulensis, *Parte* 2 *defensorii*, *cap.* 7. Dominicus Sotus, *in* 4, *dist.* 9, *Quæst.* 1, *art.* 4. Baronius, *ad annum* 34 *Christi*. Suares, *To.* 2 *&* 3, *in* 3 *partem*, aliique complures accuratè citati à nostro doctissimo Gabriele Henao, *Parte* 1 *de Missa Sacrificio*, *Disp.* 2 *sect.* 4, *disquisit.* 1, ubi & eamdem sententiam amplectitur.

Græci contrarium opinantes. Clem. Alex. duo Anony. Apollinaris, Hippolytus. Pseudo-Clemens, Pseudo-Eusebius, Origenes, Africanus, Cyr. Alex. Epiphanius, Eutyches, Georg Syncellus,

SECUNDA OPINIO, præcisè negat Christum, ipso die solemnitatis Paschalis passum esse; aut pridie ejus cœnam ultimam peregisse: sed non eàdem ratione id tuentur omnes ejus sequaces: quorum præcipui inter eos qui Græcè scripserunt, sunt hi: Clemens Alexandrinus in *Tractatu de Paschate*, citato à quodam Anonymo Græco, cujus Fragmentum edidit Petavius ad calcem sui Uranologii, sub nomine Petri Alexandrini; qui utique esse non potest celeberrimus ille Alexandriæ Archiepiscopus & Martyr; cùm meminerit S. Athnasii, & Nicenæ Synodi. Eamdemque opinionem amplectitur ille Anonymus, ibidem allegans sibi consentientes S. Apollinarem Episcopum Hierapolitanum, & S. Hippolytum Episcopum Portuensem. Citantur & Clemens Romanus, & Eusebius Cæsariensis ab Anastasio Sinaitâ, *Quæst.* 93 *in Scripturam*; aut alii sub eorum nomine; quod de Eusebio suprà satis ostēdimus. Eamdem opinionem sequuntur Origenes, *Tractatu* 35, *in illa verba: scitis quia post biduum Pascha fiet.* Julius Africanus, *in fragmento quod recitat Georgius Syncellus, pag.* 322 *suæ Chronographiæ.* Cyrillus Alexandrinus *lib.* 12 *in Joannem*; qui tamen contrarium docet *in Prologo sui Cycli*; ut paulo antè diximus. Epiphanius, *Hæresi* 51, Euthyches, *in Catenâ Græcorum PP. editâ à Corderio, ad cap.* 22 *Lucæ.* Georgius Syncellus, *pag.* 325 *Chronographiæ*, Chronicon Alexandrinum, *pag.* 517, *& seq.* Philoponus, *in Tractatu de Paschate.* Duo Anonymi, apud Photium, *Codice* 115 *&* 116. Damascenus, seu quisquis est Author Tractatûs de Azymis, contra Armenos, *apud Combesis, Tom.* 2 *Auctarii Biblioth. Patrum, pag.* 424. Isaac, Catholicus Armenorum, *ibidem pag.* 346. Anonymus, Patriarcha Antiochenus, *ibidem pag.* 425. Cedrenus, *in Compendio Hist. pag.* 144, *edit, Græcolat.* Nicephorus, Callistus, *tum Hist. lib.* 1, *cap.* 28, *tum præfervidè in Synaxario, apud Arcudium, in Concordia, lib.* 3, *cap.* 4, *pag.* 138. Theophylactus, *in cap.* 27 *Matthæi, &* 18

Joannis; qui tamen subinde vacillat. Nicetas Pectoratus, *in Libello contra Latinos, apud Henricum Canisium, Tom.* 6, *pag.* 167. Euthymius, *in caput* 26 *Matthæi, & alibi*; in eo tamen singularis, quod velit Legem Mosaicam vetuisse quidem ne post Lunam 14 immolaretur Agnus Paschalis, non autem ne ante illam: ideóque Christum à Judæis de anticipatione non fuisse à Judæis accusatum. Anticipationem problematicè tradunt Ammonius, *in Catenâ PP. Græcorum in Joannem editâ à Corderio*, & Gobarus, *apud Photium, Codice* 232, *num.* 51. Huc quoque pertinent, qui non tam docent Christum anticipasse tempus legitimum; quàm Judæos, aut saltem Pontifices & Judæorum primarios distulisse Agni Paschalis esum in Feriam sextam. Ita sentire videtur Chrysostomus, *Homiliâ* 84 *in Matthæum, & alibi.* Theophylactus, *in caput* 12 *Joannis.* Gennadius Scholarius, *in Defensione Concilii Florentini.* Ad extremum, obiter hîc observo, varios ex suprà citatis, nominatim Clementem Alexandrinum, Hyppolitum, Apollinarem, Chronologum Alexandrinum, Petrum Alexandrinum, Damascenum, duos Anonymos apud Photium, negare Christum manducâsse Agnum Typicum; sed ejus loco Anti-Typicum immolâsse. Hactenus de Græcis Scriptoribus, qui Christum pridie sollemnitatis Paschalis mortuum existimant.

Chronicon, Alexandr. Philoponus duo Anonymi, Damascenus, Isaac Cathol. Armen. Anonym. Patriarcha Antioch. Cedrenus. Nicephorus Callistus. Theophilactus, Nicetas, Pectoratus; Euthymius. Problematicè idem docentes. Mediam viam ingredientes. Qui negent Christum edisse Agnum.

Ex Latinis eidem præcipuæ sententiæ suffragatur Victor Papa I, *in Epistolâ, quam ex Ioanne de Bosco, in Bibliothecâ Floriacensi, recitat noster Halloix, Tom. II. Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, pag.* 663, dum scribit Christum fuisse cruci affixum *Feriâ* 6, *Lunâ* 14: quod postremum de Lunâ 14, etiam legitur apud Orosium, *lib.* 7 *Hist. cap.* 4; eademque fuit opinio quorumdam de quibus Augustinus, *lib.* 3 *de Consensu Evang. cap.* 13, quorum recitatâ sententiâ, subdit: *Quis fidelis non huic faveat solutioni quæstionis?* Ex quo patet quàm parum hæc verba attenderit Francolinus, dum, *Tract. de Horis Can. cap.* 68, scriberet horum sensum nunquam fuisse ab Augustino approbatum, neque tacitè, neque expresè; sed semel dumtaxat simpliciter relatum. Augustini ipsius de hac controversiâ mens, non satis liquet. Baronius, *ad Annum* 34, *num.* 159 *& seqq.* contendit *plus certò monstrari* eum cum jam citatis sensisse: mihi fit hoc valdè verosimile, collato loco Augustini citato, cum ejusdem *Tractatu* 117 *&* 120 *in Ioannem*, spectatoque sensu Orosii, qui fuit Augustini discipulus. Idem sensisse videtur Victorius Aquitanus, *præfatione in suum Canonem, num.* 9, *juncto primo versu ipsius Canonis*, ubi diei Dominicæ Resurrectionis adscribitur *Luna* 16. Passionem quoque Lunæ 14 tribuit Antiquus Author Quæstionum ex Veteri & Novo Testamento, *Quæst.* 106, item Author Commentariorum in Matthæum, quæ inter Anselmi Opera leguntur, *in caput* 27. Ottho Frisingensis, *lib.* 3 *Chronici, cap.* 12, aliique è mediâ vetustate. An ad hanc classem pertinere censendus sit Tertullianus, *lib. contra Judæos*, dum ait Passionem contigisse die primo Azymorum, quo Agnum ut occiderent ad vesperam, à Moyse fuerat præceptum; dubitari potest. Censet certè Salmeron, *Tom.* 9, *Tract.* 4; ita ut velit Tertullianus Christum crucifixum sub finem Lunæ 14, quâ desinente ad vesperam immolandus erat Agnus. Alii tamen aliter explicant; nec improbabiliter. Apertè cum antè citatis sentit Grotius, *ad Caput* 26 *Matthæi*, aliique ex nuperis heterodoxis.

Latini docentes Christũ passum Luna 14. Victor Papa I. Orosius, Quidã apud Augustinum, probabiliter Augustinus, Victorius, Auctor 22. Anonymus Commentator in Mattheum, Frisingẽsis, fortè Tertullianus, Grotius, aliique.

Quidam alio modo idem docentes.

His accensendi sunt nonnulli Recentiores, qui omninò persuadere conantur Lege Mosaicâ imperatum fuisse ut immolaretur Agnus Lunâ 13 desinente, seu ad primam vesperam Lunæ 14; ita ut Christus Feriâ quintâ, tempore legitimo, cum Judæis comederit Pascha; Feriâ 6, quam festam fuisse negant, crucifixus fuerit. Ita Luisius Legionensis, *in Opusculo de utriusque Agni immolationis legitimo tempore*, secutus Hieronymum Muños. Oleaster, *in caput 23 Levitici.* Stella, *in caput 22 Lucæ.* Petrus Lopez de Montoyâ, *in Annot. ad sacrum Missæ Canonem.* Basilius Pontius Legionensis, *in Disput. de Agno Typico.* Christophorus Rossiniacus, *in Comment. Histor. libro de Origine Romanorum.* Julius Cæsar Bulengerus, *Diatribe 4 contra Casaubonum, pag.* 137. Hanc opinionem tamquam probabilem admittunt ex Scholasticis, Alensis, *Parte 4, Quæst.* 32, *Memb.* 3, *in Respons. ad primum.* Bonaventura, *in 4, Dist.* 11, *Parte 2, art.* 2, *q.* 1. Major, *in 4, Dist.* 13, *Quæst.* 1, *Parag: Sextò arguitur.* Azor, *Parte 1, lib.* 6, *cap.* 33, *Q.* 3, *& Parte 2, lib.* 1, *cap.* 6: quamvis hæc opinio passim rejiciatur.

Luysius Legionensis, Muñoz, Oleaster, Stella, Lopez, Pontius Legionensis, Rossiniacus Bulengerus. Probabile id esse censent, Alensis, Bonavêtura, Major, Azor.

Aliter ratiocinantes ex prætensâ translatione Festorum.

Aliter ratiocinantur non pauci, proferentes quoddam Synedrii decretum, authore Rabbi Eliezere latum, quo cavetur ne certi dies solemnes in Ferias aliquas incidant, ac nominatim ne Pascha in Feriam secundam, quartam, & sextam unquam incurrat; idque varias ob causas (ut suprà, *cap.* 13, dicebamus) v. g. ne, si Pascha Feriâ sextâ celebretur, tum eo die, tum Sabbatho immediatè sequente, abstinendum sit à sepeliendis mortuis; quod utique nimis grave foret populo, præsertim Paschate in adultiorem Aprilem incurrente, quo Mense calores in Palæstinâ, locisque vicinis sese intendere incipiunt, & facilè fœtorem in cadaveribus excitare.

Mens horũ authorum.

Docent igitur hi Authores Paschalem solemnitatem eo anno, quo mortuus est Christus, debuisse, per se loquendo, celebrari Feriâ sextâ; adeoque Agnum debuisse manducari Feriâ quintâ; & hoc insinuari à Lucâ, *cap.* 22, *v.* 7, his verbis: *Venit autem dies Azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha:* ex Decreto autem supradicto translatam esse in Sabbathum sequens; ex quo sequitur Feriam sextam præcedentem minimè apud Judæos festam fuisse; sed eâ durante licuisse servilibus operibus vacare. Addunt hujus sententiæ sectatores, Christum arbitrariæ illius translationis rationem habere noluisse; sed Agnum tempore per se debito manducâsse, desinente Lunâ 14 verâ; etsi juxta Judaicum Decretum esset Luna tantùm decima-tertia: unde factum fuerit ut Judæi Feriâ dumtaxat sextâ, suaque Lunâ 14 exeunte, Agnum comederint. Hanc translationem primus (quod sciam) inter Christianos admisit Rupertus, *Libro de gloriâ & honore Filii hominis, in principio:* cum hoc tamen discrimine, quòd existimet Agnum ab omnibus manducatum Feriâ quintâ; diem autem insequentem profestum fuisse, solo Paschali Festo in Sabbathum dilato. Dilatam insuper Cœnam Agni in Feriam sextam ex Canone Judaico jam explicato, primus (nî fallor) docuit Paulus Burgensis Episcopus, antea Judæus, sub annum 1430, *in Addit. ad caput 26 Matthæi.* Eum secuti sunt Forosemproniensis, *Parte 2 Paulinæ, lib.* 8, *cap.* 4, *& alibi.* Lucidus, *Tract. de vero die Passionis Christi cap.* 9. Pitatus, *Tract.* 2, *Hypoth.* 3, *Concl.* 3. Gagnæus, *in caput 18 Ioannis.* Baptista Mantuanus, *lib. 2 Fastor.* Onuphrius, *ibid.* Hilarion Januensis, *in illud Joannis:*

Rupertus, Burgensis, Forosemproniensis, Lucidus, Pitatus, Gagnæus, Mantuanus, Onuphrius, Hilariõ Jan. Callistus Placentius, Zarlinus, Catharinus, Jansenius Gandensis.

Et

Et ipsi non introierunt in Pratorium. Callistus Placentius, *in Enarrat. Quadrages.* 43, 44, 45. Josephus Zarlinus, *in Opusculo de vero Anno & Die, quo crucifixus est Christus.* Catharinus, *lib.* 2 *contra Caietanum*, *in illud Marci: Quando Pascha immolabant.* Jansenius Gandensis, *cap* 129 *sua Concordia.* Salmeron, *To.* 9, *Tract.* 4; ubi in hanc partem magis propendet. Hentenius, *Præfat. in Euthymium.* Maldonatus, *in caput* 26 *Matthai.* Jo. Buisonius, *Harmon. Evang. cap.* 130. Stoefflerus, *in Calendario, prop. ult.* Calvinus, *in cap.* 26 *Matthai.* Beza, *ibid.* Munsterus, *ibid.* Osiander, *in Concordiâ Evang.* Scaliger, *lib.* 6 *de Emendat.* Calvisius, *in Isagoge Chronol. cap.* 49. Alexander Scultetus, *initio sua Chronog.* Langius, *lib.* 2 *de Annis Christi, parte* 2, *cap.* 5. ubi tamen ab aliis in quibusdam discrepat. Casaubonus, *Exercit.* 16, *cap.* 14, citans pro eâdem sententiâ Buntingum, & Eduardum Liveleum. Salmeron, Hentenius, Maldonatus Buisonius, Stoefflerus, Calvinus, Beza, Munsterus, Osiāder, Scaliger, Calvisius, Scultetus, Langius, Casaubonus, Buntingus, Liveleus.

Quidam alii volunt Judæos post Captivitatem Babilonicam semper duobus continenter diebus suas præcipuas Solemnitates celebrasse, prout hodieque in suo longo exilio faciunt; idque, ut aiunt, ob incertitudinem motuum Lunæ. Hoc posito, ii de quibus agimus, ita conciliant Evangelistas, ut dicant tam Feriâ quintâ, quàm sextâ licuisse omnibus Agno Paschali vesci; item Festum Paschæ, tam Feriâ sextâ, quàm Sabbatho celebratum; sed præcipuam ejus Sollemnitatem incurrisse in Sabbathum pridie cujus primarii Agnum immolarunt; cùm Christus, & alii de plebe, Feriâ quintâ immolassent. Ita Deckerius, *parte* 3, *Annot.* 27. In eamdem partem se propendere satis indicat Bucherius, *Tract. de Paschali Judaorum Cyclo, cap.* 6; etsi profiteatur se nihil velle definire. Plura de hac geminatione Festorum suggerent Forosemproniensis, *parte* 2, *lib.* 2, *cap.* 2. Scaliger, *lib.* 3 *Canon. Isagog. pag.* 223, & 264. Aliter ratiocinantes ex geminatione Festorū prætensâ. Deckerius, Bucherius.

Alii denique geminationem illam ita agnoscunt, ut tamen velint eam ordinariam non fuisse; sed extraordinariè indictam ex peculiaribus causis. Ita Petavius, *lib.* 12 *de Doctr. Temp. cap.* 16, & *in Animadv. ad Epiphanium, pag.* 185. Favet Eusebius, *pag.* 525 *Catena à Corderio edita, ad caput Luca* 22. Chrysostomus, *Homil.* 84 *cit.* uti & Theophylactus subinde; etsi aliàs nutet. Epiphanius denique, *Haresi* 51, non obscurè id significat, ut paulò pòst dicemus. Quidam admittentes geminationem extraordinariam anno Passionis. Petavius, favet Eusebius, Chrysostomus, Theophylactus, Epiphanius.

CAPUT VIGESIMUM.

Statuitur plerosque Iudaeos unà cum Christo Agnum Feriâ quintâ manducâsse; Pontifices autem, aliosq; Feriâ sextâ. Paschalem verò solemnitatem Sabbatho celebratam esse.

CONCLUSIO PRIMA. Non videtur dubium quin eâ Feriâ 5, quâ Christus Agnum manducavit, illum quoque manducârint plérique Judæorum, tamquam legitimo tempore. Id omninò evincere videntur loca Evangelistarum allata *suprà, cap.* 17, *initio*, quæ non est necesse hîc repeti, & aliquam interpretationem accipient ex mox dicendis. Christus cum plerisque Agnū māducavit.

CONCLUSIO

Pontifices & alii, postridie.

Conclusio secunda. Pontifices, Scribæ, Seniores, & eorum ministri, uti & plerique è Sacerdotibus, Pascha Feriâ 6 ad vesperam comederunt. Hanc etiam partem evincere videntur ea omnia quæ fusè allata sunt *suprà, cap* 18.

Explicatio nostræ sententiæ.

Admittimus igitur tam Feriâ 5, quàm Feriâ 6, geminationem Lunæ 14, quâ ad vesperam immolandus erat Agnus Paschalis; & similiter geminationem Lunæ 15, seu diei primi Azymorum tam Feriâ sextâ, quàm Sabbatho proximè sequente: cum hoc tamen discrimine, ut quoad Festi Paschalis solemnitatem & cessationem ab operibus servilibus, attentus fuerit solus dies posterior in Sabbathum incurrens: ut populi commodis paulò ante explicatis consuleretur, & celebritas minimè divisa major esset. Hæc omnia vel inde fidem habent, quòd iis admissis, facillimè concilientur Evangelistarum dicta in speciem pugnantia; iis autem seclusis, satis commodè conciliari non possint: ut patet tum ex dictis *cap.* 17 *&* 18; tum ex diversitate sententiarum capite proximè præcedenti recensitarum, & dissentientium Scriptorum multitudine.

Quantâ libertate uteretur Synedrium Judaicum in quibusdam ritibus immutandis.

Hæc geminatio non admodum mira, nec adeo incredibilis iis accidet, qui accuratè perpenderint, quantum sibi in similibus rebus permitterent Pontifices, aliique è Synedrio Judæorum; maximè dum ageretur non de Statuto perpetuo, sed de transeunte aliquâ mutatione faciendâ ex epikiâ, & ex occasione peculiaris alicujus difficultatis vitandæ, aut commodi publici captandi. Luculentissimus eam in rem est locus Rabbi Mosis Ben-Majemon, *in suo More Nevochim*, *Parte* 3, *cap.* 41, *pag.* 464, *editionis recentioris Buxtorfianæ*: *Cùm* (inquit) *cognovit Deus Judicia Legis hujus necessaria futura omnibus temporibus*; *& secundum novitatum, & rerum, vel casuum varietatem, nonnullis interdum aliquid esse addendum aut detrahendum: ideò prohibuit quidem, ne quicquam illis addatur aut adimatur, sicut ait* (Deuter. *cap.* 4, *v.* 2) *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis hodie, neque detrahetis de eo. Nam in præjudicium magnum Legis Divinæ hoc cederet, ac videri posset, ac si non à Deo originem traheret. Sed omnium temporum ac ætatum Sapientibus, hoc est Domui Judicii* (seu, Synedrii) *magni, permisit, sepes constituere, ad Judicia Legis stabilienda in rebus quibusdam, quas innovare volunt, ad sartam tectam conservandam Legis authoritatem, & sepes illas in æternum stabilire; sicut dicitur: Et facient sepem Legi. Præterea facultatem concessit illis, quædam Præcepta Legis tollere, & quædam prohibita permittere in certâ quâpiam re & casu; non autem in perpetuum; sicut declaravimus in Expositione Mischnæ. Atque hac ratione conservari, & in usu retineri potest Lex aliqua quibuslibet temporibus, & in quibusvis casibus pro necessitate. Nam si exceptio ista specialis data esset cuivis Sapienti perirent homines, propter multitudinem & varietatem opinionum.* Hactenus Moses, Doctor apud suos Summus.

Præclarum testimoniũ R. Mosis Ben-Maiemon in eã rem.

Ejus rei exempla ex Judæis Scriptoribus.

Magis particularia sunt, magisque ad rem nostram facientia, quæ suggerit Cocchus, *tum in Notis ad Thalmudicum Codicem Sanhedrin*, *cap.* 1, *pag.* 6 *& seqq*; tum *ex Thalmudo ipso*, *Codice cit. & Codice Herakin*; tum ex dicto R. Mose, *in Hilchot Kiddusch chodesch. Primò* enim ex illis patet, intercalationem Anni per adjectionem integri Mensis embolismalis, vulgò *Veadar* dicti, fuisse positam in arbitrio Senatûs Judaici. *Secundò*, varias fuisse intercalationis causas; quædam magis principales, quæ per se ad eam sufficerent, saltem si ambæ ex illis simul concur-

concurrerent; quasdam minùsprincipales, quæ licet solæ non sufficerent, tamen aliis junctæ efficerent ut intercalatio faciliùs decerneretur. *Tertiò* è magis principalibus causis fuisse has: si itinera Hierosolymam ducentia, imbribus hyemalibus corrupta, necdum essent de more reparata. Si pontes vi torrentium disjecti necdum essent refecti. Si necdum aptati essent furni assandis Agnis Paschalibus destinati. Si exules necdum ad Urbem pervenerant. Si spicæ necdum essent satis vicinæ maturitati. Si fructus quorum primitiæ in Pentecoste offerri debebant, essent adhuc nimis immaturi. Si, omissâ intercalatione, Festum Scenopegiæ nimis anticipaturum esset Æquinoctium Autumnale. *Quartò*, causas minùs principales fuisse, si Agni aut Hœdi in Paschate immolandi, ob hyemis rigorem essent adhuc nimis macilenti; aut si avium pulli, à puerperis, & fluxu laborantibus offerendi, essent adhuc involucres.

Libertatem Synedrii etiam in Mensibus refingendis, egregiè confirmat quod ex Majemonide refert Petavius, *in Animad. ad Epiphanium, pag.* 183, in hæc verba: *Postquam Synedrium toto die tricesimo* (Mensis jam exeuntis) *consedit, nec testis ullius advenit* (qui visam à se Lunam novam nuntiet) *summo manè surgunt, & Mensem intercalant. Quod si post quartum, quintúmve diem longinqui testes accedant, ac se Lunam suo tempore prospexisse confirment; hoc est, tricesimâ nocte; imò verò etiamsi sub finem Mensis adveniant, primum quidem magnum illis terrorem objiciunt, & interrogationibus lacessunt, ac morosiùs interrogando fatigant, & illorum testimonium scrupulosiùs examinant, atque in omnes se partes versant, quò novam illam Sanctificationem* (seu novam Neomeniæ indictionem) *declinent, postquam semel intercalatum est* (seu postquam semel antea indicta est Neomenia) *Verum si testes illi in testimonio suo constantes fuerint, idq; verum omnino deprehensum fuerit; sed & ipsi testes noti ac prudentes sint; ac denique ritè, &, ut par est, exploratum illorum testimonium fuerit: de integro Neomeniam definiunt, ac Mensem illum* (quamvis jam adultum) *retexentes à tricesimo die superioris* (Mensis, inclusivè) *computare dies illius* (Mensis jam labentis) *incipiunt.* Ubi maximè observanda illa licentia, dies, eorumque numerationem immutandi, etiam sub finem Mensis. Alter illustris locus ex R. Mose.

Præter hæc majora, nonnulla adhuc paulò minora sibi indulgebant Senatores illi. Nam fat levibus de causis Menses ex cavis plenos faciebant; & ex plenis cavos: ita tamen, ut non pauciores in Anno essent cavi, quàm quatuor; nec plures quàm octo: etsi Glossa Thalmudica Codicis Herakin narret, aliquando intra eumdem annum novem cavos fuisse: ex quo sequitur talem annum toto triduo à justâ Lunaris anni mensurâ, dierum scilicet 354, defecisse. Hinc quoque mirum esse definit, quod dicitur *Codice Rosch hasschanah*, Pentecosten aliquando in diem quintum Mensis Sivan, aliquando in sextum, aliquando etiam in septimum incidisse. In quintum; si tam Nisan, quàm Ijar pleni fuissent: in septimum; si uterque cavus: in sextum; si (ut regulariter fit) alter plenus fuisset, alter cavus. Libertas Synedrii circa Menses cavos & plenos.

Hæc operæ pretium fuit paulò fusiùs hîc explicari; ut manifestum fieret, quantum sibi licere crederent Judæi circa Anni & Mensium interpolationem, & consequenter circa dierum aliquorum geminationem; si peculiaris subesset ra- Corollariũ.

tio, quæ illam ſuadere videretur.

Nota diligentiſſimè incertitudinem Menſis Paſchalis apud Judæos.

Illud quoque ex dictis evidenter colligitur, non adeò facilè definiri poſſe, an hæc, an illa Lunatio Verno Æquinoctio vicina, fuerit Paſchalis: quandoquidem ex tot cauſis contingere potuerit, ut ea quæ, per ſe loquendo, Menſi Niſan tribui debuiſſet, attributa fuerit intercalari Menſi Veadar; ita ut ſequens demum Lunatio fuerit Paſchalis. Valet hoc vel maximè ad retundendos nonnullos, qui, ſtatim ac Pleni-lunium aliquod nacti ſunt proximè poſterius Æquinoctio Verno, illud, velut è tripode, pronuntiant fuiſſe Paſchale.

Cauſa geminatæ manducationis Agni Anno Paſſionis, obſcura.

Diſpiciendum nunc ſupereſt quæ cauſa Principes Synagogæ movere potuerit, ut eſum Agni promiſcuum Anno Paſſionis Chriſti permitterent peragi Feriâ quintâ; ipſi autem Feriâ dumtaxat ſextâ peragerent. Ultrò fateor non adeò facilè eſſe, quicquam hîc ſatis exploratum proferre. Sed dum de re ipsâ ſatis conſtat (prout ex dictis conſtare videtur) etiam veroſimiles conjecturæ de ejus cauſis debent ſobriè ſapienti ſufficere.

Non eſt orta ex ordinariâ tranſlatione ſolemnitatû.

Ac *primùm* non videtur geminata illa manducatio Agni, & tranſlatio Solemnitatis Paſchalis in Sabbathum, refundi poſſe in Decretum aliquod Synedrii de Paſchate nunquam celebrando Feriâ ſextâ; ne alioqui duo Feſta ſibi immediatè jungerentur cum populi incommodo ſuprà explicato. Conſtat ſiquidem ex Joſepho, *lib.* 13 *Antiq. cap.* 16, (ut *ſuprà cap.* 13, dicebamus) annis circiter 130 ante Chriſti Natalem, Pentecoſten immediatè Sabbatho ſucceſſiſſe; & ſimilia complura *ibidem* attulimus ex Thalmudo, ipſiſque Rabbinis: unde omnino dici debet Decretum hoc eſſe Chriſti ætate recentius. *Secundò* inanitas ejus vel inde patet, quod, illo admiſſo, vitari non poſſit incommodum, quod obtenditur. Si enim primus Azymorum dies in Sabbathum inciderit; dies ſeptimus, qui etiam feſtus erat, incidere debuerit in Feriam ſextam ſequentem: & ecce, ſuccedente immediate Sabbatho, duo feſta contigua, quæ tanto ſtudio vitabantur. *Denique* ſi tam Paſchalis Solemnitas, quàm eſus Agni, ex illo Canone Judaico transferri debebant; ſequeretur Chriſtum cum pleriſque Judæis Agnum non manducaſſe; quod antea ſtabilitis repugnat.

Theodori Moreti exceptio.

Secundam ex jam allatis rationem ſubnervare conatur noſter Theodorus Moretus, *in ſuis Propoſitionibus Mathematicis de Lunâ Paſchali*, *num.* 17, *& ſeqq.* ubi, admiſſo Judaico Canone de transferendâ in Sabbathum Solemnitate Paſchali, quotieſcumque dies 15 Niſan in Feriam ſextam incidit; vult eo caſu manducationem Agni permiſſam fuiſſe tam Feriâ quintâ, à quâ incipiebat eſus Azymorum, quàm Feriâ ſextâ; relictâ unicuique utriuſvis diei optione. Addit Solemnitatem Paſchalem tunc non numeraſſe, ut aliàs, ſeptem dies; ſed ſex dumtaxat: ita nimirum ut à Sabbatho inchoata deſineret Feriâ quintâ proximè ſequente. Quemadmodum, inquit, Anno 1666, cùm in diem 24 Junii incideret tam Feſtum Corporis Chriſti, quàm Nativitas S. Joannis Baptiſtæ; obſervatum fuit jejunium Feriâ quartâ; ſed Officium de Nativitate S. Joannis dilatum in Feriam ſextam: ita tamen ut non octo dies, de more, Officio illi tribuerentur; ſed tantùm ſeptem, deſineretque Officium S. Joannis cum Octavâ Corporis Chriſti. Contendit inſuper id ſignificare voluiſſe Joannem Evangeliſtam, dum *cap.* 12 dicit Chriſtum veniſſe Bethaniam *ante ſex dies Paſcha:* hoc eſt (ut interpretatur Moretus)

retus) ante dies Sollemnitatis Paschalis, qui, eo anno quo passus est Christus, non fuerunt, de more, septem; sed tantùm sex, ob rationem suprà allatam. Hanc explicationem confirmat ex Amos, *cap.* 1, *v.* 1, ubi asserit Propheta se vidisse ea, quæ scribit, *ante duos annos terræ motûs:* id est, inquit Moretus, ante terræ motum, qui per duos annos duravit.

Hoc paradoxo ingenioso, sed non ita solido, licèt in rem nostram uti possemus; non lubet tamen uti: eò quòd non tantùm *Patrum aliqui*, ut credit Moretus, sed etiam Patres, ut opinor, omnes, ac reliqui Sacrarum Litterarum Interpretes, verba Joannis hactenus intellexerint de Christi adventu in Bethaniam sexto die ante Pascha. Deinde, juxta eam opinionem, septem Azymorum, adeoque & Paschatis dies observantur, ac non tantùm sex; proindeque nulla hîc alia est mutatio, quàm quòd celebritas præcipua transferatur à Feriâ sextâ in Sabbathum. Unde minùs commodè hîc adfertur illud petitum ex concursu Nativitatis S. Joannis cum Festo Corporis Christi. Frustrà etiam quæritur subsidium aliquod ex verbis Amos; Hebraicus siquidem textus clarè habet: *duobus annis ante terræ motum*; uti & Paraphrasis Chaldaica, & Versio Syriaca, & Arabica, & Sanctis Pagnini, aliorumque Recentiorum; & in eumdem sensum verba nostræ Vulgatæ explicant Interpretes. Rejicitur.

Similiter non videtur geminatio supradicta inde fuisse orta, quòd (ob cursûs Lunaris anomaliam & incertitudinem) solerent universim & constanter geminari Festa, quemadmodum hodieque geminant Judæi; ut si altero ex duobus diebus errent, altero errorem emendent. Abundè id probare videtur altum silentium Flavii Josephi, qui licèt sæpiùs & exactè agat de tempore tum manducationis Agni, tum Solemnitatis Paschalis; ne verbum quidem usquam habet de illâ geminatione ordinariâ (uti nec Philo) quin potiùs illam satis apertè excludit, dum disertè testatur *lib.* 18 *Antiq. cap.* 6, Summum Pontificem uno dumtaxat die Stolâ suâ Pontificiâ usum fuisse in Festis solemnioribus. Ipsi quoque Judæi passim fatentur, hujusmodi geminationem, stante Templo, ab iis solis usurpatam, qui remotiùs ab Hierosolymis habitarent; ideoque indictum istîc Neomeniæ diem non poterant rescire: quod ipsum postea, everso Templo, & Synedrio sublato, dicunt universaliùs observari cœptum esse. Vide Glossam Thalmudicam, *in Codicem Rosch hasschanah*. Addo antiquos Patres, dum agunt de Quarta-decimanis Judæos imitantibus quoad diem Paschatis, nunquam illius geminationis ordinariæ mentionem facere: quin potiùs satis apertè contrarium innuere. Eademque est ratio de silentio Epiphanii natione Judæi, aliorumque multorum de Paschate Judaico accuratè scribentium, cujus ritum ignorare non potuerunt. Hinc autem colligi etiam potest, satis serò à Judæis geminationem Festorum receptam fuisse. Ordinaria Festorum Judaicorũ geminatio etiam refellitur.

Si in re adeò à nostris temporibus remotâ, ideoque admodum obscurâ, conjecturis indulgendum sit, probabilissima causa dilatæ, eo anno quo mortuus est Christus, solemnitatis Paschalis in Sabbathum, & geminatæ Feriâ quintâ & sextâ manducationis Agni, videtur ea fuisse, quam assignat Petavius, *in Animad. ad Epiphanium*, *Hæresi* 51, *& lib* 12 *de Doctr. Temp. cap.* 16: nimirum dissidium aliquod tunc inter Judæos exortum de legitimo illius Solemnitatis tempore; ex Verosimilis causa geminatæ manducationis Agni, Anno Passionis Christi.

quo factum sit, ut cùm Feriâ quintâ esset Luna 14, ex Cyclo tunc recepto (de quo infrà, *cap.* 23) deprehenso seriùs notabiliori ejus vitio, permiserint Pontifices ut, qui vellent, eo die Agnum manducarent; ipsi verò in diem sequentem distulerint, simulque Festum solemne in Sabbathum rejecerint.

Ejus fundamentum in Epiphanio.

Non de nihilo hæc dici, luculentus nobis testis est Epiphanius, *Hæresi* 51 *cit. num.* 26 & 27, ubi disertè scribit, Judæos hallucinantes & perturbantes, anno illo, biduo triduóve à legitimo epuli Paschalis tempore aberrâsse; causamque refert in pravum usum Cycli, cujus methodum *ibidem* admodum obscurè descriptam illustrârunt Kepplerus, *in Eclogis Chronol. pag.* 177. Petavius, *suprà*, & ex illis Bucherius, *Tract. de Paschali Judæorum Cyclo.* Negari quidem non potest Epiphanium, *loco jam citato*, nonnihil dormitâsse: sed ejus mens facilè ex adjunctis eruitur, & textus, modicâ mutatione factâ, restituitur. Porrò hanc Judæorum hallucinationem & perturbationem aut didicerit Epiphanius ex antiquâ apud suos contribules traditione; aut collegerit ex Cyclo, quem eo tempore usurpatum sciebat ex arcanis eorum libris, ut non immeritò suspicatur Petavius, *suprà*. Et verò Cyclum illum spectando, statim apparet eum per Neomeniarum anticipationem peccâsse: ac nominatim anno Vulgari 31, de quo agimus, Lunam primam signâsse die 9 Martii; cùm Novi-lunium Astronomicum nonnisi die 12 contigerit. Facilè igitur factum fuerit, ut Mense Nisan jam inchoato, à nonnullis notaretur & improbaretur illa anticipatio solidi tridui, præsertim in oculos omnium incurrente specie Lunæ longiùs adhuc distantis à Pleni-lunio, quod Feriâ dumtaxat tertiâ sequente, seu die 27 Martii, contigit: ideoque Pontifices, ne nihil observationi illi, & quorumdam oblocutioni deferrent, statuerint, ut (quando jam res eò processerat) Feriâ quintâ, in quam ex Cyclo incurrebat Luna 14, promiscuè immolaretur Agnus; sibi autem aliisque Feriam sextam reservarent: ac denique Paschalis Festi celebritas in Sabbathum, non exiguo populi commodo, differretur. Nec parùm, opinor, ad id minùs ægrè concedendum contulerit spes maxima proximæ oportunitatis Christum, ante diem Paschatis solemnem ita dilatum, comprehendendi mortique tradendi; prout etiam reipsâ factum est. Possent & alia nonnulla eôdem conducentia proferri: sed hæc, velut ad specimen, videntur sufficere.

Cyclus Judaicus anticipatione peccabat.

Lucæ locus explicatus.

Hinc nullo negotio explicabis, quod de Feriâ quintâ scribit Lucas, *cap.* 22, *v.* 7: *Venit autem dies Azymorum, in quâ necesse erat* (Græcè, oportebat) *occidi Pascha:* habitâ nimirum ratione Cycli Judaici, & attentâ Neomeniâ jam antea ad diem nonum Martii indictâ & celebratâ; quâ tamen non obstante (ut suprà, *cap.* 26 ostendimus) vulgò persuasum erat Pontifices certis ex causis posse retractare dies Mensis; ex quo necessariò consequebatur translatio Festorum interpolatione illâ posteriorum.

Providentia Dei in dispensatione temporum.

Hinc quoque elucet admirabilis Divinæ providentiæ œconomia in temporibus ita dispensandis, ut anti-typicus Agnus Christus incruentè in Sanctissimæ Eucharistiæ institutione immolaretur, & ab ipso ejusque Discipulis manducaretur ad eam vesperam; quâ Agnus typicus cruentè à plerisque immolabatur & manducabatur: &, è contrario, eo ipso tempore cruentè in cruce sacrificaretur; quo etiam cruentè à Sacerdotibus in Templo sacrificabatur Agnus Paschalis. Hanc

Hanc œconomiam meritò mirantur & prædicant plurimi tum è Veteribus, tum è Recentioribus: sed quidam ex illis quoad unam dumtaxat partem; alii quoad alteram. At dum ambas conjungit opinio nostra, ex eo etiam capite redditur commendabilior.

CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

Pascha non fuit à Judæis tempore Christi determinatum ex Plenilunio Astronomico.

EXpeditis duabus difficultatibus suprà *cap.* 17, *num.* 1, *&* 2, adversum nos objectis, veniendum nunc est ad tertiam *ibidem num.* 3, nobis intentatam de Paschate determinato ex Plenilunio Astronomico. Restringo autem quæstionem ad Christi tempora, quibus ex Josepho, Philone, aliisque liquidò constat Judaicum annum ac Menses ex Lunâ religatos fuisse: quidquid interim sit de Mosis ætate, & aliquot secutis exinde sæculis, quibus Solarem annum à Judæis usurpatum fuisse contendunt nonnulli, nec improbabiliter. Limitatio Quæstionis.

Porrò thesis huic capiti præfixa, variis argumentis probari potest. Ac *primùm* non parum eam stabilit, quòd nemo prorsus Antiquorum, seu ex Judæis, seu ex Sanctis Patribus, Astronomici rigoris tamquam à Synagogâ sub Christi Passionem observati meminerit: quod vel solum satis ostendit recens esse hoc inventum, ab iis præsertim invectum, qui pro anno 33 decertant. Tantum autem Antiquitatis silentium in hac materiâ censeri nequaquam debet esse argumentum ab authoritate negatâ; quandoquidem illi ipsi seu Patres, seu Judæi, qui de methodo hac Astronomicâ prorsus silent, dum de Mensium Judaicorum, aut de Festi Paschalis determinatione agunt, alias ab eâ planè diversas assignent vel ex Cyclis, vel ex phasi Lunæ petitas, de quibus postea. Probatio 1.

Secundò, tanta est inæqualitas verorum motuum Lunæ, ut nullo modo se constringi patiantur intra girum popularis alicujus methodi, qualis omnino esse debet divisio anni in Menses cuivis hominum generi, ipsique adeo vulgi fæci deserviens. Et verò quàm ridiculum foret jam paucarum horarum, jam paucorum horæ scrupulorum rationem habere in Novilunio aut Plenilunio huic aut illi diei adscribendo? Deinde quid si duodecim præcisè horæ ex vetere Lunâ, totidemque ex Novâ diem unum ex æquo inter se partiantur; utri istarum Lunationum dies ille imputandus erit? Probatio 2.

Tertiò ne quidem hac ætate tot Antiquorum observationibus laboribusque adjutâ, confici hactenus potuerunt ullæ Tabulæ Astronomicæ, quæ cælestibus motibus ad unguem respondeant. Quàm parum igitur verosimile erit, Judæis tam exactas obtigisse, quàm credi hodie volunt nonnulli? Equidem si res ita se habuisset, Ægyptios utique (inter quos plurimi degebant Judæi, & tam exiguo spatio Ægyptum inter ac Judæam interjecto) minimè latere potuisset; neque Probatio 3.

fuisset necesse Ptolemæum, dum suam *Magnam Syntaxin* moliretur, ad Babyloniorum, Græcorum, aliorumque Gentilium observationes Astronomicas confugere pro definiendis Lunæ motibus, si ulla extitisset memoria tam accuratarum Tabularum apud Judæos extantium. Ut interim omittam Judæos ipsos testari, Gentilium disciplinas (inter quas numerabatur exactior Astronomia) fuisse olim tribulibus suis interdictas: ne ad Solis ac Lunæ, omnisque militiæ Cæli cultum abducerentur. Negari igitur non potest aliquam apud Judæos latitudinem olim admissam fuisse in definiendis Novi-luniis ac Pleni-luniis, cujusmodi est ea, quæ ex popularibus tractabilibusque Cyclis exsurgit.

Huic dat manus quidã ex acerrimis Adversariis,

Tanta vis est veritatis, ut tandem huc relabantur etiam acerrimi propugnatores Pleni-lunii Astronomici velut legitimum Paschæ diem definientis. Ex his Recens Scriptor, postquàm *pag.* 62 *suæ Quæstionis Evangelicæ*, dixit *constare Judæos Cyclo usos convenientè Tabulis Astronomicis*; subjungit *pag.* 64 id fieri non posse; admittitque Pleni-lunium civile Paschatis determinativum, quod à Plenilunio Astronomico subinde biduo abesset. Quod autem ibidem universim pronuntiat, eam fuisse Cycli istius Iudaici naturam, *ut Pleni-lunium* (Civile) *non promoveret ad anteriora; sed potius ad posteriora retardaret: ita ut nunquam Pascha ante Pleni-lunium, licet aliquando post Pleni-lunium celebraretur:* unde probari possit, non video. Certissimum enim est fuisse olim Cyclos varios, quibus Pleni-lunia cælestia anteverterentur à Civilibus, prout capite proximè sequente ostensuri sumus: imò id à Recente illo Scriptore nec opinante admitti, statim hoc ipso capite ostendemus. Sed demus verum esse, quod loco illo allegat; an non illico in fumos abit omnis ejus ac Symmystarum labor in stabiliendo Anno 33 Vulgari ex Plenilunio Astronomico?

sibi tamen parum constans.

Probatio 4.

Quartò, quod suprà, *cap.* 12, speciatim urgebamus contra Annum Vulg. 33, potest ferè universim urgeri contra aliorum Annorum Paschata: nempe necesse esse ut plerumque Lunâ 16, subinde Lunâ 17, fuerint celebrata, si ipso die Pleni-lunii cælestis celebrata sint, quod plerumque nonnisi die 16, subinde 17 post Novi-lunium contingit. Fit autem validius hoc argumentum ex eo capite, quod Neomenia ipsa suam quoque apud Judæos haberet celebritatem, nec exiguam: adeoque (si Adversarii consequenter loqui velint) fuerit ex Tabulis Astronomicis definienda; maximè cùm ex eâ totus Mensis, dierumque omnis ratio penderet. Hoc autem concesso, fieri omnino non potest ut dies 15 Mensis Nisan Paschati affixus in Pleni-lunium Astronomicum universim incurrerit: sed necesse est ut ille istud anteverterit sæpissime uno die, aliquando etiam biduo. Facilè applicabitur totum hoc argumentum Mensi Tisri, cujus primo die, ex speciali dei præcepto, *Levit. cap.* 23, *v.* 24, agebatur maxima, &, æquè ac prima dies Azymorum, ab omni opere servili immunis *Solemnitas Tubarum*, seu *Clangoris*; die autem 15 celeberrimum *Festum Scenopegia*; quod utique non minus in Pleni-lunium cæleste incidere debuerit, quàm Pascha; si vera essent quæ gratis asseruntur ab Adversariis.

Possunt supradicta aptari Pleni-lunio medio.

Quæ hactenus de Pleni-lunio cælesti vero, Mensibusque ex Neomeniâ verâ determinatis dicta sunt, possunt nullo negotio aptari determinationi ex mediis Lunæ motibus petitæ, qualem à Judæis sub Christi tempora fuisse usurpatam

usurpatam censet Serarius, *in cap. 5 Josue, Quæst. 27, sub finem*, & plures alii, qui, quod asserunt, non probant, nec probare possunt.

Contra suprà allata, objiciunt methodi Astronomicæ fautores, *Primò*, Abrahamum, Mosen, Salomonem fuisse Astronomiæ scientissimos, ut patet ex Josepho, *lib. 1 Antiq. cap.* 9. Eupolemone, *apud Eusebium, lib. 9 de Præp. Evang.* & ex Artapano, *ibidem*. Ex Philone, *lib. 1 de vita Mosis*; ex libro Sapientiæ, *cap. 7, v.* 18 *&* 19. *Secundò, lib. 1 Paralip. cap.* 12, *v.* 32, eadem laus tribuitur filiis Issachar; & ita locum illum explicant Serarius, *in cap. 5. Josue Quæst.* 27, Bonfrerius, & alii. Viguit igitur apud Judæos Astronomiæ studium, fueruntque Neomeniæ ac Festa ex cælestibus Solis ac Lunæ motibus designata. *Tertiò*, scribit Moses, *Genesis cap.* 1, *vers.* 14, Astra facta fuisse, ut *essent in signa, & tempora, & dies, & annos.* Item *Eccli, cap.* 43, *vers. septimo & octavo*, dicitur: *à Lunâ signum diei festi, &c. Mensis secundum nomen ejus est*, & verò Hebræis *Iareach*, tam *Mensem*, quàm *Lunam* significat. *Quartò*, asserit Josephus, *lib.* 13 *Antiq. cap.* 12, Pentecosten immediatè post Sabbathum, seu Feriâ primâ, celebratam eo anno, quo suscepta est expeditio Parthica ab Anthioco Sidete, Olympiade 162 proximè ineunte, hoc est, anno ante Æram Vulgarem 132, Periodi Julianæ 4582, quo Scriptor Recens suprà citatus vult Pentecosten incidisse in diem 2 Junii Juliani. Item Josephus, *lib. 6 de Bello, cap.* 4, scribit eo anno quo vastata est Hierosolyma, hoc est septuagesimo Vulgari, Pascha celebratum fuisse die 14 Mensis Xanthici, qui apud Josephum est Aprilis Romanus. Denique, *lib. 7 de Bello, cap.* 12, ait idem Festum incidisse in diem 8 ejusdem Mensis: Quæ omnia motibus Astronomicis apprimè consentiunt. Ita Recens Scriptor, de quo suprà, *pag. 62 cit.* ubi ex tribus hisce speciminibus vult *constare Judæos Cyclo usos consentiente cum Tabulis Astronomicis*; ideoque *frustrà accusari vitium Cycli Judaici, & ejus prætextu, characteres Evangelicos anno Passionis Christi convenientes perturbari.* *Quintò*, opponitur Dionysius Areopagita, qui *Epist.* 7, agens de Eclipsi, quæ Christo patiente contigit, dicit se cum Apollophane observâsse Lunam *statim ab horâ nonâ usque ad vesperam fuisse restitutam in locum Soli oppositum è diametro.* Erat igitur tunc Pleni-lunium Astronomicum.

Objectio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Verùm ad *primum* argumentum facilè respondetur Abrahamum & Mosen eâ fuisse instructos Astronomiâ, quæ eorum ætate vigebat; hoc est rudiore, & adhuc in cunis vagiente. Certè Ptolemæus nec apud Chaldæos, à quibus institutus fuerat Abraham, nec apud Ægyptios, à quibus Astrorum peritiam hauserat Moses, ullas reperire potuit Observationes Astronomicas Christo ad octo sæcula antiquiores, quibus fidere posset: & aliunde satis constat quàm lentis incrementis usque ad Ptolemæum creverit Astronomia. Quod si hujus ipsius Tabulæ post pauca sæcula tantoperè à motibus cælestibus deviare cœperint; multò magis Christi ætate deviâssent Tabulæ seu ab Abrahamo, seu à Mose elaboratæ. Vide Salianum, *ad ann. Mundi* 2115, *num.* 9, ubi explodit, quod dicunt nonnulli ex Antiquis, Ægyptios ab Abrahamo Astronomiam didicisse. Quod obtendunt aliqui, exactissimam motuum cælestium notitiam Moysi necessariam fuisse, adeoque illi à Deo inditam, ad ritè ordinandas Legis Veteris Festivitates ac Neomenias,

Responsio ad primam objectionem.

nias: jam suprà rejectum est, ubi diximus methodum anni popularem ad hujusmodi minutias adstringi non posse. Plenior erit solutio, si, ut non improbabiliter sentiunt Kepplerus & alii, Moyses anno Solari usus sit, designaritque Festa nullo ad Lunam respectu; etsi postea Judæi cum jugo Macedonico Lunarem annum admiserint. Salomonem theodidactum fuisse nemo negat: sed pro suâ sapientiâ, facilè intellexerit Lunam ex cæli motibus accuratioribus supputatam, usui Civili aptam non esse. Et quamvis daremus exactiorem ab eo methodum popularem fuisse excogitatam; cùm ejus non meminerint Judæi ipsi, dicenda esset cum aliis ejus libris in captivitate Babilonicâ periisse. Denique cùm Ecclesia in nuperâ Calendarii instauratione, motuum cælestium exactorum rationem sibi habendam non putârit, licèt maximis ad id præsidiis esset instructa: quæcumque demum fuerit Abrahæ, Mosis, & Salomonis peritia, non est credibile illâ usos ad eam usque morositatem, quam illis aliqui tribuunt, quosque moraliter usurpari non posse suprà ostendimus.

Responsio ad 2. Ad *secundum*, si quis velit locum illum explicandum de Astronomiæ notitiâ; redit solutio jam allata; sed multo probabilius est, exponi debere de prudentia humanâ circa res agendas, quâ viri politici prænoscunt quid unoquoque tempore fieri expediat ad bonum Reipublicæ. ita Abulensis, Caietanus, Vatablus, Mariana, ipseque Bonfrerius in illum locum, resiliens à priore expositione, quam secutus fuerat *in Comment. ad Genes. cap.* 49, *v.* 18.

Responsio ad 3. Ad *tertium*, cùm Lunam attendant tam ii qui Menses ab ejus primâ apparitione supputant, quàm qui ex Cyclis popularibus illos distinguunt; nihil inde pro exactissimis motibus Astronomicis extundi potest.

Responsio ad 4. Ad *quartum* in primis non satis constat de anno illius expeditionis Parthicæ: nam Petavius, *lib.* 13 *Doct. Temp.* eam refert ad annum Periodi Jul. 4584, quo censet Pentecosten incidisse in diem Junii 14; Bucherius *in Tract. de Paschali Judæorum Cyclo, pag.* 412 ad annum 4580; Scriptor Recens citatus in objectione, ad annum 4582: omnes autem suo calculo, quantumvis diverso, Feriam primam reperiunt, quam Festo Pentecostes assignent. Ex quâ diversitate patet debilitas argumenti; cùm id in diversis hisce annis parem vim habere possit. Deinde ex ipso argumento Recentis Scriptoris, sequitur planè contrarium ejus quod sibi probandum proponit: nempe *Judæos Cyclo usos consentiente cum Tabulis Astronomicis.* Nam juxta Tabulas Ptolemæi Neomenia Astronomica Anno illo Per. Jul. 4582 contigit, respectu Hierosolymæ, circiter sesqui-horâ ante mediam noctem, quæ inter diem 1 & 2 Aprilis fluxit, & morali consideratione, & ex usu Judæorum, ad diem 2 determinatè pertinuit: Pleni-lunium autem die 16 ejusdem Mensis. At recens Scriptor vult primum diem Paschalis Mensis Nisan eo anno incidisse in diem 31 Martii, & Solemnitatem Paschalem in 14 Aprilis: toto igitur biduo per anticipationem peccabat Cyclus ille Judaicus, nec cum Tabulis Astronomicis ullo modo conveniebat; multo minùs designabat Neomenias civiles Astronomicis posteriores, ut ipse contendit. Vide ejusdem Scriptoris Chronologiam Christianam, *To.* 2, *pag.* 250, ubi designandis Festis Paschatis & Pentecostes illius anni adhibet Cyclum Lunæ Nicænum, qui tunc passim toto biduo per anticipationem à Neomeniis cœlestibus aberrabat.

Recentis Scriptoris cum seipso pugna.

Quod

Quod autem *ibidem* addit; *Mensem* Macedonicum *Xanthicum apud Iosephum esse Aprilem ipsum Romanum*, admitti non potest; quandoquidem Josephus Xanthicum passim componat cum Lunari Judæorum mense Nisan; quem nemo dixerit componendum cum *Aprili ipso Romano*. Patet id *ex libro* 1. *Antiq. c.* 4: *Moses* (inquit) *Nisan, qui est Xanthicus; Mensem primum in suis Fastis ordinavit*. Et expressiùs *lib.* 2, *cap.* 5: *Jussit* (Deus) *Mosen edicere populo, ut paratum habeant sacrificium* (seu Agnum Paschalem) *præparatum tertiâ-decimâ Xantici Mensis in quartam-decimam, qui apud Ægyptios Pharmuthi vocatur; idem Hebræis Nisan, & Macedonibus Xanthicus*. In his verbis observandum *primò*, non tantùm Xanthicum, sed etiam Pharmuthi componi cum Nisan; licet duo priores illi menses habeant initia in anno Romano diversa, si sumantur ut fixi, & nominatim Pharmuthi initium ducat à 27 die Martii: atque ita cum Aprili convenire omnino non possit. *Secundò*, licet Menses illi, sumpti ut fixi & Solares, non possint unquam componi cum Lunari mense Nisan; tamen subinde cum eo per Catachresin comparari; eo quòd sæpè potissimâ sui parte Nisan in eos incurrat. *Tertiò*, potiori jure potuisse Xanthicum componi cum Nisan: quòd olim Xanthicus esset Lunaris, congrueretque initio Veris, & satis serò locum stabilem in anno Romano obtinuerit. *Quartò*, cùm Josephus hoc loco agat de anno Egressus Israëlitarum ex Ægypto, quo Moyses jussit Agnum Paschalem immolari die 14 primi Mensis Nisan; si per Xanthicum intelligendus sit Aprilis apud Josephum, debuerit eo anno immolari Agnus die 14 Aprilis. Atqui, ut de aliis sileam, Scriptor contra quem agimus, disertè, *in suâ Chronologiâ Christianâ, Tom.* 2, *pag.* 249, statuit eo Anno Neomeniam Nisan die 12 Aprilis, Plenilunium autem, seu diem 15 Nisan, die 26 Aprilis. Nullâ igitur ratione dicere potest Mensem Xanthicum, apud Josephum, paria facere cum Aprili. Similiter, quod scribit Moses, *Exodi cap.* 40, *vers.* 1: *Mense primo, primâ die Mensis, eriges tabernaculum testimonii*, ita exprimit Josephus, *lib.* 3 *Antiq. cap.* 9: *Initio sequentis anni, Mense Xanthico Macedonum, Hebræorum Nisan, Novilunio tabernaculum dedicatum est*. En iterum idem utriusque Mensis initium. Item *libro undecimo, cap. quarto*: *Instante Azymorum Festo, Mense primo, qui Macedonibus est Xanthicus, nobis verò Nisan, &c.* Ex quo etiam satis apparet quàm constanter Xanthicum simpliciter & adæquatè comparet Josephus cum Judaïco ac Lunari Mense Nisan, non autem cum Solari & Romano Mense Aprili. Et quia non desunt, qui ita agnoscant Josephum in libris *de Antiquitate* Menses Judaicos componere cum Macedonicis, ut nihilominus contendant eum, in libris *de Bello*, Macedonicos componere cum Romnanis; non abs re fuerit hîc recitasse illum ipsum locum, qui in Objectione allegatur *ex lib.* 6 *de Bello, cap.* 4: *Azymorum* (inquit) *instante die, decimâ-quartâ Mensis Xanthici, quâ credunt Judæi se primùm ab Ægyptiorum jugo liberatos*, &c. Quis non videt hîc rursus Xanthicum pariari cum Judaïco, & Lunari, & vago Mense Nisan; non autem cum stato & Romano Mense Aprili? Illustris etiam hanc in rem est locus Josephi, *lib.* 7 *de Bello, cap.* 9, ubi conflagrationi Templi tam prioris, quàm posterioris tribuit diem 10 Mensis Loi, qui à Xanthico quintus est apud Macedones. Atqui Jeremias, *cap.* 52, *v.* 12, cladem illam Templi prioris tribuit *decima*

Non componit Josephus Xanthicũ cum Aprili Romano sed cum Judaico Nisan;

Etiam in libris de Bello Judaico.

diei quinti Mensis Judaici; Traditio autem Judaica tam in Calendario, quàm in Seder Olam, aliisque libris, utriusque Templi incendium tribuit diei nono Lunaris Mensis Ab; quem proinde necesse est coincidere cum Loo Josephi; impossibile autem cum Romano Mense Augusto: quandoquidem Novi-lunium Ab Astronomicum inciderit in diem 26 Julii Anno 70 Vulgari; quâ de re, uti & de horum dierum conciliatione, plura diximus *Quæst.* 1, *cap.* 31. Ruit igitur funditùs discrimen illud acceptionis *Xanthici* in Libris *de Antiquitate* & *de Bello.* Adversario nimirum imposuit Interpres Latinus Josephi, qui locis in Objectione citatis pro *Xanthico*, qui in textu Græco legitur, *Aprilem* imperitè substituit.

Responsio ad locum ex lib. 6. de Bello, cap. 4.

Ut autem respondeam exemplo allato ex *lib.* 6 *de Bello*, *cap.* 4. jam recitato, fateor Anno 70 Vulgari, quo vastata est Hierosolyma, Pleni-lunium Astronomicum incidisse in diem decimam-quartam Aprilis; verùm non ideò consequens est Xanthicum & Aprilem à Josepho pariari; aut Judæos usos fuisse Cyclo cum Astronomicis Tabulis consentiente. Nihil enim aliud dicit Josephus, quàm historiam istîc relatam contigisse die 14 Nisan, quâ manducabatur Agnus Paschalis, & quâ Judæi olim ab Ægyptiacâ servitute fuerant liberati: undecumque interim determinaretur initium Mensis; item quicumque demum, & cujuscumque Mensis Romani dies fuerit Anno illo Excidii Hierosolymitani. Deinde spectatis Tabulis Astronomicis; dies illa 14 Aprilis, erat Lunæ 15; nam Neomenia Astronomica Hierosolymis contigerat sub ipsum meditullium noctis, quâ à die 30 Martii ad 31 transitum fuerat. Die igitur 13 Aprilis (non 14, ut vult is quem impugnamus) manducandus fuisset Agnus, si Cyclus Judaicus motibus cælestibus congruisset. Denique nemo, opinor, dixerit Josephum crudè & absolutè asserere Judæos ex Ægypto egressos die 14 Aprilis: quod tamen ex Recentis Scriptoris sententiâ dici deberet; ut plura alia omittam proferre in re satis clarâ.

Responsio ad locum ex lib. 7 de Bello, cap. 12.

Ad alterum exemplum *ex lib. 7 de Bello*, *cap.* 12, ubi rursus Interpres malè pro *Xanthico*, *Aprilem* substituit, dico nullo modo legi, Festum Paschatis celebratum fuisse *die octavâ Mensis Xanthici*; sed die illâ contigisse prodigium ibi narratum, octiduo scilicet ante Pascha, *cùm populus ad diem Festum Azymorum conveniret.* Solitos autem plurimos Judæorum pluribus ante Solemnitatem Paschalem diebus Hiærosolymam convenire, patet ex *Joannis cap.* 12, *v.* 12. Adde Pleni-lunium Astronomicum non incidisse anno illo in diem 8 Aprilis, sed in diem sequentem. Si autem dicatur Festum Paschatis die illo 8 celebratum ex Judæorum Cyclo; anteverterit Cyclus ille Pleni-lunium cæleste; non autem comitatus aut secutus illud fuerit, ut contêdit Recens Scriptor; quem insuper ex dictis colliges falli, dum *pag.* 73 dicit complementum excidii Templi posterioris, quod à Josepho, *lib. 7 de Bello*, *cap.* 16, tribuitur diei octavo Mensis Macedonici Gorpiæi, tribuit diei octavo Septembris Romani, idque *certum esse* asserit. Constat enim Gorpiæum apud Josephum paria facere non cum Septembri Romano; sed cum Judaico & Lunari Mense sexto Elul, cujus Neomenia Astronomica ejus Anni quadrat in diem 25 Augusti à præcedente vesperâ inchoatam; dies autem illius Mensis Lunaris octavus à verâ Syzygiâ supputatus incidit in diem primum Septembris, eumque Sabbathinum: ita ut Dio, etiam juxta hunc calculum sustineri possit, dum ait cladem supradictam in Sabbathum incidisse.

Quinti

Quinti argumenti robur ab iis uno verbo retunditur, qui cum Theodoro Gazâ, Faventino, Rhodigino, Roffensi, Caietano, Sixto Senensi, Michaële de Palatio, Sirmondo, Petavio, Haberto, Vallâ, Erasmo, aliisque, Epistolam illam (uti & alia Opera) Dionysio Areopagitæ abjudicant; aut vehementiùs suspectam censent, quàm ut rei dubiæ facere fidem debeat: præsertim alia omnia, etiam contraria, de illâ Eclipsi scribentibus Origene, Africano, Hieronymo, Chrysostomo, Orosio, aliisque antiquissimis Patribus, quorum aliqui nubium interpositioni has tenebras tribuunt; alii, subtractioni radiorum Solis; alii etiam Lunæ ministerium disertè excludunt. Nec caret admiratione silentium tum Plinii, accuratissimi prodigiorum investigatoris, qui tum vivebat; tum Ptolemæi, qui non totis centum post Christi Mortem annis floruit, & omnes priorum aliquot Sæculorum Observationes diligentissimè collegit. Atque hoc vim habebit majorem, si, quod passim dicitur, hæ tenebræ totum Orbem terræ involverint. Quod verò dicunt nonnulli vetitum fuisse à Romanis, ne prodigium hoc evulgaretur; evertunt ipsimet, dum asserunt de illo egisse Phlegontem Hadriani libertum Romæ scribentem, de quo postea. Sed non est necesse ad has solutiones confugere: huic enim difficultati solvendæ sufficit, si *locus è diametro oppositus* paulò latiùs sumatur pro eo, qui non ita longè ab illo aberat. Et potuit locutionem illam adjuvare, quòd sub horam nonam desinentibus tenebris, fuerit Luna sub horizontem ex parte Orientis reducta; Sole diu pòst adhuc conspicuo. Adde quod non pauci Antiqui, præsertim Græci, quamvis dicant Christum Lunâ 14 passum; nihilominus scribant Lunam tunc *plenam fuisse, toto orbe fulsisse, &c;* quæ nonnisi de Lunâ 15, aut plerumque de Lunâ 16 verè affirmari possunt. Vide nominatim S. Maximi Scholia in illam Epistolam, & ejusdem Paraphrasim Georgii Pachymeræ, qui disertè admittunt fuisse tunc Lunam 14; & tamen dicunt Soli è *diametro oppositam* fuisse. Vide & S. Thomam, *Parte* 3, *Quæst.* 44, *Art.* 2, *ad* 2, ubi scribit Lunam tunc fuisse à Sole distantem *QVASI per medietatem circuli*; quamvis Epistolam S. Dionysii admittat ut legitimam.

Responsio ad 5.

Solutio altera.

Obsigno hoc caput præclaro præstantissimi Astronomi Joannis Keppleri effato, *Eclog. Chronolog. pag.* 90: *Ipse Astronomus cæteros non Astronomos abstraho ab Astronomiâ in actione hujus causæ. Probandum est legitimè Judæos tam benè fuisse Astronomicè doctos, quantam hodie cognitionem afferunt* (Recentiores Chronologi) *ad hanc causam. Ego contrarium affirmo, priscos illos Judæos usque ad Christi ferè tempora, in usu Calendarii nihil ultra Vulgi captum sapuisse.* Et *pag.* 94: *Valdè itaque decepti sunt nostri Astronomi his ultimis* 150 *annis, qui ex suâ perfectâ Astronomiâ Pleni-lunia ad Christi tempora, ex Pleni-luniis Festa Judæorum, ex his & concursu Feriæ Annum Passionis ausi sunt determinare alium quàm Veteres ætati Christi proximi tradiderunt. Si hodie quis, omisso Computo Ecclesiastico aberrante* (agit de Calendario Vetere non reformato) *ex Astronomiâ perfectâ, accommodatis Decretis Nicænis quæ jactantur, computaret Paschata Superiorum sæculorum, is creberrimè aberraret ab usuali Paschate, & vix unquam justum historiæ annum assequeretur.* Ita ille verissimè, & ad rem nostram accommodatissimè.

Testimonium Keppleri de hac cõtroversiâ non exigendâ ad minutias Astronomorum.

CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

Iudaicorum Mensium Calendæ non fuerunt tempore Christi indictæ ex primâ phasi Lunæ.

Græci & Romani olim suos menses ex phasi Lunæ determinarunt.

Difficultas est de Judæis, Christi ætate.

Affirmant Scaliger, Onufrius, Salmeron, Heruartus, Langius, Morinus, Ribera, Vendelinus, Thalmudistæ.

NEGARI non potest Menses olim diu ante Christum fuisse ex Lunæ apparitione determinatos apud varias gentes. Disertè id de Græcis testatur Geminus, *cap. 6 suæ Isagoges*; de Romanis prolixè Macrobius, *lib. 1 Saturn. cap. 15*; sed non levis difficultas est de Judæis, præsertim spectatâ Christi ætate: quâ in quæstione varii è Neoteoricis aientem sententiam sequuntur. Ex his sunt, Scaliger *variis locis*; qui tamen alibi ad Cyclos confugit. Onufrius, *in Comment. Fastor*, Salmeron, *Tom. 1, Prolegom.* 38. Hervartus, *Nova Chronol. cap.* 171. Langius, *lib. 1 de Annis Christi, cap. 6 & 9*. Morinus, *Exercit. 1 in Pentateuch. Samarit. cap.* 3. Ribera., *lib. 5 de Templo, cap.* 2. Vendelinus, *ad calcem suæ Gnomes Orthodoxæ*, post Thalmudicos, aliosque Rabbinos, quorum super hac re sensum operæ pretium fuerit hîc explicare, tum *ex Codice Thalmudico Rosch haschanah*, tum præsertim ex Maiemonide, *Tractatu Kiddusch hachodesch.*

Thalmudistarum pronuntiata de Novi-lunii & Mensis novi determinatione ex phasi.

Scribunt igitur *primò*, Judices è Synedrio Hierosolymitano, cùm ex calculo Astronomico comperissent Lunam novam apparere posse (censent autem eam sub aspectum cadere sex horis post conjunctionem veram) tricesimâ nocte, convenisse, designasseque speculatores, qui ex edito aliquo monte aut ædificio nascentem Lunam observarent. *Secundò*, hos speculatores, statim ac novam Lunam deprehenderant, adivisse Judices, & à se visam testatos fuisse. *Tertiò*, Judices morosè admodum inquisivisse quo loco, quâve figurâ ab illis observatoribus visa esset Luna; eumque in finem varias Lunæ imagines proposuisse, rogasseque ecquâ ex illis formâ se conspiciendam dedisset. *Quartò*, si testes, postquam diligenter fuerant excussi, constantes perstarent, & veritati consentanea loqui viderentur, Præsidem illius consessus, de plerorumque Collegarum sententiâ, pronuntiasse: *Mekuddasch, Mekuddasch.* Id est, *sanctificata est, sanctificata est*; statimque Neomeniam indixisse. Quod si speculatores ante diei trigesimi tenebras non advenissent; tunc Mensem præcedentem plenum effectum fuisse, & Neomeniam postridie celebratam Hierosolymis. *Quintò*, ut iis, qui ab Urbe remotiores erant, celerrimè innotesceret dies Neomeniæ, olim ignes in summis montibus accensos fuisse, ad indicium. Sed cùm Samaritani pro suo in Judæos odio, ignes tempore non legitimo aliquando accendissent; statutum à Synedrio fuisse, ut in posterum Neomeniæ per celeres nuntios in omnem partem missos indicarentur. Hos tamen ultra decem dierum iter progressos non fuisse. Judæos longiùs dissitos, duobus continenter diebus & Neomeniam, & Festa reliqua celebrâsse: ut si in altero fortè erratum esset, in altero error compensaretur, induceretur que conformitas cum Hierosolymitanis. *Sextò*, si Neomenia incidisset in diem

in diem Sabbathi, eaque esset aut Mensis Nisan, aut Mensis Tisri; etiam Sabbatho cursores illos dedisse se in viam; Synedrio cum iis hac in parte dispensante, ob præcipua Festa in duos illos Menses incidentia. Quinque item aliis Mensibus, nempe Mense Ab, ob jejunium triplex; Elul propter caput anni Civilis inchoandi proximis Calendis Mensis Tisri; Casleu, propter Encænia; Adar, propter Festum Sortium; ac denique Ijar, propter parvum, seu secundum Pascha, missos quidem fuisse nuntios: sed iter Sabbatho suscipere non licuisse. Aliis quinque Mensibus nullos cursores ad indicendam Neomeniam destinari solitos. *Septimò*, si nubes obstitissent quo minùs Luna suo tempore conspiceretur Hierosolymis, locisve vicinis, ideoque alio, quàm par esset, die, indicta esset Neomenia; adulto autem jam Mense advenirent testes fide digni, qui Lunam legitimo tempore à se visam confirmarent; tunc Judices Mensem illum retractâsse, jussisseque dies ejus perinde postea numerari, & sequentia Festa celebrari, ac si Neomenia eo die, quo Luna visa fuerat, foret indicta. *Octavò*, Hanc rationem Neomenias indicendi usurpatam fuisse, quamdiu Synedrium permansit in terrâ Israëliticâ: post ultimum Templi excidium, cœptam usurpari rationem aliam melius Luminarium motibus accommodatam, quæ hodieque in usu sit apud Judæos. Ita illi.

Fateor non gravatè Thalmudicis, Rabbinisque vetustioribus aliquid subinde posse deferri, dum agitur de quibusdam eorum assertionibus, quæ aliunde confirmari possunt; neque quidquam habent, quod potenter illis adversetur. Certissimum tamen est, etiam quoad res in facto palpabili consistentes, fidem iis universim adhiberi non posse. Luculentum hujus rei specimen dedimus suprà variis locis, nominatim *Quæst.* 1, *cap.* 2, dum referremus sensum Thalmudistarum consignantium Natalem Christi Anno circiter centesimo ante Æram nostram Vulgarem. Similiter, quod ex Evangelistis constat licuisse olim Judæis bovem & asinum delapsum in foveam extrahere die Sabbathi, ex Thalmudistis negat Rabbi Lipman, *in blasphemo suo libro Nichason*, seu prætenso de Evangelistis triumpho. Præterea *in Thalmudico libro Middoth*, seu *de Mensuris Templi Hierosolymitani*, varia sunt ex antiquis Rabbinis collecta, aut eis attributa, quæ pugnent cum iis quæ de eodem argumento scribit Flavius Josephus testis oculatus. Denique, ut alia omittam, *Codice Thalmudico Bava Kama*, *cap.* 7, *parag.* 7; dicitur Judæos *non educâsse Hierosolymis gallos gallinaceos*; cùm tamen ex Evangelistis indubitatum sit gallum Sancti Petri monitorem Hierosolymis fuisse. Vide ipsummet Rabbi Azariam, *in libro Meor enajim*, ubi apertè & sæpiùs asserit, Rabbinos, etiam Thalmudistas, pugnare cum Scripturis Sacris, & hallucinari in historiis; ac tandem subdit, non esse curanda eorum dicta, quæ ad licitum aut vetitum non pertinent. Neque ideò minui eorum authoritatem; quia juxta Davidem, *omnis homo mendax*. Vide & portentosa Thalmudistarum mendacia, apud Hieronymum à Sanctâ Fide, olim Judæum, *in duobus Libris contra Judæos*; Sixtum Senensem, *lib.* 2 *Biblioth. sub finem*; Granatensem, *lib.* 2 *Introductionis in Symbolum*, *cap.* 4; Buxtorfium, *in Synagogâ Judaicâ*, *plurimis locis*. Mirum igitur videri non debet, si fidem Thalmudicis denegemus in eâ, quâ de nunc agitur, determinatione Neomeniæ ex phasi Lunæ; cùm non pauca ei, nec leviter, adversentur.

Quæ fides sit Thalmudistis adhibenda.

Aperta eorum mendacia aliquot.

Impugnatio 1 determinationis Neomeniæ ex phasi.

Obstat enim *in primis*, quoad antiquiora tempora, Sacer textus, *lib. 1 Reg. cap. 20, v. 5*, ubi David Jonathan, tamquam de re vulgò notâ, ita alloquitur: *Ecce Calendæ sunt crastino &c*; & vicissim Jonathas, *v. 18*: *Cras Calendæ sunt*; quo utroque loco Septuaginta habent: Νεομηνία. Omnibus igitur, ante ipsum popularis Neomeniæ diem, tunc notum erat tempus, quo ea celebrari deberet. Falsum igitur est, quod aiunt Thalmudici, toto tempore, quo in terrâ Jsraëlis fuit Synedrium (sicut fuit regnante Saüle) Neomeniam ex Phasi Lunæ ab eo indictam fuisse ipso primo Mensis die; idque observatum à Mose ipso, cui à Deo ostensa fuerit Luna falcata eâ specie, quâ apparet, dum Neomenia est indicenda. Subruto hoc narrationis Rabbinicæ fundamento, facilè corruit quidquid illi inædificatur de usu posteriorum temporum.

Impugnatio 2.

Secundò, obstat Epiphanius, quarti sæculi Scriptor, Judæus ex Judæis, qui *Heresi 51*, testatur contribules suos ætate Christi usos Cyclo annorum 84, de quo, *cap. proximè sequente*, ubi & Africanum (qui eo tempore vixit, quo R. Judas Hakkadosch dicitur Thalmudum scripsisse) & alios tum Antiquos, tum Recentiores, pro Cyclis olim inter Judæos receptis proferemus.

Impugnatio 3.

Tertiò, cùm nubes, præsertim per hyemem, potuerint pluribus continenter Mensibus Lunam novam occultare per aliquot dies; undenam tunc fuerit indicta Neomenia? Si ex Astronomicis Tabulis; jam relabuntur Judæi in id quod alibi docent, suis Majoribus interdictum Astronomiæ studium; ut interim omittam difficultatem civili usui aptandi motus Lunæ, seu medios, seu veros. Si ex aliâ methodo; quænam illa fuit, si Cyclica non fuit? Accedit quod subinde inter nubila visatur species quædam Lunæ novæ, & oculis illudat. Et verò id reipsâ aliquando contigisse, ideóque populum die 27 Mensis tunc labentis conclamasse *Mekuddasch*, *Mekuddasch*, testantur ipsimet Judæi. Quanta autem incommoda hinc consequi possent, nemo non videt; uti & ex eo, quod retractaretur Mensis jam adultus, si testes è remotioribus regionibus advenirent, qui Lunam alio die à se visam affirmarent, quàm Neomenia esset Hierosolymis indicta, cælo istic nubibus obducto.

Impugnatio 4.

Quartò, constat ex Evangelistis religionem observationis Sabbathi adeo in superstitionem evasisse Christo in terris degente, ut Judæi indignè ferrent ejus miracula Sabbatho patrata, etiam nullo adhibito externo ministerio, ut patet *ex Luca cap. 6*. Quàm igitur parum verosimile est Synedrium permisisse ut eo die toties susciperetur iter à tot cursoribus? Quàm egregiam reprehensionis ansam dedisset Christo seipsum expurganti, si simile quidpiam admisisset? Accedit quod saltem Neomenia Tisri jam fuisset indicta per Cursores missos Mense Elul, ut significare videtur narratio Judaica jam facta.

Impugnatio 5.

Quintò, quàm absurdum est hoc, ut Cursores ad decimum usque diem iter fecerint indicturi Neomeniam à novem jam diebus celebratam? Eademque, cum proportione, est ratio de iis, qui bidui, tridui &c. itinere aberant Hierosolymis. Quæro enim an tunc demum inchoarent Mensem, cùm Cursores advenissent; an non? Si tunc inchoabant; quanta sequitur inter vicinissima loca confusio in numerandis diebus ejusdem Mensis, in celebrandis Neomeniis, aliisque Festis, in jejuniis, &c? Si ante adventum Cursorum inchoabant; cui bono

Cursores

Cursores tanto sumptu, tanto labore, tanto Religionis dispendio mittebantur, nullâ præsertim ad id cogente Lege divinâ? Deinde redibit quæstio de Methodo ex quâ hi longiùs dissiti suos Menses metirentur; quæ tandem alia esse non potuerit quàm Cyclica.

Sextò, universalior fiet hæc difficultas, si extendatur ad quinque illos Menses, quibus ad dissitos ab Hierosolymis nulli mittebantur nuntii Neomeniæ. Nam undenam dicendi erunt hi Menses illos inchoasse; maximè dum duobus continenter Mensibus Sivan & Tamuz, item Tebeth & Schebat, nulli advenirent Cursores? An tunc dissiti illi fuerint sibi relicti? At quis hoc credat; cùm in aliis Mensibus tanta adhiberetur diligentia? Præterquam quod Sivan secum adferret Festum Pentecostes & jejunium triplex, Tamuz duo jejunia, Tebeth tria, Schebat duo, Marchesuan unum. An dissiti illi dicendi erunt, sua jejunia & Festa geminasse, sicut geminabant remotissimi? At quanta illa fuisset difformitas in ipsamet Terrâ Sanctâ, si talia Hierosolymis unico die obita fuissent, biduo autem in locis non ultra octo vel decem leucas inde remotis? Impugnatio 6.

Septimò denique, hîc etiam locum habet, quod suprà dicebamus de mirabili varietate motuum Lunæ. Ex eâ enim fit ut hæc, seclusis nubibus aliisque impedimentis, subinde paucis post conjunctionem horis videatur; subinde nonnisi uno post illam die, subinde altero, imò & tertio & quarto; ut ex Albategnio, Purbachio, Reinholdo, Nonio, Magino, Barocio, Kepplero, accuratè declarat Ricciolus, *lib.* 4 *Almagesti Novi*, *cap.* 3. Quàm inconsultè igitur à Judæis nullâ Dei lege adactis admissa fuisset tam varia, tam inconstans, & tam desultoria Regula Mensium, quibus nihil in vitâ civili debet esse ordinatius, maximè in eâ Republicâ, quæ sua Festa, sua jejunia, reliquasque Religiones ad certos dies restrictas habeat? Quod si dicas Synedrium huic incommodo occurrisse, nulli Mensi dies plusquam triginta tribuendo, & Neomeniam indicendo, si Luna die tricesimo conspicua non fuisset: jam eo ipso fateris Judæos ad phasim Lunæ non fuisse præcisè obstrictos; sed methodum aliam adhibuisse. Quamnam autem aliam quàm Cyclicam? Ex his omnibus absurdis & incommodis maximis facilè deducitur nullam veri speciem inesse narrationi supradictæ Thalmudicorum, habitâ præsertim ratione sæculi quo Christus vixit, dum scilicet adeo perspecta esset vulgò mensura Mensis Lunaris non ita longè recedens à vero. Impugnatio 7.

Satagit nihilominus pro Thalmudistis Langius, objicitque duo loca ex Philone, quorum altero dicitur *Sol in Novi-lunio incipere Lunam splendore sensibili illustrare:* altero autem, *Neomeniam* esse *post conjunctionem, quæ est secundum aliquam Lunam novam.* Objicit & locum ex Clementis Alexandrini *Stromate* 6, ubi inducitur S. Petrus Apostolus ad hunc modum loquens de Judæis: *Nisi Luna apparuerit non agunt Sabbathum, quod dicitur primum, neque Neomeniam agunt, neque Azyma, neque Festum, neque diem magnum.* Hæc insuper exaggerat Langius ex eo, quòd Rabbi Judas Kakkadosch, Author Mischnæ Thalmudicæ, non sit nisi circiter 160 annis posterior Christo, & citet Rabbinos illi coævos, nominatim Gamalielem S. Pauli præceptorem, qui in Thalmudo dicitur solitus examinare testes de phasi Lunæ, propositis variis ejus schematibus, quæ in suâ mensâ, & parietibus sui conclavis depinxerat. Langii studium pro Thalmudistis.

Sed

Retunditur

Sed duo illa Philonis loca accipi commodissimè possunt non tantùm de Neomeniâ Astronomicâ, sed etiam de Cyclicâ; adeoque pro phasi non sunt satis efficacia. Locus Clementis Alexandrini desumptus est ex libro apocrypho concionem illam temerè tribuente S. Petro. Is qui illam finxit, potuerit attendere morem Judæorum Regionis in quâ scribebat. Hi enim, post Templi ac Urbis eversionem, cùm toto Orbe vagi essent, nec ad manum haberent methodum, quâ, stante Templo, usi fuerant majores eorum in definiendis Neomeniis, mirum non est si aliquibus in locis ad Lunæ phasim confugerint. Præterea cùm verbis allegatis agatur generatim de *Festis*, ac speciatim de *Azymis* &c, quæ à Lunæ phasi non pendent secundum se, alius sententiæ illi subesse debet sensus, quàm is quem subesse vult Langius. Quidam etiam locum illum explicant de Judaicâ Karræorum sectâ, qui ab aliis popularibus suis, variis in rebus discrepabant, ac nominatim Traditiones rejiciebant, quibus illi tantopere adhærebant, qui incolebant Terram sanctam.

CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

Ostenditur Judæos ex Cyclis Lunaribus suas Neomenias determinasse.

Judæi Cyclis usi.

ADmisso jam suprà anno Judaico ad Lunam conformato, rejectâque Neomeniarum designatione tam ex Lunæ phasi, quàm ex calculis Astronomicis, seu verorum, seu mediorum motuum, superest ut dicamus Judæorum Menses fuisse popularibus aliquibus Cyclis definitos. Facilè id suadet tum plena partium enumeratio, quarum duas jam exclusimus; tum aliarum methodorum seu operositas nimia, seu etiam moralis impossibilitas, antea demonstrata; tum receptissimus apud varios populos diu ante Christum, Cyclorum usus, nominatim apud Græcos, sub quorum jugo satis diu gemuerunt Judæi, ut Cyclicam Mensium Annique rationem accipere potuerint. Horum Cyclorum præcipuos recenset Censorinus, *lib.* 1 *de Die natali*, *cap.* 18, & ex eo Scaliger, *lib.* 2 *de Emendat.* Petavius, *lib.* 2 *de Doct. Temp.* Langius, *lib.* 1 *de Annis Christi*, Ricciolus, *lib.* 4, *cap.* 19. aliique passim. Aliquo ex illis Cyclis, aut alio quopiam simili usos esse Judæos Christi sæculo, tamquam indubitatum sumunt Antiqui Scriptores, dum has materias attingunt; uti & non pauci ex Recentioribus.

Cycli passim recepti erant tempore Christi, & ante illud.

Octaëteris olim usurpata tum à Judæis, tum à primis Christianis, juxta varios.

Africanus, qui secundo post Christum natum sæculo scripsit in Palæstinâ, Octaëteridem Judæis tribuere videtur in Fragmento recitato ab Hieronymo *in caput* 9 *Danielis*, ab Eusebio, *lib.* 8 *Demonst. Evang.* à Georgio Syncello, *pag.* 322 *Chronogr.* Ita enim loquitur: *Tam Græci, quàm Judæi, tres menses intercalares annis octo interserunt.* & paulò pòst: *Ex trimestribus itaque Octaëteridi interjectis, &c.* Eamdem Judæis apertè adscribit Paschasinus, *in Epistolâ ad S. Leonem Magnum*, ubi & totam ejus rationem explicat. Item Cedrenus, *pag.* 161 *antiqua edit.. Græcolat.* &, post Samuelem Petitum, Gerardus Joannes Vossius

Vossius, *in Dissertat. de Tempore Dominicæ Passionis*, *num.* 16. Aliunde verò satis constat, primis Ecclesiæ temporibus Octaëteridem receptissimam fuisse; ut patet tum ex Epistolâ Dionysii Alexandrini, de quâ Eusebius, *lib.* 7 *Histor. cap.* 15; tum ex Epiphanio, *Hæresi* 70, *quæ est Audianorum*; tum ex Sozomeno, *lib.*7. *cap.* 18. tum ex variis quæ adfert Bucherius, *Comment. in Canonem Paschalem Victorii*, *& alibi*: ut proinde existiment nonnulli vetustissimos Christianos eam à Judæis accepisse. Certè S. Hippolyti Canon Paschalis anno Æræ Vulgaris 222 conscriptus, nihil aliud est, quàm Octaëteris aliquoties repetita.

Enneadecaëteridem, seu Cyclum decennovennalem, per Judæos ad Nicænos Patres pervenisse, insinuat Beda, *lib. de Ratione Temp. cap.* 41, dum ait Patres illos, *indissolubilem communium annorum & embolismorum statum inviolabiliter observandum divinæ Legis authoritate, Hebræis tradentibus agnovisse.* Idem passim supponere videntur tum Computistæ Græci ac Latini, ut S. Maximus, Beda, &c. tum Chronologi, ut Georgius Syncellus, Chronologus Alexandrinus, &c. dum Paschata Judaica, ac nominatim illud quo Christus cruci affixus fuit, revocant ad calculos sui Cycli decennovennalis. Idem disertè docet Scaliger, *lib.* 2 *de Emendat. citato*, *pag.* 101, *& seqq.* ubi censet Judæos, antequam Græcis subessent, novæ Lunæ phasim observasse ad designandas suorum Mensium Calendas; postea verò Lunaris anni Macedonici formâ Cyclicâ usos, Calippicâ scilicet, quatuor Enneadecaëteridibus constante. Saltem Cyclum decennovennalem non fuisse olim Judæis ignotum, satis indicant Capitula vulgò, sed falsò, attributa Rabbi Eliezeri genero Gamalielis Senioris Præceptoris S. Pauli, de quibus vide Rabbi Abraham Zachut, *fol.* 52 *libri Juchasin*, Buxtorfium, *in Bibliothecâ Rabbinicâ*, *litterâ Pe.* Morinum, *Exercit.* 1 *in Pentateuchum Samaritanum*, *cap.* 3. — Alii illis Enneadecaëteridem tribuunt.

Cyclus Annorum 84 quàm est apud Ethnicos Scriptores obscurus, tam est apud Christianos veteres & quosdam ex Judæis celebris. Ex his Rabbi Eliezer, seu quisquis alius est Author antiquus Capitulorum de quibus suprà, fusè & ex professo Cyclum hunc explicat, & olim à suis Judæis usurpatum apertè significat; ut vel inde satis pateat Rabbinum illum nullam fidem adhibuisse iis quæ à Thalmudistis narrantur de Neomeniâ olim, & tempore Christi ex novæ Lunæ primâ apparitione indictâ. E Christianis Epiphanius hunc Cyclum Christi ætate Judæis familiarem fuisse asserit *Hæresi* 51, ejusque methodum tradit, subobscurè tamen; sive ob textûs corruptionem, sive ob illius mutilationem. Neutra nihilominus tanta est, quin Sancti Scriptoris mens ex ejus verbis, ut nunc leguntur, utcumque extundi possit. In arduum hoc opus primus egregiam operam contulit Kepplerus, *in Eclogis Chronologicis*, *pag.* 177, *& seqq*; post hunc Petavius, *in Animadvers. ad Epiphanium*, *pag.* 160 *& seqq.* ac Bucherius, *Tract. de Paschali Judæorum Cyclo.* Obiter autem hic observandus mirus consensus Epiphanii cum Rabbi Eliezere in definiendo modo anni Lunaris Judaici, cui uterque dies 354 & horas præcisè octo tribuit, neglectis tribus circiter horæ quadrantibus, qui suprà excurrunt, & ab aliis addi solent. — Cyclus Annorum 84 olim apud Judæos celebris;

Primorum annorum Christianos Periodum hanc Cyclicam Annorum 84 à Judæis sumpsisse, & ex eâ sua Paschata certis diebus consignasse, sæpiùs inculcat — Item apud primos Christianos

 Bucherius,

Bucherius, *tum Comment. in Victorium, tum Tractatu cit.* Certè Anatolius, qui circa Annum Dionysianum 270 floruit, hujus Periodi meminit, *in Prologo sui Canonis Paschalis*, viderique potest significare haustam ex Judæis, quorum ibi mentionem facit. * Meminit & Cyrillus Alexandrinus, *in Prologo pro Cyclo Theophili*, ubi etiam scribit Periodum annorum 84 ab illis *institutam* (seu usurpatam) *qui Judæorum pravitati respondere conati sunt*: nimirum à concessis, & ad hominem argumentando contra illos. Prosper, *in auctiore suo Chronico*, dum usum Cycli hujus ab anno 46 Vulgari repetit, satis apertè significat Judæis olim familiarem fuisse; & ab his ad Christianos transiisse. Paschasinus, *in Epistolâ ad S. Leonem Magnum*, hanc annorum 84 Periodum, *Romanam supputationem* vocat. Et verò illam Romæ inolevisse, saltem usque ad editionem Victoriani Canonis Paschalis, pluribus docet Bucherius, *Comment. in Canonem illum Victorii*. Victorius ipse, *in Prologo sui Canonis*, dum receptiores suâ ætate Cyclos Paschales recenset, eum primo loco statuit, qui est annorum 84. Hunc necdum Anno Vulgari 664 universim exolevisse, luculentus testis est Beda, *lib. 2. Hist. Angl. cap. 2, juncto cap. 25 libri 3.* Vide & Epistolam Althelmi Abbatis inter S. Bonifacii Epistolas editam, quâ refert Cyclum hunc à quodam Sulpitio Severino (an fortè, Severo?) descriptum.

Cyclus Epiphanianus Annorū 84 idoneus ad id quod agimus; sed cum limitatione.

Ex dictis tam hoc capite, quàm aliquot præcedentibus, satis manifestè videtur confici Judæos suas Neomenias, adeoque & Festa certis suorum Mensium diebus affixa determinâsse olim ex Cyclo aliquo Lunari inter ipsos recepto. Quis autem ille fuerit, dummodo non levi defectu (forte cum aliis veteribus Cyclis communi) laborâsse dicatur, nostrâ non admodum interest. Sed cùm Cyclus Epiphanianus annorum 84 à tot Antiquis, quoad substantiam, testimonium habeat, sitque in se, ad id quod agimus, satis idoneus; poterit nobis esse usui in præsenti negotio: ita tamen ut perpetuò meminerimus eorum, quæ suprà, *cap.* 20, dicebamus de magnâ, quâ utebantur Judæi, libertate in refingendis interpolandisque suis Mensibus, ac differendo subinde Paschali Mense Nisan, variis ex causis: adeoque Neomeniæ non sint indispensabiliter iis præcisè diebus affixæ, quibus in Bucherii aut Petavii Tabulis affiguntur.

Natura hujus Cycli.

Ea verò est hujus Cycli natura, ut labentibus annis paulatim vitium contrahat anticipationis, quâ Lunationes ab illo designatæ, primùm uno, deinde duobus, mox tribus, ac tandem pluribus diebus prævertant Neomenias cælestes: nisi certis temporibus, postquàm scilicet discrimen nimis enormiter excrevit, occurratur. Nominatim Anno 31 Vulgari (ut ex Bucherii Tabulis liquet, testaturque Epiphanius *Hæresi 51, num. 27*) ascenderat aberratio illa ad biduum, triduúmve.

Objectio.

Dum igitur ab Astronomicæ methodi patronis objicitur, die 23 Martii Anni 31 Vulgaris quo Christum passum contendimus, Lunam toto quatriduo abfuisse à Pleni-lunio Astronomico, quod in Feriam dumtaxat tertiam sequentem incidit, diemque Martii 27: adeoque non potuisse die illo 23 celebratum fuisse Pascha Pleni-lunio affixum, aut etiam Paschatis pervigilium:

Responsio prima.

Respondemus *primò*, argumentum niti Hypothesi falsâ, & satis suprà refutatâ, de Paschate incidente in Pleni-lunium Astronomicum, quod subinde decimoquinto, subinde decimo-sexto, subinde decimo-septimo die à Neomeniâ contingit;

tingit; ideoque ineptum est ad designandum diem decimum-quintum à Neomeniâ, affixum Solemnitati Paschali. *Secundò*, cùm illius Mensis Novi-lunium Astronomicum (quod, ut suprà ostendimus, ante omnia attendi deberet in methodo Astronomicâ) eo anno contigerit die 12 Martii, sesqui-horâ post mediam noctem, Hierosolymæ respectu; si ex eo esset æstimanda Luna 15, non incidisset Festum Paschale in diem Martii 27, sed in 26, & Feriam secundam; solius bidui discrimine à Paschate, quod suprà, dici 24 Martii affiximus. *Tertiò*, cùm Cyclus Judaicus, tempore Passionis Christi, toto triduo Novi-lunium cæleste anteverteret (ut jam dicebamus) adeoque Neomenia Civilis Martii eo anno incurrerit in diem 9 illius Mensis; sequitur Lunam 14 Cyclicam & Civilem fuisse die 22, & Feriâ 5, quâ antea dicebamus Agnum Paschalem à Christo ac plerisque Judæis manducatum. *Quartò*, sequitur ulteriùs die 23 Martii, Feriâ 6, quâ Christum cruci affixum fuisse asserimus, debuisse (attentâ Neomeniâ Civili) celebrari Festum Paschatis; sed Sacerdotes, ex causis suprà explicatis, in eum diem distulisse suum Agni esum; ac in diem sequentem Martii 24, ac Sabbathum, celebritatem Paschalem rejecisse. Atque ita facillimâ distinctione Neomeniæ Cyclicæ ac Civilis ab Astronomicâ, enervatur argumentum illud, quorumdam nimis præcipiti judicio, invictum. Eâdem facilitate dissolvitur argumentum eorum, qui nos ex Novi-lunio per primam Lunæ apparitionem definito impugnant: cùm enim determinationem illam Neomeniæ suprà everterimus, nullius roboris censeri debet impetitio illi innixa.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Quòd si cuipiam incredibile videatur Cyclum Judaicum tunc toto triduo à cælesti Neomeniâ discrepare potuisse; næ ille his in rebus se planè peregrinum fateatur necesse est. Ipsamet siquidem Ecclesia Catholica, multo majori lumine à Deo perfusa, post suos Cyclos aliquoties recusos, vitare non potuit, quin, ante Gregorium XIII, *Aureus*, quo utebatur, *Numerus*, quatuor aut quinque diebus à cælesti Novi-lunio deviaret, sæpiusque solemnitas Paschalis contra Patrum Decreta celebraretur. Imò & nos hodie, post tot molimina totius Europæ, post tot subsidia à præstantissimis Astronomis subministrata, post tot cautiones & Æquationes, vitare non possumus quin subinde in indicendâ per Epactas Neomeniâ biduo discrepemus à Syzygiâ Astronomicâ; ut disertè agnoscit Clavius, *cap.* 18 *Explic. Calend.* Hanc ob causam idem Clavius, *ibid. cap.* 4, ipseque Clemens VIII, *in Bullâ Calendario præfixâ*, monent satis esse debere, si Cyclus aliquis adhibeatur, qui non nimis enormiter diffideat à cælo. Vide Cyrillum Alexandrinum, *in Prologo*, ubi ostendit Romanos Cycli Annorum 84 ab ipsis reformati sectatores, triduo antevertisse Neomenias Nicænas, tunc haud paulò exactiores. Vide & Bedam, *lib. de Rat. Temp. cap.* 41, ubi postquam sibi objecit Lunam novam subinde suâ ætate visam fuisse biduo antequàm ex Cyclo Ecclesiastico indiceretur Luna prima: respondet talia non latuisse Nicænos Patres; sed eos, ad declinanda quædam incommoda, censuisse id tolerandum. Addit, hoc etiam divinitùs confirmatum fuisse, dum Angelus S. Pachomio litteras Cyclo illi conformes ad Pascha indicendum dictavit.

Quàm non sit incredibile Cyclos Judaicos, toto triduo deviasse à veris Novilunüs.

Ad extremum, sicut sæculis proximè elapsis sæpiùs à vero aberrâsset, qui ex Tabulis Astronomicis Pascha Catholicorum investigâsset; eo quòd non ex illis, sed ex

Cycli Judaici necessarii ad de-

signanda eorum Paschata.

sed ex Cyclis vitiatis penderet Pascha: ita necesse est eos in Paschate Judaico designando sæpiùs nunc falli, qui aliâ methodo, quàm Cyclicâ Christi temporibus receptâ, illud quærunt.

CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

Solvitur Objectio petita ex Æquinoctio Verno.

Antiqui docentes Pascha celebrandum post Æquinoctiū, vel in Æquinoctio, ambo Agathobuli Aristobulus Josephus, Clemens Rom. Epiphanius.

Nititur hæc Objectio testimoniis plurium Veterum, quà Judæorum, quà Christianorum affirmantium Pascha solitum à Judæis celebrari Sole in Arietem ingresso, & post Æquinoctium Vernum. Ex his ambo Agathobuli, Magistri illius Aristobuli, qui dicitur fuisse unus ex Septuaginta duobus Veteris Testamenti Interpretibus, asserunt apud Eusebium, *lib. 7 Hist. cap. 26*, & apud Anatolium, *in Canone Paschali*, *Pascha post Æquinoctium Vernum immolari debere, in primâ Zodiaci sectione.* Addit autem Aristobulus *ibidem*, *in Festo Paschatis non modò Solem, sed & Lunam etiam necessariò debere esse in transitû sectionis Æquinoctialis*, &c. *ita ut Luna semper Soli ex adverso consistat, sicut etiam in omnibus Pleni-luniis cernere licet, & Autumnalis Æquinoctii partem occupet.* Josephus quoque, *Antiq. lib. 3, cap. 10: Mense Xanthico, qui apud nos Nisan vocatur, & Anni principium est, die 14 secundùm Lunam, Sole consistente in Ariete*, &c. *Pascha quotannis sacrificare Lege jubemur.* E Christianis Clemens Romanus, *lib. 5 Constit. cap. 16*, docet Pascha semper post Æquinoctium Vernum celebrari debere. Item Epiphanius, *Haresi 70*, aliique complures.

Hinc argumentum contra nos;

Hinc contra nos formatur argumentum ad hunc modum: Anno 31 Vulgari Æquinoctium Vernum contigit horis ferè quatuor post meridiem diei 23 Martii, juxta Tabulas Ptolemaicas, & respectu Hierosolymæ. Non potuit igitur die 22, tamquam tempore legitimo, manducari Pascha tàm à Christo, ejusque Discipulis, quàm à Judæorum plerisque, prout suprà asserebatur. Similiter Luna, tunc in Leone degens, plusquam uno integro signo aberat ab Æquinoctio Autumnali, & ab oppositione cum Sole. Non potuit igitur tunc immolari Agnus Paschalis Lunâ necdum existente in Librâ.

Prima solutio argumenti.

Stabilitur ex Canone Apostolorum, aliisque Scriptoribus.

Ad priorem difficultatem de Æquinoctio Verno, & ingressu Solis in Arietem, respondetur primò Judæos non ita scrupulosè & Astronomicè hæc considerasse pro celebrando suo Paschate; sed rudiore quodam modo, ad usum civilem accommodato, cuicumque demum diei affixerint suum illud Æquinoctium politicum, de quo mox. Non gratis hæc dici, satis ostendit Canon Apostolorum in hæc verba conscriptus: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, sacri Pascha diem ante Vernum Æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur.* Clemens Romanus, *loco cit.* testatur Judæos in temporum computatione errasse; & dum addit, Pascha nostrum semper post Æquinoctium Vernum celebrari debere; satis indicat eos illud subinde prævertisse. Patres Synodi Cæsariensis in ipsâ Palæstinâ celebratæ secundo Christi sæculo, quamvis Æquinoctium Vernum

num figant in die 25 Martii, nihilominus statuunt Christum fuisse cruci affixum die 23 ejusdem Mensis; & proinde satis declarant, Judæos non adeò præcisè Æquinoctii cardinem attendisse. Constantinus Imperator, *in Epistolâ quam recitat Eusebius, lib.* 3 *de ejus Vitâ*, similes aberrationes in Paschatis celebratione palàm ac sæpius Judæis exprobrat. Epiphanius, *Hæresi* 70 *cit.* postquam dixit Pascha ante Æquinoctium celebrari non posse; subdit: *Quod Judæi nequaquam observant, apud quos depravata ac perturbata sunt omnia.* Proterius, *in Epistolâ ad S. Leonem: Judæi ignorantes Dominum, tempus quoque Paschæ ignorant.* Ambrosius, *Epistolâ* 83 *cit.* ait *Judæos*, anno Vulgari 387, *tertio decimo Calendas Aprilis*, seu 20 Martii, *celebraturos Pascha*: utique ante Æquinoctium Civile, tunc vulgò affixum diei 21 Martii; imò & ante Æquinoctium Astronomicum juxta Tabulas Ptolemæi eâ ætate receptas. Theophilus Alexandrinus, *in Prologo de S. Paschate, ad Theodosium*, apertè significat *Hebræos Vernæ immutationis* (quæ fit in Verno Æquinoctio) *ignorâsse initium.*

Neque leviter confirmatur illa Æquinoctii anticipatio ex eo, quòd vetustissimorum Christianorum non pauci Neomeniam Paschalem citimam affigerent diei quinto Martii; ut declarat Bucherius, *in Comment. ad Canonem Paschalem tum Victorii, tum Hippolyti*: ex quo necesse erat, ut sæpiùs Pascha obirent ante Æquinoctium cæleste. Cùm autem ex iis, quos paulò ante citabamus, pateat reprehensiones quas adhibent dirigi ad Christianos Judæorum imitatores, Æquinoctium prævertentes: satis clarè conficitur Judæos non tantùm in eâdem culpâ fuisse, sed antiquioribus Christianis ad errorem præivisse, tam altè repetitâ Neomeniâ Paschali. Vide Bucherium, *in Tractatu de Paschali Judæorum Cyclo*, *cap.* 4, *Tab.* 5 *&* 6, ubi conformiter Cyclo Judaico Annorum 84, diem primum Nisan affigit subinde diei 5 Martii, diem autem 14 Nisan esui Agni destinatum diei 18 Martii. Adde quod cùm Moyses, nec Æquinoctii Verni, nec ingressûs in Arietem meminerit; sed tantùm Mensis novarum frugum; facilè potuerint sibi persuadere se ad exactissimam ejus rei indagationem minimè adstringi; sed satis esse si rudiore quâpiam ratione attenderent Æquinoctium, sub cujus tempus constabat eorum Majores ex Ægypto egressos fuisse, ut rectè observat Clavius *in Calendario, cap.* 4.

Item ex antiquo Calêdario Christianorum veterum, ipsorumque Judæorum.

Sed nihil, opinor, Judæos in illâ Æquinoctii veri anticipatione magis confirmârit, quàm antiquissima, Christique ævo receptissima persuasio de Sole in Arietem ingrediente die 18 Martii; prout patet, tum ex vetustissimis Calendariis editis à Rosino, Hervarto, Petavio, aliisque; tum ex Ovidio, *libro* 3 *Fastorum*, *in fine*; tum ex Columellâ, *lib.* 9, *cap.* 14. item ex *Commentario in Arati Phænomena, qui Germanico tribui solet.* Plinio, *lib.* 18 *Hist. cap.* 25. Servio, *in lib.* 1 *Georgic. ad versum* 205. Falsa quidem erat persuasio illa (si universim sumatur) tum Christi ætate, tum plurimis ante illam annis; sed adeò universalis, ut facillimè Judæorum animis insidere potuerit ex commercio cum Romanis Dominis suis eâ præoccupatis. Quæ istius erroris origo fuerit, non est necesse hîc à me explicari: ideoque supersedeo.

Antiquus error de tempore ingressûs Solis in Arietem.

Potuerit quoque ad id quod jam dicebamus, conferre, nec parùm, anni Romani luxatio toto eo tempore quo Regnavit Herodes, imò & aliquot post ejus

Probabilis altera occasio erroris Judæorum.

 mortem

mortem annis. Ex eâ enim factum est ut Æquinoctium Vernum, etiam Astronomicè spectatum, aliquando inciderit in diem 20 Martii, qualis tunc in usu erat. Hinc autem facilè secutum fuerit, ut etiam post restitutum ab Augusto Calendarium, Æquinoctium Vernum Civile manserit huic diei 20 apud Judæos affixum; licèt aliquot diebus seriùs reipsâ & Astronomicè contingeret: nam adeò rudis tunc vigebat modus observandi Æquinoctia, ut in eum facillimè caderet error, prout communissimè declarant Astronomi, qui hodieque in iis exactè observandis laborant.

Secunda solutio argumenti.

Respondetur *secundò*, Æquinoctium Astronomicum non posse intra unici diei carceres concludi; ac reipsâ circa Christi Passionem jam die 22, jam 23 Martii contigisse. Cùm autem usus Civilis ad minutias Astronomicas adstringi nullo modo debeat, moraliter constare videtur, Judæos (si quis omninò contendat eos paulò majorem Æquinoctii cælestis rationem habuisse) alterutrum horum dierum delegisse, cui suum Æquinoctium Civile affigerent. Quo casu nobis licebit delecto, in pari causâ, die 22, totam hanc difficultatem nullo negotio dissolvere. Et verò Clemens Romanus, *loco cit.* delectum hunc omninò confirmat, dum Æquinoctium Vernum tribuit diei 22 *Mensis Dystri*; quem constat apud Clementem, uti & apud Chronologum Alexandrinum, plenè cum Martio componi. Vide speciatim fusius Fragmentum Eusebio attributum ab Anastasio Sinaita, *Quæst.* 93 *in Sacram Scripturam*.

Confirmatur.

Fiet hæc diei 22 electio ex illo etiam capite credibilior, si dicantur Judæi, Æquinoctii tempus accepisse ab Astronomis dies suos supputantibus à meridie ad meridiem. Nam annis Christi Passioni vicinis incurrebat plerumque Æquinoctium, juxta Ptolemæi Tabulas, in diem 22 Martii eâ ratione definitum. Denominatiò autem à majori & potiori parte desumitur.

Tertia solutio argumenti.

Respondetur *tertiò*, Rabbi Majemonidem, aliosque Thalmudistas, apud Petavium, *lib.* 2. *de Doct. Temp. cap.* 30, testari suos populares olim non ita rigidè expectasse Æquinoctium, ut Agnum Paschalem immolarent; sed credidisse sibi licere uno die illud prævertere: adeo ut satis foret, si vel decima quarta, vel decima-quinta Luna cum Æquinoctio concurreret. Quo dato, sponte corruit argumentum suprà in nos contortum. Anno siquidem Vulgari 31 contigit Æquinoctium Vernum die 23 Martii sub quartam pomeridianam Hierosolymis, quo die Pontifices, aliique, Agnum manducarunt; Christus verò pridie cum plerisque Judæis: utrique conformiter Canoni illi Judaico; idque eo magis, quòd illa extraordinariè geminata manducatio pro unicâ moraliter censeretur.

Solutio posterioris partis objectionis.

Ad posteriorem difficultatem de oppositione Lunæ & Solis, dico oppositionem illam non Astronomicè æstimandam esse; sed Cyclicè; seu, habitâ ratione ætatis Lunæ secundum Neomeniam Cyclicam æstimatæ. Sicut igitur calculo Astronomico Luna Soli esse solet opposita ad diem 15 à Neomeniæ, seu conjunctionis cælestis momento supputatum: ita Calculo Cyclico censetur Soli opposita ad diem 15 post Neomeniam Cyclicam. Quare Anno 31 Vulgari sicut Sol die 24 Martii (quo celebratum est Festum Paschale) tam Civili, quàm Astronomicâ consideratione versabatur in Ariete: ita Luna suo illo decimo-quinto die Cyclico censebatur versari in Librâ, & esse Soli opposita; quamvis & à Librâ, & ab

& ab oppositione adhunc longiusculè abesset.

Ex dictis colliges, benignâ interpretatione leniendum esse, quod ex Aristobulo, initio capitis allegatum est de Paschate celebrando *in transitu sectionis Æquinoctialis, &c.* Cùm enim Pleni-lunia Paschalia jam paucioribus, jam pluribus diebus plerumque sequerentur Æquinoctium, non poterat Pascha ipso Æquinoctii die semper celebrari. Tantùm igitur vult Æquinoctii tempus antevertendum non esse, ad sensum paulò antè hîc explicatum.

Benigna interpretatio Aristobuli.

Quæ hoc & superiori capite dicta sunt tum de politico Solis ingressu in Arietem, non attento Astronomico; tum de Lunâ Cyclicâ pluribus diebus discrepante à Cælesti; tum de utriusque Luminaris loco in Zodiaco juxta popularem acceptionem longè diverso ab Astronomico; non parum lucis accipere poterunt à duobus exemplis, altero petito ex vetere Calendario Romano, altero ex novo Gregorii XIII, si modò in memoriam revocemus Æquinoctium Vernum, ante nuperam Reformationem Calendarii, paulatim procedentibus annis fuisse à die 21 Martii, cui à Patribus Nicænis affixum erat, prolapsum ad diem 11 aut etiam 10 ejusdem Mensis: Cyclos autem Lunares Aurei Numeri tantam labem passos esse; ut passim in Officiis Ecclesiasticis denuntiaretur Luna prima, dum jam à quinque aut sex diebus celebratum esset Novi-lunium cæleste. Eo mirabilior erat illa diversitas, quòd Eclipses Solares (quibus nullum est palpabilius indicium Novi-lunii ac Lunæ primæ) omnium oculis paterent: eóque non obstante, quinque aut sex diebus seriùs indicaretur publicè Luna prima Cyclica: eademque est ratio de Lunâ 15 Cyclicâ comparatâ cum decima quinta cælesti, aut cum Eclipsibus Lunaribus omnium aspectui subjectis. Quemadmodum autem tunc ab Ecclesiâ non attendebatur Luna cælestis; sed Cyclica, quantumvis longè aberrans: ita nec attendebatur Æquinoctium cæleste jam prolapsum ad dictos dies Martii; sed politicum affixum, ut jam dicebamus, diei 21 ejusdem Mensis. Ex his fiebat ut Lunæ decimæ quartæ cælestes incidentes in diem v. g. 11 Martii, aut in alium aliquem ex novem insequentibus proximè diebus; quamvis ex eo capite possent esse Paschales, quòd vel inciderent in Æquinoctium cæleste, vel essent eo posteriores; Paschales tamen ex usu Ecclesiæ non essent: eo quòd essent priores Æquinoctio Ecclesiastico & Civili hærente constanter in jam dicto die 21 Martii, qui est citimus Terminus Paschalis ex Ecclesiæ decreto.

Ecclesia toleravit diu discrimen notabile sui Æquinoctii & Plenilunii ab Astronomico.

Applicentur hæc Anno Æræ Vulgaris 1554, exempli gratiâ, quo Æquinoctium cæleste fuit die 11 Martii, Littera Dominicalis G. Cyclus Lunæ XVI affixus diei octavo Martii, contigitque Novilunium Astronomicum die 3 ejusdem Mensis, die autem 18 Plenilunium itidem Astronomicum, Solemnitas Paschalis die 25. His positis, statim patet *Primò*, Solem Calculo Ecclesiastico existimatum fuisse ingredi Arietem die 21 Martii; cùm jam totis decem diebus antea esset eum ingressus. *Secundò*, Lunam primam Cyclicam incidisse in sextam Astronomicam; & consequenter decimam quartam Cyclicam in decimam nonam Astronomicam. *Tertiò*, Lunam illam non ideo Paschalem fuisse, quòd ejus Plenilunium Astronomicum contigisset post Æquinoctium cæleste (alioqui enim Anno, verbi gratiâ, 1557, quo Æquinoctium incidit in diem 11 Martii, Pleni-lunium autem in diem 14, eúmque Dominicum, debuisset eo die Pascha celebrari;

Ostenditur exemplo Anni 1554, ante Calendarii reformationem.

celebrari; quod tamen nonnisi die 18 Aprilis celebratum fuit: & ita de aliis quàm plurimis) sed ideo præcisè, quòd ejus dies 15 Cyclicus, congruens diei 22 Martii, esset posterior Æquinoctio Civili, seu die 21 ejusdem Mensis. *Quartò*, Lunam die illo 22 Martii, quo juxta calculum Ecclesiasticum censebatur esse plena, adeoque Soli diametraliter opposita, abfuisse ab illâ oppositione, plusquàm integro Signo cælesti: cùm ad eum diem Sol versaretur in undecimo gradu Arietis, Luna autem in vigesimo Scorpii. Quæ omnia tam diu tolerata fuisse in Ecclesiâ qui attentè perpenderit; facilè sibi persuadebit non esse temerè rejicienda ea, quæ suprà diximus de multo minore Æquinoctii politici à cælesti, & Lunæ Cyclicæ ab Astronomicâ discrimine apud Judæos sub Christi Passionem.

Prætensus error Ecclesiæ objectus in celebratione Paschatis Anni 1666.

Alterum exemplum profero ex Calendario Gregoriano necdum ab annis 90 reformato, adhibitis præstantissimis totius Orbis Mathematicis, & incredibili diligentiâ; ut liquidò appareat opus non esse plurium sæculorum lapsu ad notabilem aliquam Calendarii deviationem. Anno Æræ Vulgaris 1666, quo mira à multis prodigia expectabantur, ex nescio quibus nonnullorum otiosorum figmentis, unum reipsâ in negotio Computûs Paschalis contigit ex merâ ejus ignorantiâ, quod totam Europam commovit. Repertus enim est, & quidem in ipsâ Urbe Româ, quidam *Josephus de Tertiis ex Minimis, J. V. D.* qui edito libello veritus non est, ipsum Summum Pontificem Alexandrum VII compellando, accusare Clavium (veriùs Calendarium Gregorianum) de maximo & piaculari defectu, & contendere Pascha illius anni nonnisi erroneè celebrari potuisse die 25 Aprilis, quo reipsâ celebratum fuit. Quin & ausus est obsecrare Pontificem, *ne ampliùs in posterum nos Christicolæ sub anathematis vinculo implicati alligemur, & à pænâ infernali simus immunes, ut ore sacro jubeat quatenùs singuli Christicolæ in posterum celebrare debeant solemnissimum Paschatis Festum post 19 Martii, primi Mensis Lunâ completâ, Dominicâ tamen ilicet sequente.* Congerit eam in rem tum varia Sacræ Scripturæ loca, quibus jubetur Pascha Mense primo Verni temporis celebrari; tum variorum Conciliorum anathemata in ejus Decreti violatores. Addit denique magnas calamitates Orbi Christiano supervenisse, quotiescumque Pascha tempore non legitimo celebratum fuit.

Occasio ejus.

Occasio tantam tempestatem excitandi fuit, quòd observâsset Josephus Æquinoctium Astronomicum anno illo incidere in diem 20 Martii Sabbathinum, manè: Pleni-lunium autem similiter Astronomicum post meridiem ejusdem diei; adeoque post initium Veris Mathematicè consideratum. Cùm autem aliàs legisset illud esse Antiquis Patribus Pleni-lunium Paschale, quod proximè post Æquinoctium contingit; &, si dies Pleni-lunii Dominicus non fuerit, sequente Dominico celebrandum Pascha; pronuntiavit illud eo anno ab Ecclesiâ celebrari debuisse 28 Martii, non autem differri in 25 Aprilis.

Nullitas objectionis illius.

Non semel in his peccat Doctor ille. Nam *in primis*, si consequenter locutus foret, debuisset solemnitatem Paschalem non differre in 28 Martii; sed figere in 21 ejusdem Mensis; qui dies & Dominicus erat, & posterior tum Æquinoctio ac Pleni-lunio Astronomico; tum die 19 Martii, quem esse vult terminum extrinsecum Festi Paschatis. An non in pleraque incommoda, quæ congerit, incidissemus; si Pascha die illo 28 Martii celebrâssemus? *Secundò*, cùm Æquinoctium

ctium Vernum Astronomicum delabi possit non tantùm ad diem 20 Martii Gregoriani, sed etiam ad 19; malè à Josepho constitutus fuerit hic dies tamquam terminus Paschalis extrinsecus, debueritque potiùs statui dies 18. *Tertiò*, idem Æquinoctium non tantùm descendere potest in Calendario Gregoriano ad diem 19 Martii; sed etiam ascendere ad 23 ejusdem Mensis. Eo casu incidat Plenilunium Astronomicum in diem 20, aut 21 Martii, eumque Sabbathinum: debebitne Pascha celebrari postridie, an non? Si neget Doctor: revincetur manifestè ex antè dictis. Si asserat: celebrabitur Pascha ante Æquinoctium Vernum; atque ita relabemur in omnia anathemata aliaque damna, quæ Ecclesiæ intentabat. An dicturus est Ecclesiam, pro diverso Æquinoctii situ, diversam inire debere rationem constituendi Termini Paschalis? At quàm esset hoc desultorium, & civili modo agendi, ipsâque gravitate Ecclesiæ indignum; ut de aliis incommodis sileam in præsens?

Sapientissimè igitur, & vetustissimo Majorum exemplo, statuit Gregorius XIII, ut Lunæ Paschalis determinatio ex minutiis Astronomicis, de quibus etiamnum inter peritissimos quosque non omninò convenit, nequaquam penderet; sed ex Cyclis popularibus Epactarum, Aurei Numeri loco substitutarum, & ut Æquinoctium Civile diei 21 Martii affixum perpetuò hæreret. Conformiter autem antiquis Canonibus decrevit ne ulla Lunatio censeretur Paschalis, cujus dies primus Cyclicus non esset posterior die septimo Martii; & decimus-quartus posterior die vigesimo ejusdem. Quare, cùm anno illi 1666, ex Calendarii Gregoriani institutione, quadraret Epacta XXIV, affixa diei 7 Martii, & eo die indicans Novilunium Cyclicum, cujus proinde dies decimus-quartus in diem 20 Martii incidens antevertit Æquinoctium Ecclesiasticum; non potuit ea Lunatio, salvis Ecclesiæ legibus, esse Paschalis, nec ad primum Mensem pertinere, sed ad postremum præcedentis Anni Ecclesiastici; ideoque Luna proximè secuta debuit omninò expectari, quæ Solemnitatem Paschalem, juxta Canones jam olim receptos, conferret in diem 25 Aprilis.

Sapiens Ecclesiæ consilium in determinando Æquinoctio, & Paschali Lunatione.

Hæc omnia & singula adeò distinctè, dilucidè, & sæpè explicata fuerunt à Clavio; ut mirum sit tam multos in Italiâ, Galliâ, Germaniâ & Belgio reperiri potuisse, quibus erronea illa Doctoris observatiuncula imposuerit, persuaseritque malè à Clavio, aut potiùs ab Ecclesiâ, quæ per Clavii latus petebatur, indictum eo anno fuisse Pascha in diem 25 Aprilis; cùm luce meridianâ clarius esset id omnino fieri debuisse; nec tales à calculo Astronomico aberrationes possint ullo modo vitari in ullo Calendario, cui Cyclus Lunaris inscriptus sit; prout disertis verbis profitetur Clavius, *cap. 19, sub finem*, ubi nominatim docet, *Æquinoctium non posse ita retineri in die 21 Martii, quin ab eo liberè in utramque partem evagetur.* Item, *velimus, nolimus, cogi nos interdum, ob naturam Cycli, quicumque ille sit, Pascha ex primo Mense modò in secundum, modò in ultimum, seu duodecimum rejicere.* Vide etiam caput sextum & septimum, in quibus ex professo agit Clavius de jam dictâ evagatione Æquinoctii. Vide & uberiorem Doctoris refutationem apud nostrum Theodorum Moretum, *in Disputatione de Lunâ Paschali.*

Objectioni suprà factæ jam dudum occurrerat Clavius.

Æquinoctium Astronomicum non potest figi perpetuò in eodem die.

Corollariũ. Cæterùm, ut suprà etiam monebamus, hinc satis evidenter patet, quod sicut à verò sæpe aberraret, qui ex calculis Astronomicis Paschata Christiana indagaret; ita non posse non aberrare eos, qui Paschata Judaica ex iisdem calculis investigant.

CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM.

Respondetur Objectioni petitæ ex die 25 Martii.

Varii ex Antiquis Mortem Christi tribuunt diei 25 Martii

Item varia Martyrologia.

VArios ex Antiquis diem hunc Passioni deputantibus citavimus *suprà*, maximè autem *cap.* 3. Illorum præcipui sunt Tertullianus, Augustinus, Author Homiliæ de Nativitate S. Joannis, Gregorius Turonensis, Cassiodorus; quibus favet Beda, *lib. de Ratione Temp. cap.* 45. His jungenda Martyrologia complura; Romanum Vetus à Rosweydo editum; in quo ad diem 25 Martii legitur notata Christi Crucifixio. Item Romanum recentius, in quo ad eamdem diem adscribitur Commemoratio boni Latronis simul cum Christo crucifixi. De Christi Passione ei diei jungendâ consentiunt pleraque alia Martyrologia, Hieronymi, Isidori, Usuardi, Notkeri, Rhabani, Wandelberti, uti & Bedæ in recentioribus exemplaribus; sed antiquissima altùm silent. Vide Acta Sanctorum Mensis Martii illustrata ab Henschenio & Papebrochio, *Tomo* 2, *initio*, & *To.* 3, *ad diem 25 Martii*.

Hinc graves in Ecclesiâ côtentiones, & sententiæ quorûdam absurdæ.

Credi vix potest quantas rixas inter Chronologos & Computistas concitarit, & quàm absurdas opiniones pepererit hæc persuasio, junctâ præsertim alteri cuipiam de Lunâ Cyclicâ Dionysianâ, seu decimâ quartâ, seu decimâ quintâ, necessariò concurrente cum die illo 25 Martii. Ex illo enim fonte fluxerunt paradoxa illa dogmata, tum Sigeberti, aliorumque, Passionem referentium ad annum 12 Dionysianum; tum Manfredi & Antonii Dulciati eam majori adhuc errore, tribuentium Anno primo Vulgari: ut interim alias aberrationes omittam. Vide Tostatum, *Parte 2 Defensorii*, *cap.* 19, agentem de contentionibus suâ ætate exortis sub duobus Pontificibus, occasione illius diei 25, quæ nullâ ratione componi potuerint.

Fieri non potest ut Christus sit passus 25 Martii.

Postremum hoc non mirantur viri harum rerum intelligentes: quippe qui probè norint fieri nullo modo posse ut, citra sequelam absurdorum planè intolerabilium, conjici possit Mors Christi in diem 25 Martii. Nam ut hic dies in Feriam sextam incurrat, necesse omnino est ut Mense Martio in usu sit Littera Dominicalis B; hæc autem à morte Augusti ad mortem usque Tiberii, tribus dumtaxat vicibus recurrit: nimirum Anno 18 Vulgari, 29, & 35. De Anno 18, nulla est, nec esse potest controversia inter peritos; cùm sit tantum quintus à morte Augusti, longéque anterior Anno Tiberii quinto-decimo (quomodocumque supputetur) post quem constat Christum passum fuisse. Reliquis duobus annis adeo potenter resistit Lunæ situs ad eam diem; ut neuter ullâ veri specie admitti possit. De Anno 29, jam id ostendimus *suprà*, *cap.* 9. De Anno

35, res

35, res clara est; cùm Luna solo quatriduo tunc abesset à futurâ Conjunctione cum Sole; Plenilunium autem Paschale, quod illam proximè secutum est, inciderit (Astronomicâ consideratione) in diem 11 Aprilis, hoc est, totis Septemdecim diebus post illum de quo agimus. Quod verò nonnulli unius diei errorem prætexunt in Romani Calendarii sub Augusto secundâ correctione admissum, ut Passionem tribuere possint anno 34 Vulgari, ac diei 25 Martii; jam *suprà cap.* 14, efficaciter à nobis rejectum est.

Quamvis autem argumentum ab impossibili ductum retundendo cuilibet impetui debeat abundè sufficere; lubet tamen paucula jam dictis addere, ne nimis crudè Antiquorum suprà allatorum dicta rejecisse videri possimus. *In primis* omnem speciem Ecclesiasticæ traditionis (quam hîc aliqui agnosci volunt) diei illi adimit dissensus ferè universalis Orientalium, qui Passionem in diem 23 Martii, Resurrectionem in 25 quadrare censent, ut *suprà cap.* 4 *&* 8 declaravimus. *Secundò*, inter Occidentales, qui fermè soli diem 25 Martii Passioni delegerunt, antiquissimus Tertullianus, satis habens Cyclum Solarem Anno 29 congruentem attendisse, Lunarem neglexit: quem si attendisset, haud dubiè sibi cavisset ab eâ sententiâ quam profitetur. Augustinus Tertulliani Gentilis sui, authoritate indiscussâ abreptus, alios similiter secum in communionem erroris abduxit. Fieri etiam potuit ut quosdam, Tertulliani tempora modico intervallo secutos, in ea opinione confirmarit Paschalis Canon S. Hippolyti, qui ad eum Annum Lunam 14 tribuit Octavo Cal. Apriles, ut suprà, *cap.* 3. dicebamus. *Tertiò*, ex hac persuasione complurium animos, nullo præmisso examine, occupante, factum est ut in Martyrologia, quæ pro uniuscujusque Librarii arbitrio olim interpolabantur, irrepserit adscriptio *Crucifixionis Christi* ad diem 25 Martii, & in alia ex aliis sit propagata; ex quo secutum, ut ita invaluerit illa opinio. Vide luculentum specimen similium additamentorum in Appendice Rosweidi ad Martyrologium Adonis. *Quartò*, nominatim ex hac Librariorum quidlibet audendi libertate factum esse, ut in exemplari Veteris Martyrologii Romani edito à Rosweido, legatur adscripta *Crucifixio* ad diem VIII. Cal. April. satis manifestum est indicium, quòd Ado, quamvis disertè profiteatur se Martyrologium Romanum transcribere; tamen ad illum diem penitùs in plerisque vetustis exemplaribus (ut asserit Rosweidus) sileat tam de Christi, quàm de boni Latronis morte. Præterea de recentiore Martyrologio Romano testatur Joannes Lucidus, *in Tract. de vero die Passionis, cap.* 9, *in Martyrologiis antiquis & Manuscriptis, nec non & in impressis Venetiis, nullam fieri mentionem de Passione Christi: sed suo tempore quemdam ex Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Florentinæ hoc ibidem adjecisse, & plura alia, quæ non sunt in antiquis Codicibus.* Vide & Petavium, *lib.* 12 *de Doct. Temp. cap.* 13, asserentem se, *cùm Martyrologiorum aliquot exemplaria perantiqua consuluisset, in nullo mentionem Passionis reperisse.* Præterea, cùm in Martyrologii Romani recognitione, factâ jussu Gregorii 13, fuerit sublata commemoratio Passionis; satis manifesto indicio est eam nec in antiquis Romanis exemplaribus repertam fuisse, nec Ecclesiæ judicio probari quà tali diei adscriptam. Quòd verò commemoratio S. Latronis ibi etiamnum legatur; vel Recognitoris diligentiam fugit, uti & alia nonnulla; vel certioris diei

Omnes ferè Orientales contra diem 25.

Occidentales à Tertulliano abducti;

Fortè & aliqui à S. Hippolyto.

Hinc irrepsit error in Martyrologia invectus à privatis Librariis,

Etiam in quædam exemplaria Martyrologii Romani,

Nec ita pridem in Exemplaria typis impressa.

Hoc additamento caret antiqua MSS.

Sublatum est ex Calendario Rom.

Occurritur objectioni.

diei

diei defectu fuit dissimulata: talium autem veritatem præstandam Ecclesia in se non suscipit.

Revelatio prætensa.

Hinc etiam patet quo loco habenda sit Revelatio, de Christo passo die 25 Martii, quæ legitur inter eas quæ dicuntur factæ Elizabethæ Sconaugiensi, *lib.* 2, *cap.* 22.

Hujus persuasionis origo.

At, inquies, quænam potuit esse illius persuasionis origo? Respondeo eam inde videri ortam, quòd, traditione ab ipsis Apostolis repetitâ, vulgò notum esset Christum mense Martio, & in Æquinoctio Verno mortuum fuisse. Cùm autem apud Astronomos duplex sit *Æquinoctium*; alterum *verum*, quod Christi ævo jam die 22, jam die 23 Martii contingebat; alterum *medium*, quod olim satis communiter in diem 25 congruere credebatur, & à non paucis pro vero Æquinoctio habebatur: inde effectum est, ut dum alterum Æquinoctium cum altero confunditur, relata sit à nonnullis Passio Christi ad Æquinoctium medium; cùm referri deberet ad verum. Accessit, opinor, & illud, quod nonnullis visum fuerit valde congruum, si Mundus eo die reparatus diceretur, quo conditus passim credebatur; die scilicet 25 Martii, cui ut jam dicebamus, varii Æquinoctium affigebant: quâ in opinione confirmabantur à traditione de Verbo divino ad eam diem incarnato. Nec ægrè in animum induco, fuisse olim à nonnullis confusa duo, ut Græci distinguunt, Paschata; quorum alterum vocant σταυρώσιμον, seu *Crucifixionis*; alterum ἀναστάσιμον, seu *Resurrectionis*; quorum prius diei 23 Martii obtigerat, alterum diei 25. Fortassis etiam non parùm contulerit ad illam opinionem invehendam, quod Tertullianus, & alii Veteres Prædicationem Christi ad unicum annum extenderent. Cùm autem ineunti anno Vulgari 28, decimum-quintum Tiberii ineuntem & Christi Baptismum tribuerent; & Anno Vulgari 29 exeuntem 15 Tiberii, aut 16 ineuntem, ac Passionem: dum ad solum Cyclum Solarem respiciunt, ex quo in Feriam sextam incurrebat dies 25 Martii, pronuntiaverint eo die Christum cruci affixum, non attento Cyclo Lunari apertè repugnante.

Æquinoctium duplex.

Mũdi creatio in Æquinoctio Verno.

Incarnatio eodẽ tempore.

Duplex Pascha.

Persuasio de unico anno Prædicationis Christi.

Neglectus Cycli Lunaris.

CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

Expenditur & variis modis solvitur argumentum nixum testimonio Phlegontis.

Pro hoc testimonio citantur ex Antiquis, Africanus, Origenes,

Omnium, qui hujus testimonii meminisse dicuntur, antiquissimus est Julius Africanus; cujus Fragmentum à Georgio Syncello in hæc verba citatur, *pag.* 322 *Chronographiæ: Narrat Phlegon, sub Tiberio Cæsare, in Plenilunio Eclipsim Solis factam perfectam ab horâ sextâ usque ad nonam: manifestum est autem quod illam*; nempè, quæ Christo moriente contigit. Origenes, Africano Synchronus ac familiaris, generaliùs & confusiùs rem hanc exprimit, *lib.* 2 *contra Celsum*, dum ait: *De defectu Solis sub Tiberio Cæsare, quo imperante Jesum constat crucifixum,*

crucifixum, deq; magnis ejus temporis motibus terræ, scripsit etiam Phlegon, in decimo-tertio, ut opinor, Chronicorum. Vides in duobus hisce antiquissimis Scriptoribus nullum Tiberii, nullum hujus aut illius Olympiadis annum signari; quod tamen vel maximè ad id, quod agebant, poterat conferre. Sed de hoc paulò pòst dicendum erit specialiùs.

Multò expressiùs, quàm horum utervis, loquitur Eusebius *in Chronico*, quod Latinè Hieronymus vertit, ad annum 18 Tiberii: *Jesus Christus Filius Dei, secundùm Prophetias quæ de eo fuerant prælocutæ, ad Passionem venit. Quo tempore etiam in aliis Ethnicorum Commentariis hæc ad verbum scripta reperimus: Solis facta defectio, & tenebræ super universam terram. Bithynia, terræ motu concussa, & in urbe Nicænâ ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ in Passione Salvatoris acciderunt. Scribit verò super his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius supputator est, in tertio-decimo libro ita dicens: Quarto autem anno 202 Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta est. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus; ut stellæ in cælo visæ sint, terræq; motus in Bithyniâ Nicænæ urbis multas ædes subverterit. Hæc supradictus vir.* Cum hac versione consentit Græcus Eusebii textus apud Georgium Syncellum, *pag.* 325, & in editione Scaligeri, *pag.* 63; uti & Excerptum Anastasii Bibliothecarii, de quo Pontacus, *in Notis ad Eusebium col.* 551; nisi quod in nullo horum dicantur factæ *tenebræ super universam terram*; uti nec apud Petrum de Alliaco, *in Concordiâ Astronomiæ cum Theologiâ, Verbo decimo*, ubi eumdem locum citat. Consentit quoad rem etiam Paulus Diaconus, *lib.* 7 *Miscella*, si ab illis verbis incipias: *Scribit verò super his*, &c. Eusebius.

Chronicon Alexandrinum, *ad Annum Tiberii* 18, *pag.* 521, ita idem paulò succinctiùs exprimit: *Quin & Gentium Scriptores hunc annum signârunt, & constanter affirmarunt terræ motum extitisse; quos inter speciatim est Phlegon, is qui Olympiadas concinnavit. Hic in tertio-decimo volumine ita scribit: 202 Olympiade, anno 4, Eclipsis Solis maxima fuit, quanta nunquam antea contigisse legitur. Nox enim horâ sextâ diei tanta fuit, ut etiam astra in cælo apparerent; ingentiq; tremore terra concussa est circa Bithyniam. Hæc Phlegon, qui hòrat extoaordinariam hanc & planè inusitatam Solis defectionem fuisse.* vide ejusdem Chronici *pag.* 526 *in fine*. Chronicon Alex.

Philoponus, *lib.* 2 *de Creatione Mundi, cap,* 21, ita Phlegontis testimonium recitat: *Harum quoque tenebrarum, vel potiùs noctis hujus, mentionem quoque fecit Phlegon in Olympiadibus. Ait enim, anno secundo* (Græcè plenè & absque ullo compendio, δευτέρῳ) 202 *Olympiadis factam fuisse maximam Solis defectionem omnium, quæ unquam priùs innotuerant, & horâ diei sextâ noctem extitisse; ita ut etiam stellæ in cælo apparerent.* Fateor tamen Philoponum, paginâ sequente disertè asserere, tributam à Phlegonte fuisse hanc Eclipsim anno quarto Olympiadis 202, quem & ibidem fusiùs adstruit. Philoponus.

Denique Cedrenus, *pag.* 155, *edit. Græco-lat.* Phlegontem ad hunc modum allegat: *Quæ tempore hæc in Græcis Commentariis annotata ipsis verbis referemus: Solis extitit defectus omnibus prioribus major; noxq; horâ diei sextâ oborta est, ita ut & stellæ in cælo conspectæ sint. Terræ quoque motus ingens in Bithyniâ fuit, qui magnam Nicææ partem prostravit. Hæc ait Phlegon.* Recentiorum citationibus Cedrenus.

 non est

non est cur immoremur; cùm ex Hieronymianâ Eusebii versione desumptæ sint; ideoque cum illâ soleant congruere.

Hinc argumentum contra nos.

Ex his omnibus colligunt Patroni anni 33, eo solo anno in Paschate fluxisse annum quartum Olympiadis 202, ab Eusebio, Hieronymo, Chronologo Alexandrino, aliisque innumeris ex Phlegonte alligatum Passioni Christi; conspirantibus Astronomiâ & Cyclo Solari, ex quibus habetur Plenilunium Paschale illius anni incidisse in Feriam sextam, & diem 3 Aprilis. Et hinc ulteriùs inferunt, non posse Christi Passionem conferri in annum Vulgarem 31, cujus Pascha incurrit in annum dumtaxat secundum Olympiadis illius 202.

Exceptio cōtra Plenilunium Astronoicum.

Mitto hîc loqui de Plenilunio illo Astronomico, & de mense Aprili, quæ duo satis rejecimus suprà, *cap.* 11, *&* 12: tantùm obiter observo, Africanum & Chronologum Alexandrinum tribuere Passionem Christi Lunæ 14, & speciatim Africanum excludere oppositionem Astronomicam, dum, in textu Græco Syncelli, *suprà*, & Eusebii Scaligeriani, *pag.* 63, ait Lunam fuisse tunc Soli *ferè oppositam è diametro*. Ut autem Objectioni faciam satis.

Africani verba citata, supposititia:

Thallus & Phlegon crediderunt se agere, de ordinaria Eclipsi;

Respōdeo in primis verba Africani initio hujus capitis allata ex Georg. Syncelli editione procurata à Jacobo Goar, saltem quoad ea, *in Plenilunio*, &, *usque ad nonam*, meritò rejici posse tamquam supposititia; cùm non legantur in Eusebio Græco Scaligeri, in quo idem Fragmentum ex alio Syncelli exemplari recitatur; absintque etiam ab Eusebii textu Latino, uti & à Chronologo Alexandrino, Philopono, & Cedreno, verba Phlegontis recitantibus. Et verò eâ laciniâ penitus sublatâ, nitidiùs fluit tota oratio Africani refellentis Thallum, qui ordinariam Solis eclipsim fuisse existimabat eam, quæ adversus Ethnicos à Christianis objiciebatur. Et hoc ipsum sensisse quoque Phlegontem censet Scaliger, *in Animad. ad Euseb. pag.* 171; imò & eò respexisse Tertullianum, *in Apologetico*, dum ait: *Eodem momento dies, medium orbem signante Sole, subducta est. Deliquium* (ordinarium) *utique putaverunt* (Thallus, Phlegon, & alii Gentiles) *qui id quoque super Christum prædicatum non scierunt: & tamen eum Mundi casum relatum in archivis vestris habetis.*

quod etiam probatur ex S. Maximo.

E diametro etiam isti laciniæ Africano insertæ adversatur S. Maximus, *in Scholiis ad Epist. 7 S. Dionysii: Phlegon* (inquit) *Gentilis Chronographus, libro decimo quarto Chronographiæ, in Olympiade* 203 (ita habent tres editiones Græcæ, quas consului) *hujus quidem Eclipseos etiam meminit, dicens EAM MORE SOLITO ACCIDISSE* (en quod paulò ante dicebamus) *sed modum ejus non expressit. Quin etiam, Africanus noster, & Eusebius Phamphili, ibidem* (seu ad illam Olympiadem) *ejusdem defectionis mentionem facit.* Si Phlegon nihil insolitum in eâ Solis Eclipsi, de quâ loquitur, agnovit; quomodo dicere potuit, *in Plenilunio factam?* Si *modum ejus non expressit*; quomodo durationem ejus extendit *ab horâ sextâ usque ad nonam*; quod nec Eusebius, nec Chronologus Alexandrinus, nec Philoponus, nec Cedrenus, ut de aliis taceam, in Phlegonte legerunt? Quid quod S. Maximus disertè meminit Africani ut de hac Eclipsi agentis? An crudè asseruisset, quæ asserit de Phlegonte; si contrarium in Africano legisset? Negari igitur non potest, interpolatum esse illum Africani locum.

Lubet

Lubet nihilominus, ut de re (in quâ tanta vis fit à nonnullis) magis constet, id insuper confirmare ex summo Africani amico; Origene, inquam, qui, *Tract. 35 in Matthæum*, postquàm dixit, quosdam calumniatos Evangelicam veritatem de tenebris super omnem terram factis ab horâ sextâ usque ad nonam; eo quòd id factum esse, nulla referret historia: tunc autem factam fuisse Eclipsim ordinariam. Respondet id dici non posse: cùm esset tempus Paschale, quod nonnisi Lunâ plenâ celebratur. An non erat hìc locus Ethnicis exprobrandi, illud de Lunâ plenâ narrari à Phlegonte, si verè id narrâsset? Et ex Origene proponente & rejiciente impugnationem Ethnicorũ.

Subdit deinde aliud responsum quorundam è Fidelibus, inde probantium Eclipsim illam prodigiosam fuisse; quòd reliqua ab Evangelistis commemorata, nempe scissio veli Templi, petrarum disruptio, monumentorum apertio, mortuorum suscitatio, citra miraculum perfici non potuerint. Quorũdam Christianorum responsio ad impugnationẽ Ethnicorũ.

His præmissis, Gentilium ratiocinationem circa hanc Eclipsim explicatiùs proponit: *Quomodo* (inquiebant illi Gentiles) *hoc factum tam mirabile nemo Judæorum, nemo Barbarorum, factum conscripsit in tempore illo, maximè qui Chronica conscripserunt; & notaverunt, si tale aliquid novum factum est aliquando; sed soli hoc scripserunt vestri Authores? Et Phlegon quidem in Chronicis suis in principatu Tiberii Cæsaris factum* (Solis deliquium maximum hora sextâ) *SED NON SIGNIFICAVIT IN LUNA PLENA HOC FACTUM.* Ita illi. Ratiocinatio horum explicatiùs proposita.

Verùm quid ad hæc Origenes? An respondet hæc manifestè falsa esse? An ad Phlegontis textum, an ad Africani Chronicon provocat? Imò verò tantum abest ut hæc primò obvia reponat; ut è contrario, velut hujus argumenti pondere oppressus (postquàm præmisit Fideles talibus quæstionibus, quantumvis *fortè insolubilibus*, moveri non debere ad Fidei veritatem deserendam) eò demum confugiat, ut primùm dicat, nec Matthæum, nec Marcum scribere factam Solis defectionem: quòd autem in quibusdam Lucæ exemplaribus legatur; *Sole deficiente*, id videri *ab aliquo insidiatore* intrusum, ut verosimiliter argui falsitatis possent Evangelia. Et paulò post universim subjungit, *quod Evangelistæ nec nominârunt Solem in isto loco; sed tantùm, quod tenebræ factæ sunt super omnem terram*; nempè *Matthæi c. 27, v. 45. Marci c. 15, v. 33.* Mira responsio Origenis.

Huic solutioni satis mirabili addit, quò pleniùs argumento Gentilium respondeat, tenebras illas nubium interjectione invectas vel soli Civitati Hierosolymitanæ, vel (ut summùm) toti Judææ; quòd & variè illustrat Sacræ Scripturæ testimoniis & exemplis. Quæ omnia censeri possunt eò tendere, ut velit mirum non esse si, quod in exiguo Terræ angulo, solâ nimirum Judæâ, gestum fuerat; ignoraverit Phlegon Romæ scribens totis 100, aut 120, ac pluribus annis post Passionem Christi. Certò enim ex Vopisco, *in Saturnino*, & ex Spartiano, *in Vitâ Hadriani*, constat Phlegontem, non Octaviani Augusti (ut quidam credunt) sed Hadriani Imperatoris libertum fuisse; quâ de re vide Joannem Meursium, *in Notis ad Fragmenta Phlegontis*, ubi existimat eum anno 18 Antonini Pii, Æræ Vulgaris 156, adhuc superstitem fuisse. Alia responsio ejusdem

Quàm non maximi Phlegontem fecerit Origenes, liquidò patet ex ejus *Tract. 29 in Matthæum*, ubi allaturus ipsius testimonium pro destructione Hierosolymæ & Templi factâ quadraginta circiter annis post annum 15 Tiberii, Phlegon ab Origene spretus.

præmittit hæc verba: *Si tamen debemus & hunc, quasi vera dicentem de Templo, suscipere.* Præterea, *lib. 2 contra Celsum*, asserit Phlegontem in hoc falsum fuisse, quòd ea quæ S. Petro conveniebant, attribuerit Christo. Denique si quis animum advertat ad modum quo illum allegat, *loco suprà citato initio capitis*; facilè apparebit id fieri velut perfunctoriè, & dicis causâ; quasi diceret: Narrat quidem Phlegon, magnum Solis deliquium, & terræ motus ingentes, imperante Tiberio extitisse; (quæ duo Passioni Christi aptare possemus, cùm sub ejusdem Imperio contigerit hæc Passio) an autem reipsâ huc respexerit Phlegon, non definio. Certè si tam apertè egisset Scriptor ille de Eclipsi, quâ de agimus; omnino satagere debuisset Origenes, quâ erat disciplinarum Mathematicarum peritiâ (quod testatur Hieronymus, *lib. de Scriptoribus Ecclesiast. cap.* 54) ut tam favens Ethnici hominis testimonium veritati Evangelicæ adstrueret. Quod cùm non fecerit, sed obiter tantùm, & perpaucis ejus meminerit; manifesto indicio est illum nihil firmi præsidii in eo reperisse.

Consectarium ex dictis.

Quæ hactenus dicta sunt de duobus locis ex Africano & Origene depromptis, satis ostendunt quàm nihil certi de verbis Phlegontis ex illis haberi possit, & quàm parùm efficacitatis habeant adversum nos; maximè cùm nullum præcisè annum illis prodigiis assignent; imò Africanus paulò post ibidem & Christi Passionem, & prodigia illa disertè tribuat Anno 2 Olympiadis 202. Nunc ad aliorum locorum ex aliis allegatorum examen pergo.

Eusebii, Chronici Alex. & Philoponi loca speciosiùs urgentur.

Et quidem paulò plus speciei habet, quod objicitur ex Eusebio, Chronico Alexandrino, & Philopono, *annum quartum Olympiadis* 202 designantibus. Manifestum enim est nullam eo anno fuisse Solis Eclipsim ordinariam, cui verba Phlegontis, prout suprà ex tribus hisce Scriptoribus recitantur, aptari possint; & admisso illo *anno quarto*, necesse est opinionem nostram de anno 31 Vulgari, funditus everti.

Quidam hunc nodum scindunt.

Huic tamen argumento vim tantam non inesse, quantam plerique sibi imaginantur, dudum ostenderunt varii: ex quibus nonnulli sunt, qui existiment nihil esse cur admodum simus solliciti de solvendo hoc nodo, quem potiùs scindendum arbitrantur. Et verò reipsâ scindunt, nec sine indignatione; quòd tot, ac tantis, tamque antiquis Scriptoribus pro anno 31 Vulgari stantibus unicus opponatur Phlegon, homo Ethnicus, & testis dumtaxat auritus; quique facilè falli potuit in anni designatione, sicùt eum in aliis falsum fuisse suprà dicebamus. Vide Deckerium, *in Velificatione, Annot.* 27, *pag.* 48. Sed non desunt alia paulò molliora, quæ reponi possint.

Prima ejus solutio, quoad Eusebium.

Prima responsio petitur ex Eusebii verbis, quæ præmittit allegationi Phlegontis. Postquàm enim dixit Christum *ad Passionem venisse anno Tiberii* 18, subjungit: καθ' ὃν καιρὸν; quod quidam interpretantur, *circa quod tempus*; quasi dicat Eusebius, posse tempori Passionis Christi quadrare, quod Phlegon & alii Scriptores Græci tradunt circa annum illum Tiberii 18 de Eclipsi Solis, & Terræ motu in Bithyniâ. Quod si verum Passionis annum non signent, novum non esse ut Chronologi, præsertim qui sua ex aliis alio annorum genere utentibus desumunt, uno alterove anno aberrent. ita illi. Certè hujusmodi aberrationes & rerum disjunctissimarum conjunctiones facilè in Chronologorum quorumdam minùs attentorum

Hallucinationes Eusebii.

attentorum Tabulas irrepere, satis suo exemplo nos docet Eusebius, eo ipso loco quem jam examinamus. Ibi enim scribit Josephum narrare circa illa tempora Passionis, Festo Pentecostes, auditam ex Templi Hierosolymitani adytis vocem, *Migremus hinc*: cùm tamen ex Josephi narratione, *lib. 7 de Bello*, *cap.* 12, constet id totis circiter 35 annis post Christi mortem contigisse. Similiter quod eodem loco addit Eusebius ex Josepho, *lib. 2 de Bello*, *cap.* 8, Pilatum noctu intulisse Cæsaris imagines in Templum Dei; & falsum est quoad Templum, cùm Josephus solius urbis Hierosolymitanæ meminerit; & contigit anno Vulgari 26 au 27; adeoque quatuor aut quinque ante Christi necem annis. Hinc patet primam hanc solutionem non negare Phlegontem scripsisse, *Anno* 4 *Olympiadis* 202; sed mollire locutionem, & eam cum aliquâ laxitate sumere. Verum aliæ solutiones contendunt mendum in Eusebii textum Græcum irrepsisse, & ex hoc in Latinum.

Secunda solutio, Phlegontē agere de Eclipsi naturali anni 1 Olympiadis 202.

Secunda igitur *solutio* est eorum, qui existimant Phlegontem de prodigiis Christo patiente factis nullam prorsus fecisse mentionem; & dumtaxat egisse de totali Eclipsi naturali, quæ sub meridiem in Syriâ contigit Anno Vulgari 29, die 24 Novembris, cujus anni æstate celebrata est Olympias 202. Ita Kepplerus, *in Eclog. Chronol. pag.* 87 *&* 126; *item in Tabulis Rudolph. p.*43. Kepplerum citat, nec refellit Petavius, *in Animadv. ad Epiphan. pag.* 176. Favet Deckerius, *in Velificatione*, *Annot.* 27, dum ait: *Ut dicam equidem quod sentio, in ambiguo est valde, locutusne fuerit Phlegon aliquando de illâ Eclipsi Solis, quæ moriente Domino facta est.* Porrò quod ad Eusebii, ipsiusque adeo Phlegontis textum spectat, probabile censet Kepplerus non his verbis conceptum fuisse: τῷ δ' ἔτει τῆς σβ' Ολυμπιάδος, *anno quarto Olympiadis* 202; sed his: τῷ δὲ ἔτει, vel potiùs per apocopen; τῷ δ' ἔτει τῆς σβ' Ολυμπιάδος, *anno autem Olympiadis* 202: ita ut conjunctio δὲ, vel δ', à Librario non satis attento sumpta sit pro numerali litterâ δ', *quartum* significante; & ex eo exemplari transfusus sit error in alios Codices.

Vitium in textu Eusebii correctum.

Exceptio Recentis Scriptoris rejecta.

Quod verò contra Kepplerum objicit Recens Scriptor, nullum illis verbis, *Anno autem Olympiadis* 202, sensum inesse; longè, meo quidem judicio, abest à vero. Nihil enim magis obvium, quàm ut illis significetur annus, quo inibat Olympias 202, seu, quo celebrati sunt Ludi Olympici ducentesimi secundi, attentâ Iphiti institutione. Patet enim à contrario hic sensus; cùm Olympiades, quibus ineuntibus Ludi omissi sunt, vocari soleant ἀνολυμπιάδες, seu Ludis ordinariis carentes: velut Olympiadis nomine ad Ludos ipsos translato.

Confirmatur hæc correctio.

Conjecturam jam allatam de vitio textûs, ejusque modo, non parùm confirmat, quòd in Scaligerianâ Eusebii Græci editione, *pag.* 188, & in Notis Meursii ad Phlegontem, *pag.* 169, ubi Phlegontis locus allegatur, nulla prorsus anni quarti mentio fiat; sed nudè habeatur τῷ δὲ ἔτει. Consonat & ejusdem testimonii citatio facta à Petro de Alliaco, *loco citato*, ubi simpliciter dicitur, *Olympiade* 202, nullo anno adjecto, qui nec à S. Maximo, nec à Cedreno suprà citatis additur. Quin etiam Cedrenus, *pag.* 156 *veteris editionis Græcolat.* opinionem quæ *anno primo Olympiadis* 202 Christum passum asserit, laudans tamquam exactiorem, censeri potest suprà dictam Phlegontis locutionem fuisse suis hisce verbis interpretatus ad modum jam allatum, cùm legisset etiam τῷ δὲ ἔτει, vel τῷ δ' ἔτει.

 Scrupulum

Scrupulum quoque injicit adjunctus à Phlegonte *Terræ motus in Bithyniâ*. Vel enim illa Terræ concussio, de quâ Evangelistæ, ad solam Judæam pertinuit, ut censent Origenes & alii; vel ad Orbem universum. Si priùs dicatur; nihil illa Nicææ subversio faciet ad Passionis tempus adstruendum. Si posterius; cur alios effectus illius universalis motûs Terræ omisisset Author, teste Photio, nimis passim exactus in persequendis rebus minutulis, & solam illam explicuisset Bithyniæ stragem?

Instant Adversarii.

At enim, inquiunt, agit saltem Phlegon de eâ Eclipsi *magnâ & excellente inter omnes, quæ ante eam acciderant; ita ut stellæ in cælo visæ sint:* quæ omnia nulli alteri convenire possunt, quàm ei, de quâ Evangelistæ.

Repelluntur primò.

Ut ordiar ab hoc postremo de *Stellis in cælo visis*, nullo negotio id ordinariis Solis deliquiis vendicabitur ex Thucydide, *lib.* 2; Diodoro Siculo, *lib.* 20; Plutarcho, *in Opusculo de facie Lunæ*; Herodiano, *in Vitâ Commodi*; Aimoino, *lib.* 5, *cap.* 19; Lycostene, *in Chronico, ad annum* 1187; ac denique (ut alios omittam, de quibus Ricciolus, *To.* 1 *Almag. Novi, lib.* 5, *cap.* 19, *&* 20) ex Clavio, *in caput* 4 *Sphæræ Joan. de Sacrobosco*, ubi tamquam testis oculatus asserit, in Eclipsi, quam observavit die 21 Augusti, *anni* 1560, *Conimbricæ circa meridiem, totum Solem non modico temporis intervallo contectum esse, fuisseq; tenebras quodammodo majores nocturnis. Neque enim ubi pedem quis poneret, videre poterat; clarissimeq; in cælo stellæ apparebant, & (quod mirabile erat) aves ex aëre in terram, præ horrore tantæ obscuritatis, decidebant.* Addit Scheinerus, *in Rosâ Ursinâ, lib.* 3, *cap.* 7, ex P. Emmanuele de Vega, qui Clavio hæc spectanti aderat, *fœminas ululâsse, & supremum Mundi diem conclamâsse, & opus fuisse lucernis.* Hanc, opinor, Eclipsim (eademque est ratio de compluribus aliis totalibus) *horribiles tenebras* induxisse (ut loquuntur Africanus, aliique) ejusque spectatores facilè sibi persuasuros fuisse, *numquam prioribus sæculis visam esse tam magnam*, haud facilè negabit, qui nôrit mores hominum præsentia semper pluris æstimantium. Quo minùs mirum videri debet, si is ex cujus relatione Eclipsim illam didicit Phlegon, exaggeratis illis verbis descripserit totalem Solis Eclipsim naturalem & ordinariam.

Horribilis Eclipsis Anni 1560.

Refellûtur secundò.

Possumus præterea horribiles illas tenebras, quas contra nos urgent Adversarii, in ipsosmet validè retorquere. Si enim quæ Christo patiente terris incubuerunt tenebræ, tales fuerunt, quales prioribus temporibus visæ nunquam erant; fuerint haud dubiè pares saltem iis, quas paulò ante ex Clavio describebamus: cùm totales Solis Eclipses sæpiùs sæculis ætatem Christi præcedentibus contigerint, de quibus Historici jam citati. Nemo proinde tunc, ubi pedem figeret, videre potuerit; & lucernis opus fuerit, imò plurimis facibus, ut Christus ex cruce *videret Matrem & Discipulum stantem*; ut *staret populus spectans* eum pendentem; ut *mulieres* eum *de longè aspicerent*; ut milites *dividerent vestimenta ejus, sortem mittentes*, & ut *spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, offerrent ori ejus*; ut affixum cruci *titulum multi Judæorum legerent*; ut *omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reverterentur:* ut interim plura alia omittam ab Evangelistis commemorata. Has lucernas facesque cùm nemo ad talia admissurus

surus sit; satis apertè conficitur tenebras Christo in cruce pendente obortas adeò intensas non fuisse, & horribiles illas, de quibus agit Phlegon, ad Christi Passionem non pertinere.

Tertia solutio fatetur Phlegontem & de Evangelicâ Solis obscuratione egisse, & verum Passionis annum designasse, quem etiam Eusebius rectè annotarit; sed postea (ut est admodum facilis litterarum numeralium mutatio) vitium in Eusebii textum Græcum, ac exinde in Latina exemplaria irrepsisse. Non convenit tamen inter hujus modi assertores, an *secundum*, an *tertium annum Olympiadis* 202 expresserit Phlegon, & post eum Eusebius. Pontacus, *in suis ad hunc Notis*, *tertium* expressum censet, utpotè consentientem methodo Eusebianæ, de quâ *suprà*; propendet Baronius, *ad Annum* 34. At Petavius, *lib.* 12 *de Doctr. Temp. cap.* 21, uti & Cappellus, *Dissert. de Temp. Passionis Christi*, *cap.* 6, malunt *annum secundum* adscriptum fuisse. Inter utrumque anceps hæret Kepplerus, *locis suprà cit.* denique tamen, *in Tab. Rudolph.* magis probat ut ternarii nota γ' mutata sit in notam quaternarii δ'. Acerbiùs in hanc Eusebiani textûs correctionem, ipsumque Kepplerum insurgit Ricciolus, *suprà*, *cap.* 18: *Quid enim* (inquit) *non audet vir hic novandi cupidissimus, ne cerebrosi sui ingenii partus non vivant?* At, si minus Kepplero, certè Pontaco, Baronio, Cappello, Petavio, aliisque viris doctis, parcere debuerat Ricciolus; tantâ præsertim verisimilitudine nixis.

Tertia solutio.

De textu Phlegontis & Eusebii côtroversia.

Huic hypothesi inhærendo de vero Passionis anno signato à Phlegonte attendente Eclipsim de quâ loquuntur Evangelistæ, & de anno illo ab Eusebio transcripto ex Phlegonte, ad fidem Chronologiæ suæ adstruendam; satis evidens mihi videtur, mendum Eusebii textui subesse, nec posse ullo modo admitti *annum quartum Olympiadis* 202. Quis enim Eusebium apertæ fatuitatis non damnaret, si, cùm vellet Christum passum *anno* 18 *Tiberii*, & (ex peculiari suâ methodo) *anno tertio Olympiadis* 202, prout manifestissimè ostendimus *suprà*; ei Chronologiæ stabiliendæ proferret testimonium Phlegontis mortem Christi, per prodigia quæ recenset, referentis ad *annum quartum Olympiadis* 202, & quidem (ut volunt ii qui hunc locum maximè urgent) exeuntem, qui cum anno 18 Tiberii nulla ratione potest concurrere? Idem fiet argumentum de Africano, si quidem Phlegontis testificatione usus fuisse dicatur: nam Christi obitum (ut suprà *cap.* 4, *parag.* 1, declaravimus) consignat *Anno secundo Olympiadis* 202, & *decimo sexto Imperii Tiberii*. Quis autem sani capitis, *anno secundo* patrocinans, eum Authorem sequi se profiteatur, qui disertis verbis stet pro *quarto*? Cæterùm quod Africanus pro *secundo anno* faciat, Eusebius, pro *tertio*; apparens tantùm inter illos pugna est. Prior enim attendit annum *secundum* labentem; posterior annum *tertium* necdum inchoatum revocat per prolepsin ad tempus Passionis, ut suprà ostendimus. Ex quo patet potuisse Africanum legisse in Phlegonte *annum secundum*; Eusebium, *annum tertium*. Sed licet hic *secundum* etiam legisset, potuit nihilominus, attentâ peculiari suâ methodo, prodigia illa & Passionem ipsam ad annum *tertium* referre; ut explicuimus suprà, *in Prolegomenis*, *Lemmate* 5 *& seqq.*

Mendum textûs adstruitur.

Conciliatio Africani & Eusebii.

Chronicon Alex. secum pugnat.

Chronologus Alexandrinus cujus *suprà* verba recitavimus, nobis objici rationabiliter non potest; cum invictè demonstraverimus eum nobiscum stare pro anno 31 Vulgari. Quod autem *anno quarto Olympiadis* 202 Passionem tribuat; oritur ex perpetuâ ejus hallucinatione in Olympiadibus suo vero tempori affigendis, quam deprehendere est in toto ejus Chronico; maximè circa sæculum vitæ Christi. Annum autem illum *quartum* hausisse videtur ex vitiatis seu Phlegontis, seu potius Eusebii exemplaribus.

Philoponus fundamento ruinoso inædificat.

Philoponum fateor consequenter loqui ad suam hypothesim de *anno quarto:* sed ei jam subrutæ nihil solidi potest inædificari. Cavendum autem sedulò est, ne, quæ hic Author non antiquissimus, nec summæ fidei, per ratiocinationem suam ex prætenso Phlegontis testimonio deducit, adscribantur Phlegonti ipsi nihil simile affirmanti: ad quem lapidem ostendisse videtur quidam Recens Scriptor.

Testimonium Phlegontis inefficax est contra nos.

Ex hactenus dictis conficio, tot, & tam varias, tamque patentes & justas exceptiones contra allegatum Phlegontis testimonium, prout passim hodie legitur, omnem ei vim contra nostram sententiam adimere: ut proinde frustra sint Adversarii, dum ex eo demonstrationes tum Mathematicas, tum Chronologicas, procudere conantur.

CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM.

Variæ opiniones de ætate Christi morientis. Quàm congruè dicatur mortuus, dum annum trigesimum quintum per tres menses inchoasset.

Qui anno 31 ætatis mortuum Christum dixerint.

CHRISTUM anno tricesimo-primo ætatis inchoato obiisse opinati sunt Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Africanus, ut patet ex dictis, iisque adstipulatur Sedulius, ex quo Hymnum hunc Ecclesia decantat:

Lustris sex qui jam peractis tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc Passioni deditus,
Agnus in Crucis levatur immolandus stipite.

Qui anno 32.

Tricesimum-secundum delibâsse censent Apollinarius Laodicenus, Orosius, Isidorus Hispalensis, Zonaras, Rogerius Bachon, Joannes de Muris, aliique.

Qui Anno 33.

Tertium ac tricesimum attigisse volunt Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Sulpitius Severus, Panodorus, Cassiodorus, S. Maximus (vitiosè enim in Editione Petavianâ, *in fine primæ Partis Computi*, legitur Christus vixisse annis 33, diebus 89) Georgius Syncellus, Joël Chronographus, Nicetas Pectoratus, Tostatus, Lucidus, Pitatus, variique insuper Recentiores.

Qui anno 34.

Pro incepto tricesimo-quarto faciunt Chronicon Alexandrinum, Nicetas, Hippolytus Thebanus, Nicephorus Callistus, Onuphrius, Angelocrator, Campanus, Baronius, Suares,

Suares, Cappellus, Mariana, Torniellus, Gordonus, Salianus. Pro tricesimo-quinto, Deckerius, Petavius, Tirinus, Bucherius, Bulengerus, Scaliger, Langius, Helvicus. Ad tricesimum-sextum usque annum Christi mortem promovet Rabbi Abraham Levita Ben-David, in Cabbalâ Historicâ, & Keplerus, *in Eclog. Chronol.*, *juncto Opere de vero anno Natalis Christi.* Ad tricesimum-septimum annum prorogari Passionem à Vendelino & Usserio, patet ex suprà dictis eorum opinionibus circa Natalem & Mortem Christi; imò & ab Irenæo ad quadragesimum aut quinquagesimum. Qui anno 35. Qui anno 36. Qui anno 37, 40, 50.

Oritur tanta diversitas non ex uno capite: sed partim ex diversâ acceptione verborum Lucæ, de *annis quasi triginta*, dum Christus ad Baptismum accederet; partim ex eâ quæstione, an inter Baptismum & Nuptias in Cana fluxerit annus solidus; partim ex numero annorum Prædicationis Christi; neque parùm ad illam judiciorum varietatem confert eorumdem varietas circa annum Natalis Christi. Hoc fixo in anno Juliano 41 desinente, prout validè fiximus *totâ Quæstione* 1, non potest, citra gravissima incommoda, figi Mors Christi in ullo anno tricesimum-primum antecedente. Hinc autem consequens est, non posse Christo morienti pauciores annos concedi quàm triginta quatuor, cum tribus mensibus ex tricesimo-quinto; hoc est unico anno ampliùs, quàm concedant jam recensiti graves Scriptores pro anno 34 inchoato. Ex quo ulteriùs conficitur, Christum, juxta sententiam nostram à Conceptione exegisse vitæ mortalis annos quinque & triginta, minùs uno die; Menses verò 420, minùs etiam uno die; ac denique universim dies 12780: at à Nativitate, Annos solidos 34, ac insuper Menses tres, uno die desiderato; Menses autem universim 411, uno die deficiente; Dies 12505; Horas denique 270111. Origo tantæ diversitatis. Nostra sententia pro Anno 35 inchoato. Anni, Menses, Dies, Horæ, vitæ mortalis Christi.

Illustrando numero annorum vitæ quinque & triginta, multa proferri possunt non incongrua. Numerum hunc à Pythagoræis vocatum fuisse *Harmoniam*, testatur Petrus Bungus, *libro de Numerorum Mysteriis.* Rationem hanc adfert, quòd resolvatur dictus numerus in hos quatuor; 6, 8, 9, 12, complectentes in se omnes species proportionis harmonicæ (ut *ibidem* declarat Bungus) ac præterea varias proportiones tum Arithmeticas, tum Geometricas: quæ omnia summæ Christi perfectioni possunt aptari. Conflatur idem numerus ex duobus primis Cubis, 8 & 27; quorum prior ex binario (qui duas in Christo Naturas significare potest) consurgit; posterior ex ternario (qui tres SS. Trinitatis personas potest denotare) colligitur. Producitur insuper numerus 35 ex ductu 5 in 7: quorum Mysteria vide apud Bungum, *suprà in Quinario & Septenario*; quibus addi potest, quod scribit Theon Smyrnæus, *in Locis Mathematicis Platonis*, *cap.* 26, ostendens numerum 35 esse pentagonum: quod facilè est referre ad quinque illa solemnia ac præcipua Christi vulnera, ut de aliis sileam. Illustratur numerus 35 ex Pythagoræis & Platonicis.

Pulchrè etiam huc potest conducere, quod scribit Censorinus, *lib. de die Natali*, *cap.* 14: *Proximè videntur accessisse naturam, qui hebdomadibus humanam vitam emensi sunt. Ferè enim post septimum quemque annum articulos quosdam, & in his aliquid novi, natura ostendit.* Hoc deinde confirmat ex quadam Solonis Atheniensium Legislatoris Elegiâ, cujus meminit S. Ambrosius, *lib.* 6 *Epist.* 39, quamque videre etiam est apud Philonem, *lib. de Opificio Mundi*, & Cle- Item ex Censorino, Solone, Hippocrate, Macrobio.

mentem Alexandrinum, *lib. 6 Stromat.* sed cum magnâ apud diversos verborum diversitate. Ibi Solon quinto Septenario Nuptias adscribit & procreandæ sobolis studium: aptè utique ad Christi Nuptias cum Ecclesiâ Anno vitæ 35, ex quibus tam numerosa soboles illicò prodiit. Hippocrates quoque eamdem in Septenarios annorum partitionem secutus apud Philonem, Censorinum & Ambrosium *suprà*, item apud Jul. Pollucem, *in Onomastico*, *lib.* 2, *cap.* 1, & Moscopulum *in libro περὶ σχεδῶν*, *pag.* 134, virile robur quinto Septenario tribuit. Consonat & Macrobius, *lib.* 1 *in Somnium Scipionis*, *cap.* 6 *sub finem*, his verbis: *Quinta* (annorum hebdomas) *omne virium, quanta inesse unicuique possunt, complet augmentum: nulloq; modo jam potest quisquam se fortior fieri. Inter pugiles denique hac consuetudo servatur, ut quos jam coronavère victoriæ, nihil de se ampliùs in incremento virium sperent. Qui verò expertes hujus gloriæ usque illò manserunt, à professione discedant.* ita ille. Christo quidem, ætate procedente, nihil accedere, nihil decedere poterat virium profligando cacodæmoni necessariarum; sed qui tam multis aliis in rebus sese moribus humanis attemperavit, non immeritò credi potest etiam plenum illum ætatis vigorem, ad patrandum hoc bellum, expectâsse.

Objectio 1. Objicitur nobis S. Ignatius, *in Epistolâ ad Trallianos*, de Christo ita loquens: *Cùm tres annorum decades conversatus esset, verè Baptizatus est à Joanne, & non solâ opinione: & cùm tribus annis prædicasset Evangelium, & signa ac prodigia patrasset, à falsis Judæis, & Pilato Præside, ipse Judex judicatus est.* Docet igitur Christum anno, ut summum, ætatis tricesimo quarto mortuum. Quod & S. Mechtildis sibi à Christo revelatum esse scribit *lib.* 3 *Revelationum*.

Solutio. Verùm jam *suprà*, *Quæst.* 2, *cap.* 9, diximus triginta annos, qui Baptismum præcesserunt, non adeò præcisè sumendos esse; sed moraliter: ita ut numerus ille sit (ut vulgò loquimur) *rotundus*; nec excludat annum, seu tricesimum primum exeuntem, seu tricesimum secundum ineuntem. Horum alterutri si tres annos, & aliquot menses Prædicationis adjunxeris; conflabitur annus Christi tricesimus quintus, per tres menses inchoatus. Revelationes S. Mechtildis, cùm ab Ecclesiâ authoritatem non acceperint, non necessariò assensum à nobis extorquent contra tot rationes à nobis toto hoc Opere allatas.

Objectio 2. Objicitur & Beda, *lib. de Ratione Temp. cap.* 45, ubi audet ad hunc modum loqui: *Habet, ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulò plusquam triginta tribus annis, usque ad suæ tempora Passionis, vixisse: quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, sicut Evangelista Lucas testatur; & tres semis annos post Baptisma prædicaverit.* Paulò post autem subdit: *Sancta siquidem Romana & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis annuatim scribere solet, ubi tempus Dominicæ Passionis in memoriam populis revocans, numerum annorum triginta semper & tribus annis minorem, quàm ab ejus Incarnatione Dionysius posuit, adnotat. Denique anno ab ejus Incarnatione (juxta Dionysium) 701, Indictione 14, Fratres nostri, qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in Natali Domini in cereis Sanctæ Mariæ scriptum vidisse, & inde descripsisse referebant: A Passione Domini nostri Jesu Christi Anni sunt 668.*

Respondet

Respondet Petavius, *Bedam decretum illud Ecclesiæ perperam affingere.* Et verò nullâ ratione stare potest cum ipsiusmet Bedæ hypothesibus. Hic siquidem, eo ipso capite, Christi Natalem constituit Anno 1 Æræ Vulgaris (ut ostendimus *suprà*, *Quæst.* 1, *cap.* 8) Passionem autem anno 34 Vulgari (etsi alibi aliter) adeoque plures vitæ Christi annos numerare non potest, quàm 32, & tres menses. Deinde cùm perpetuò utatur Beda Cyclis Lunæ Vulgaribus, Anno autem 34 Vulgari Cyclus XVI affixus diei 8 Martii usurpari debuerit cum Litterâ Dominicali C; consequens erit ut Luna 15, atque adeo ipsa Christi Mors (nam ambas disertè conjungit) inciderit in diem 22 Martii, & Feriam secundam: quæ utique sunt absurdissima. Præterquam quòd dies 25 Martii non incurrerit eo anno in Feriam sextam, ut supponit Beda; sed in quintam. Ejus rejectio.

Quod subjungit de Indiculis Ecclesiæ Romanæ, procul dubio mendosum est; nec inter Forosempronienſem, Baronium, Petavium, Grandamicum, aliosque, satis convenit, quâ ratione locus ille restitui debeat. Neque verò tanti res est; cùm nimis constet Ecclesiam Romanam nihil umquam hac in parte decrevisse; sed, ut summum, in similibus Inscriptionibus secutam esse id, quod videbat illis temporibus esse apud multos receptum.

Faxit benignissimus JESUS, cujus vitæ mortali illustrandæ opellam hanc nostram consecravimus, ut olim illi occuramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis ejus.

FINIS.



INDEX.

LOCA SCRIPTVRÆ SACRÆ hoc opere citata, illustrata.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

EX EXODO.

EX LEVITICO.

EX NUMERIS.

EX DEUTERONOMIO.

EX LIBRIS REGUM.

EX LIBRIS PARALIPOMENON.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

EX MARCO.

EX LUCA.

EX JOANNE.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Numerus Romanus refertur ad Lemmata prodroma; Ordinarius ad Quæstiones ipsas.

A

Bezæ

F

G

H

LOCA SCRIPTVRÆ SACRÆ hoc opere citata, illustrata.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

EX EXODO.

EX LEVITICO.

EX NUMERIS.

EX DEUTERONOMIO.

EX LIBRIS REGUM.

EX LIBRIS PARALIPOMENON.

EX ESDRA.

EX LIBRO JUDITH.

EX PSALMIS.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX ECCLESIASTICO.

EX JEREMIA.

EX DANIELE.

EX AMOS.

EX LIBRIS MACHABÆORUM.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

EX MARCO.

EX LUCA.

EX IOANNE.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Numerus Romanus refertur ad Lemmata prodroma; Ordinarius ad Quæstiones ipsas.

A

Beza

D

E

N.

EX ESDRA.

EX LIBRO JUDITH.

EX PSALMIS.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX ECCLESIASTICO.

EX JEREMIA.

EX DANIELE.

EX AMOS.

EX LIBRIS MACHABÆORUM.

EX

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

EX MARCO.

EX LUCA.

EX JOANNE.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Numerus Romanus refertur ad Lemmata prodroma; Ordinarius ad Quæstiones ipsas.

A

N.

O

P

T

FINIS.

Errata corrigenda.

IN Tabula primâ generali, pag XIX, columnâ 2, in serie annorum Julianorum, lin 2, pro, 55, reponendum, 65. Pag. 3, lin. 9; *incertùm*. Lege: incertum. Pag 9, lin. 18; *baptisatum* Lege: baptizatum. Pag. 12, lin. 2 à fine; *Pseudepigraphus*. Lege: Pseudepigraphus: Pag. 15, lin. 14 à fine; *Tranc*. Lege: Franc. Pag 21, lin. 2; *ὑπ ἄλλης*, lege ὑπ᾽ ἄλλης. Pag. 35 lin. 22. ἐπιτρέποντος, lege ἐπιτρέποντος. Pag. 35, lin. 15; *Censitonis*. Lege: Censitoris. Pag. 49, lin. 14; *referta*. Lege: refert. Pag. 50, lin. 2; *Luciâ*. Lege: Lyciâ. *Ibidem*, lin. 5; *novem*; adde: annis. Pag. 55, lin. 16; αὐτῇ lege: αὐτῇ. Pag. 69 & 71, in titulo supremo; PRIMUM. Lege: SECUNDUM. Pag. 80, lin. 25; *Deuteron*. Lege: Levitici. Pag 90, lin. 14 à fine; *demotores*. Lege: demolitores. Pag. 96, lin. 15; *Mosesben*. Lege: Moses ben. Pag. 100, lin. 13; *alienorum; errorum*. Lege: alienorum errorum. Pag. 104, lin. 8 à fine; *novum*. Lege: novem. Pag. 110, lin 19; *Combfies*. Lege: Combefis. Pag. 111, lin. 30; *ie*. Lege: in. Pag. 119, in numero paginæ, pro, 199; repone: 119. Pag 151 lin. 5 à fine; *toto*. Lege: toti. Pag 152, ultima nota marginalis pertinet ad paginam sequentem; ejusque loco poni debuit: *Ex quibusdam apud Euthymium, & ex Estio*. Pag. 153, lin. 22; *Eleochrismaton*. Lege: Elæochrismaton. Pag. 162, lin. 16; post, *vesperi*; omissa fuerunt hæc: *juxta mox dicenda; si fortè plures, quàm quatraginta non interrupti jejunii dies, admittere non liceat*. Pag. 197, lin. 6; *Ptolomei*; lege: Ptolemæi. Pag. 198, lin. 11 à fine; *confectum esse*, lege: confectum, esse. Pag. 199, lin. 14; *incurrit*. Lege: incurrat. Pag. 205. lin. 20. *Ptolomei*; lege: Ptolemæi. Pag. 209, lin. 23; *pesterius*. Lege: posterius. Pag. 210, in margine; *Macrobio*. Lege: Macrobio. Pag. 212, lin. 15 à fine; *ie*. Lege: in. Pag. 219, lin. 18 à fine; *Deuteronomii*; Lege: Deuteronomii. *Ibidem*, *Jonatan*; lege Jonathan. Pag 218, lin 26; *Athnasii*. Lege: Athanasii. Pag. 229, lin. 13. *Hyppolitum*. Lege: Hippolytum.

Hæc sunt quæ in oculos incurrerunt. Si quæ alia supersunt; benignitatis Lectoris erit ea condonare festinationi præli, uti & accentus superfluè à typothetis additos. Quominùs Hebraica Litteris Hebraicis expressa sint, in causâ fuit hujusmodi characterum defectus.

